Rara 558



DER UNIVERSITAETS-
BIBLIOTHEK GIESSEN
GESCHENKT VON Der
Goethe- und Schiller-Verein Wetzlar

I. C. 112

PAPISMUS,

Hoc est,

ERRORUM

PONTIFICIORUM METHODICA ENUMERATIO, ET brevis, pia, atq; modesta Refutatio.

AUTHORE

IOHANNE GISENIO,

SS. THEOL. D. ET IN INCLYTA Academiâ Giessenâ ordin. Professore.

GIESSÆ,

Ex Officina libraria CASPARIS CHEMLINI.

Anno M.DCXVIII.



* Wetzlar
3697

Universitäts-Bibliothek
Gießen

Rara 558

ILLUSTRISSIMO, ET CELSISSIMO Principi, ac Domino

Dn. PHILIPPO, HASSIÆ LANDgravio, Comiti in Cattenelnbogen, Dietz, Ziegenhayn, & Nidda, &c.

Dn. SUO CLEMENTISSIMO

Salutem, & felicitatem à Deo Patre, per CHRISTUM JESUM Immanuelem perpetuam P.

ILLUSTRISSIME, *& Celsissime Princeps, Domine Clementissime, quodnam summè nobis sit necessarium, docet Salvator,* Matt. 6. v. 33. Quærite primùm, inquiens, regnum Dei, & justitiam ejus. *Nam homo erat conditus ad imaginem Dei,* Genes. 1. v. 26. 27. *hoc est, rectus,* Eccl. 7. v. 30. *in justitiâ, & sanctitate veritatis,* Ephes. 4. v, 24. *Vt non erubesceret,* Gen. 2. v. 22. *Nec morti subjaceret,* Sap. 2. v. 23. Rom. 5. v. 12. & 6. v. 23. *Sed invidit Pater mendacii Diabolus,* Sap. 2. v. 23. *Primos nostros parentes seduxit,* Gen. 3. *Peccatum tantum in hunc mundum invexit, ut omnes in peccatis concipiamur,* Ps. 51. v. 7. *Omnes destituamur gloriâ Dei,* Rom. 3. v. 23. *omnes* NATURA *simus filii iræ,* Eph. 2. v. 3. *Morti maledictioni, tyrannidi Diaboli reddamur obnoxii,* Deut. 17. v. 17. Gal. 3. v. 13. *Tãtas igitur miserias homo considerans, easq; cum felicitate in Paradiso conferens, exclamet cum Bernhardo oportet:* Memento, ô homo ubi, & quis fueris; & ingemisce, ubi & quis jam sis; & erubesce, ubi futurus sis, & contremisce.

Quare summè necessarium est, à peccatis nos mundari, in gratiam à Deo recipi & justificari. Quod fidei Christianæ caput tanti est momenti, ut rectè dixerit B. Lutherus Tom. 4. Jen. Lat. pag. 10. f. b. Jacente Articulo justificationis jacent omnia.

Quomodo verò Deo reconciliemur, & justificemur, insigni hoc dicto docet Apostolus, Rom. 3. vers. 24. Justificamur gratis Dei gratia per redemptionem in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine ejus. *Fontem justificationis nostræ ostendit Apostolus appellatione* GRATIÆ DEI, *quã intelligit non secundum Monachorum figmenta justitiam habitualem & actualem, vel infusam animæ qualitatem, vel donum Dei nobis inhærens, sed Misericordiam Dei* Eph. 2. v. 4. Tit. 3. v. 5. 1 Pet. 1. v. 3. *Dilectionem seu Charitatem* Joh. 3. v. 16. Rom. 5 v. 8. Eph. 2. v. 4. 1 Joh. 4. v. 9 10. *Opponit enim Apostolus in justificationis negotio gratiam è diametro legi, legis operibus, merito, debito,* Rom. 3. 4. 11. Gal. 2. 3. Eph. 2. Tit. 3. *Et hæc causa est, quod Apostolus adiungat particulam* GRATIS, *quæ est declarativa, ostenditque peccata nobis gratuitò remitti, hoc est, nihil esse in nobis, propter quod peccata remittantur. Piè dicit Ambrosius super locum hunc commentans cap. 9.* justificati sunt gratis, quia nihil operantes, neque vicem reddentes solâ fide justificati sunt dono Dei.

Cum autem Deus sic sit misericors, ut simul sit justus, adeoque ipsa justitia: Non enim amat, sed odit peccata, Psal. 5. v. 5. *Et quidem iuxta comminationem.* Gen. 2. v. 17. *Et sententiam legis* Deut. 27. v. 27. Gal. 3. v. 10. *Ideò fundatur Dilectio Dei intercessione, obedientiâ, & satisfactione Christi; Diligit nos Deus, sed in dilecto. Docet id Apostolus in prænominato illo dicto tribus vocabulis, ut sunt:* Redemptio, Propitiatio

pitiatio. Sanguis Christi. *Nomine* Redemptionis *docet, à potestate Satanæ, sub quâ propter peccatũ tenebamur captivi, nos esse per Christũ liberatos. Appellatione* propitiationis *remittit nos ad sacrificia proptiatoria V. Test. quibus Christi sacrificium verè propitiatorium fuit adumbratum*, Heb. 9. 10. *Nomine* sanguinis Christi *intelligit Apostolus totam Christi obedientiam propter nos & nostram salutem divinæ legi à nobis violatæ præstitam usque ad mortem crucis*, Phil. 2 v. 8. *Itaque justificamur quidem Dei gratiâ, at per redemptionem Iesu Christi: Remittuntur nobis peccata; at in sanguine Christi: Deus justus placatur, ipsi reconciliamur; at sacrficio verè propitiatorio Christi.*

Denique cum gratiam illam in merito Christi fundatam & in Evangelio oblatam apprehendere & nobis applicare debeamus (siquidem non prodest nobis Christus nisi apprehensus) ideò Apostolus medium apprehendens ostendit, quod est FIDES per fidem, *inquit*, non nisi per fidem Gal. 2. v. 6. *fide absq; operibus, fide, quæ est erga Christum*, Act. 26. v. 18. *Fides* recipit *Christum* Joh. 1 v. 12. *Fide iustificati dicuntur* accepisse *iustitiam, quæ est ex fide*, Rom. 9. v. 30. *Fides igitur est manus illa spiritualis, quâ gratiam Dei in Christo fundatam nobis applicamus: Et modus iustificationis nostræ coram Deo cõsistit in peccatorum remissione, & obedientiæ, & iustitiæ Christi Mediatoris per fidem imputatione* Luc. 18. v. 14. Rom. 4. v. 6. 1. Cor. 4. v. 4. 2 Cor. 5. v. 9.

Quam miserè verò à modo illo à peccatis mundandi, cum Deo reconciliandi, & iustificandi aberrarint, & aberrent Monachi, testantur corporum macerationes, flagellationes, Sanctorum invocationes, ad loca sanctorum peregrinationes, imaginũ venerationes, opera supererogationis, indulgentiarum

ventundationes, &c. quibus omnibus singularem cultum divinum adscribebant, his confidebant, coram Deo subsistere stu-debant. O pectora cæca! Num istis ineptiis infinitæ Dei justitiæ potest satisfieri? Annón Deus colitur frustrà doctrinis & mandatis hominum? Num quod vobis rectum videtur religiosi cultus ergò iniungitis, facitis? Deplorandi sunt homines isti, quod jam sæpius erroris admoniti, convicti, præconceptas suas opiniones non abjiciant, veritati non subscribant, & non Deo dent gloriam.

Cum autem nos hoc ipso tempore meritò recordemur Reformationis operis, quo singulari Dei beneficio per fidele B. Lutheri ministerium annis ab hinc centũ ex istis tenebris Papalibus sumus erepti; mecum constitui, habitâ ratione mei muneris, errores Pontificiorum ordine enumerare, & breviter examinare. Hujus laboris mei partem primam hoc tempore hyemali proposui, & in Auditorio Theologico singula examinanda exhibui.

Vestræ verò Celsitudini Illustrissime, & Celsissime Princeps, Domine Clementissime, eam humiliter, & submissè inscribendam esse censui, ne Patrono destitueretur. Permovit me etiam Celsit. V. Zelus, quo in Religionẽ fervet, & amor rerũ Theologicarum singularis. Vt igitur hoc meum qualecunq; studium Cels. V. animo benigno aspiciat, & clementissimè accipiat, mihi favere, & Clementissimo affectu succurrere velit, quâ possum, quáq; par est animi submissione, à Celsitud. V. oro, & precor. Æternum patrem Domini nostri Iesu Christi invoco ut Celsit. V. Illustrissimam unà cum pientissima sua, & dilectissimâ coniuge sicut & Dominum fratrem, Illustrissimum, & Celsissimum Principem ac Dominum, Dn. Ludovicum,

Acade-


Academiæ noſtræ Fundatorem, & Patronum munificentiſſimum benigniſſimum, Dominum meum Clementiſſimum, ut & tertium fratrem, Dominum Fridericum, itidem Dominum meum Clementiſſimum, adeoque totam domum Haſſiacam tranquillam, florentem, & felicem perpetuò eſſe ſinat, & incolumem conſervet, Amen. Gieſſæ Haſſorum 13. Martii Anno Chriſti 1618.

Celſit. V.

Subjectiſſ.

Johannes Giſenius D.

Tabula controversiarum generalis



IN PIAM ET GRATAM

REFORMATIONIS EVANGELICÆ RECORDATIONEM

Beneficio DEI per Ministerium

D. MARTINI LVTHERI

Ante Annos centum factæ

ERRORUM PONTIFICIORUM DELINEATIO

Publicæ Disputationis loco informata, & instituta

à

Johanne Gisenio SS. Th. D. & in Inclyta Academia Giessena ordinario Professore.

RESPONDENTE

HERMANNO MATTHIÆ HARHOFFIO

Susatense Westphalo.

In Auditorio Theologico ad diem 31. Octobris.



GIESSÆ,

ANNO: eXbIbLIotheCa typographICa CasparIs CheMLInI FranCI.

Viris

AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS, SPECTATISSIMIS D.D. CONSULIBUS, totique Senatui inclytæ Reipublicæ Beilfeldiensis, Dominis atque Patronis suis, summâ animi subjectione & observantiâ colendis

S. P. D.

QVoniam, Viri Amplissimi fautores honorandi, Annus nunc secularis est, Quo μακαρίτης ille & sempiternæ benedictionis memoriâ dignus MARTINUS LUTHERUS *admirandum illud Reformationis Opus aggrediens sanam Evangelii doctrinam, à sordibus & quisquiliis Pontificiæ Idolomaniæ repurgatam pressæ & lamentabiliter gementi Ecclesiæ restituit; Meritò nunc Vniversa Ecclesiæ reformatæ gens & quotquot cœlestem ejus παρακαταθήκην fideliter tuentur more V.T. tritum Iubilæum celebrantes Deo votis plaudunt, laudes psallunt, gratias cantant, jubilant: Cùm ut ipsi S.S.T. pro tantis beneficiis, quæ πίονι, quod ajunt μέτρῳ hoc toto seculo in Ecclesiam suam effudit; præsertim pro fidelissimo magni illius Herois Luth. Ministerio, se præbeant grates. Tùm maximè, ut insuper pro felici & ulteriori recandescentis Lucis Evangelicæ successione & tutelâ ei devotè sint supplices votaque malorum buccinis jubilæi confundant. Cui jubilanti Ecclesiæ cum reliquis Academiis, non modo congratulandum esse, sed etiam jubilandum cum vidisset, Rev. & Clariss. Dn. Præses ad majorem hujus jubilæi festivitatem, cimmereas sub Papatu tenebras reponendo hanc Pontificiorum Errorum διάσκεψιν, me respondente, publicè examinandam Academicis solemnitatibus adjunxit Theologizantiumque cœtui proposuit.*

Quam ego. V. Ampl. pro felicioris jubilæi voto, indebitæ observantiæ τεκμήριον offero & inscribo Deum Opt. Max. devotè implorans, ut Vos vestramque Rempubl. & Ecclesiam in pace veritateque servet & conservet, Valeatis. Perscriptum Giessæ Anno & die jubilæi Christiani

V. Ampl. & prudent. Observantissimus

Herman. Matthias Harhoffius Resp.

ERRORUM PONTIFICIORUM DELINEATIO

THESIS.

IN Anno seculari jam vivimus. Ecclesiæ igitur Evangelicæ *Evangelicum Iubilæum* non immeritò celebrant, Deo clementissimo gloriam cantant, jubilant, gratias immortales agunt pro Reformatione Evangelicâ per fidele Ministerium B. LUTHERI peracta. Memores tanti beneficii errores pontificiorum delineabimus, mutuisque collationibus examinabimus.

2. *Fundamentum igitur, Canonem, regulam, & normam omnium rerum Theologicarum constituebat* B. LUTHERUS *Scripturam sacram.* Quare in lectione Bibliorum erat versatissimus, eaque singulari cum attentione legebat. Sæpius dixit, *nullam esse in sacris literis arborem, de qua non unum, aut alterum pomum decussisset.*

OCCASIO REFORMATIONIS EVANGELICÆ.

3. Accidit autem, ut Anno Christi supra Millesimum quingentesimũ decimo septimo veniret in Misniam Monachus quidã, JOHANNES TETZELIUS, Dominicanus, homo impudentissimus, & flagitiosissimus, qui ob adulterium ante illud tempus ad mandatum Maximiliani Primi, Cæsaris Romani, sacco fuisset inclusus, & aqua submersus, nisi Elector Saxoniæ Dux Fridericus apud Imperatorem pro ipso intercessisset. Venit verò instructus Leonis Decimi, Pontificis Romani bulla, diplomate & literis, ut omnia Regna & inprimis Germaniam peragraret, indulgentias ubique venales exponeret; ad quod aptissimus erat natus: Hominibus igitur pro certa pecuniæ summa omnium peccatorũ commissorum, & committendorum expiationem, ac salutẽ æternam sanctè pollicebatur. Quantas blasphemias, impudentissimas,

tissimas, ac scurriles nugas in Indulgentiis commendandis, & dividendis evomuerit, narrabunt alii.

4. Excitavit verò Deus benignissimus fidelem suum servum Lutherum, quem eximiis donis armaverat, ut tàm horrendis & impudentissimis nugis, atque blasphemiis sese opponeret.

5. Lutherus Academiæ Wittebergensis Professor, atque sic in publico officio constitutus, cum videret plurimos homines hujusmodi commentis fidem habere, cœpit homines, ne rancidas istas merces tanti, & ne æstimarent indulgentiariorum Clamoribus aurem præberent, monere, videatur præfat. Tom. 1. Lat. Themata quædam de Indulgentiis, de verâ Pœnitētia, & Charitatis officio pridiè Calendas Novembris publicè ad disputandum, indagandæ veritatis causâ, proponit, de iisque nervosè disputat. Et hæc primæ erant Reformationis initia.

6. Nam, cum varias insidias Pontificii Dn. Luthero struerent, permotus est ut acrius Scripturam meditaretur, & secundum Scripturam abominationes Pontificias examinaret: (Tentatio dat intellectum.) Fatetur id ipse in Præfat. Tom. 1. Jen. Ger. his verbis: **Ich selber (daß ich Meusedreck auch mich vnter den Pfeffermenge) habe sehr viel meinen Papisten zu dancken / daß sie mich durch deß Teuffels toben / so zuschlagen / zudrenget / vnd zuengstet das ist / einen ziemlichen guten Theologen gemacht haben / dahin ich sonst nicht kommen were / &c.**

7. Quamvis verò in primis scriptis, quædam, quæ Pontificiis manifestè favent, propugnârit, in subsequentibus tamen ea abjecit, & improbavit. Successivè enim assiduâ Oratione, Meditatione & Tentatione in veritatem est introductus, & impietates pontificias agnoscere, & solidè refutare didicit. Exponit id ipse in præfat. Tom. 1. Jen. Lat. Ante omnia, inquiens, oro pium Lectorem, & oro propter ipsum Dominum nostrum Jesum Christum, ut ista legat cum judicio, imò cum multa miseratione: Et sciat, me fuisse aliquando Monachum, & Papistam insanissimum cum istam causam aggressus sum. Et paulò post: Ita invenies in istis meis scriptis prioribus, quàm multa, & magna humilimè concesserim Papæ, quæ posterioribus, & istis temporibus pro summâ blasphemiâ, & abominatione habeo, & execror. Dabis ergò hunc errorem, pie Lector, vel (ut ipsi calumniantur) antilogiam tempori. &c.

8. Nos

8. Nos synopticè sententiam veritatis ostendemus, erroresque Pontificiorum huic oppositos mutuis collationibus examinabimus.

DE SCRIPTVRA SACRA.

9. ERrores igitur Pontificiorum directè pugnant cum Christi Personâ, & Officio, Deique & Christi beneficiis, Officium Christi est triplex: Propheticum, Sacerdotale, & Regium. Propheticum officiũ oppugnant in loco in primis de scripturâ, quam, quoniam sibi contrariari vident, miris modis detorquent, idque breviter ostendimus.

10. Primò, *libri biblici V. Instrumenti sunt Canonici vel Apocryphi.* Nam Apocryphi, quos nominamus non sunt scripti lingua populo Dei propria nimirum Hebraica, 2. Non sunt allegati in N. Inst. à Christo, & Apostolis. 3. Destituuntur Ecclesiæ primitivæ testimonio. 4. Quidam ipsorum impingunt in fidem historicam, & contrariantur eis, quæ proponuntur in libris Canonicis. De distinctione librorum N. Instrumenti alibi egimus. Libri Canonici leguntur ad confirmationem fidei, Apocryphi ad ædificationem populi.

11. Errat igitur *Concilium Tridentinum* libros biblicos integros, quos *Decret. 4. Sess. 1.* enumerat, pro Canonicis suscipiendos esse decernens.

12. Secundò, *Authoritas Scripturæ neque respectu sui, neq; respectu nostri dependet ab Ecclesiâ: Sed ab authore suo Deo.* 1. Quia *Ioh. 5. v. 34.* dicitur: Ego non ab homine testimonium accipio. 2. Quia Spiritus est qui testatur Spiritum S. h. e. doctrinam Propheticam & Apostolicam esse veram, *1. Ioh. 5. v. 6.* 3 Scriptura igitur authoritatem suam habet ab authore suo, Deo. 4. Nam est merè divinum quid, *2. Pet. 1. v. 20.* Authoritatem igitur suam non habet ab hominibus. 5. Augustinus dicit: Major est Scripturæ authoritas quàm omnis humani ingenii capacitas cõprehendere potest.

13. Blasphemi igitur sunt Pontificii, quotquot asserunt, Scripturas tantum valere, quantum valent Æsopi fabulæ, nisi accedat Ecclesiæ Testimonium. Sophisticantur qui ab Ecclesiæ testimonio Scripturæ authoritatem respectu nostri conciliari vociferantur. Nam aliud est scripturæ aliquid conferri ab homine, & aliud homini conferri aliquid ab homine.

13. Tertiò, *Apostoli licet occasionem ad hos vel illos scribendi ab incidenti casu sæpè sumpserint, respectu tamen finis ex proposito, & Dei mandato scripserunt*, idque legitur, *Apocalyp.1.vers* 2.8.11.*cap.*14.*vers.*13. *Matth.*28.*vers.*19.*Iohan.*21.*vers.*24.*cap.*20.*vers.*31.*Lucæ*1.*vers.*3.*Phil.*3. *vers.*1.1.*Iohan.*1.*vers.*4.*cap.*2.*vers.*14. Servator igitur, scrutamini, inquit, scripturas, *Ioh.*5.*v.*39. Et Apostolus, 1. Tim. 4. v. 13. Attende, ait, lectioni. Cogitent igitur Pontificii, an hinc scripturam recte imperfectionis arguant, videatur. *Costerus pag.*45.*Enchir.*

14. Quartò, *Editio authentica in V. Instrumento est hebræa: In Novo græca.* 1. Nam eloquia Dei concredita sunt populo Dei, *Roman.*3.*vers.*2. Et taliter Deus non fecit ulli nationi, *Psalm.*147. *vers.*9.2. Apostoli in lingua scripserunt communissima, quæ tunc temporis teste Cicerone pro Archia erat lingua græca. 3. Illæ editiones à Prophetis, & Apostolis sunt scriptæ. 4. Reliquæ editiones ex his sunt versæ.

15. Non igitur subscribimus Concilio Tridentino, quod vulgatam editionem latinam facit authenticam, & quo consilio ita decreverit, Oedipo haud fuerit opus.

16. Quintò, *Versio & translatio scripturæ in linguam cuilibet populo vernaculam cum maxima utilitate est conjuncta.* 1. Quia omnes homines sunt erudiendi ad vitam æternam, *Matth.* 28.*vers.* 19. *Act.*17.*vers.*30. 2. Quia ex lectione scripturæ in ignota lingua populus utilitatem capit nullam, 1. *Corinth.*14.*vers.*6. 3. Quia scriptura non contaminatur, quando in lingua vernacula annunciatur.

17. Sextò, *Lectio scripturæ sacræ etiam Laicis utiliter conceditur.* 1. Quia Deus mandavit, ut omnes legerent, scrutarentur, & cognoscerent scripturas, *Deut.*31. *vers.*10.*cap.*17.*vers.*19.*cap.*6.*vers.*7. *Ioh.*5.*vers.*39.*Col.*4.*vers.*16. 2. Quia Apostolus hortatur Thessalonicenses, ut omnia probent, quod bonum est teneant. 3. Quia Berrhoenses ob id commendantur, quod scrutati fuerint scripturas, & ex illis veritatem inquisiverint, *Act.*17.*v.*11. Deplorandum igitur est decretum pontificium, quo Laicis scripturę lectio in lingua vernacula derogatur.

18. Septimò, *Scriptura in dogmatibus, quæ sub salutis ratione scire necesse est, clara, perspicua & manifesta est.* 1. Quia est lucerna pedibus nostris, *Psal.*119.*v.*105. 2. Quia splendet in tenebris. 2. *Pet.*1.*v.*19. Infundit sapientiam & intelligentiam. *Psal.*119.*v.*30. 19. Co-

19. Cogitent igitur Pontificii, quo spiritu scribant, tantam scripturæ in dogmatibus fidei inesse obscuritatem, ut ejus cognitio aliunde sit mutuanda.

20. Octavò, *Scripturæ interpretatio non est aliunde inferenda, sed ex ea efferenda*, 2. Pet. 1. *vers.* 20. *Rom.* 12. *vers.* 7. Difficilis igitur cujusdam dicti interpres est Spiritus Sanctus in scriptura nobiscum loquens. Quare ad legem & testimonium, *Esa.* 8. *vers.* 20. Et Christum attendamus, *Matth.* 17. *v.* 5. Non Papam, non Cardinalis, non quævis Concilia.

21. Nonò, *Iudex controversiarum summus est Spiritus Sanctus*, Joh. 14. v. 26. c. 16. v. 8. 13. Act. 4. v. 25. c. 22. v. 28. Matth. 10. v. 20. 1. Cor. 12. v. 7. 2. Pet. 1. v. 21. Testatur id Christus ipse Joh. 16. v. 14. Testantur Apostoli Matt. 28. Act. 10. v. 42. 1. Cor. 11. v. 23. 2. Cor. 13. v. 3. Gal. 1. v. 12. Col. 3. v. 36. Apoc. 2. v. 6. *Norma est scriptura sacra, quæ est fundamentum Ecclesiæ, & ad quam Spiritus S. ipse nos remittit*, quæque ministerialiter judicat Deut. 17. v. 18. Jos. 1. v. 7. c. 23. v. 6. 3. Reg. 2. v. 3. 4. Reg. 17. v. 37. Esa. 8. v. 20.

22. Decimò, *Scriptura sacra est perfecta, & continet omnia, quæ ad salutem, & ad modum piè vivendi sunt necessaria.* Nam hominem perficit, & ad omne opus bonum perfectè instruit, 1. Joh. 2. v. 5. 2. Tim. 3. v. 16. Et extra scripturam sacram nihil docuerunt Prophetæ & Apostoli, Luc. 24. v. 27. Act. 26. v. 22. c. 28. v. 23.

23. Undecimò, *Traditiones igitur humanæ, quas Verbum Dei non scriptum venditant Pontificii, non pari authoritate cum verbo scripto sunt recipiendæ*, 1. Quia Apostolus non subterfugit, quò minus annunciaret omne consilium Dei, Act. 20. v. 27. 2. Quia quicunque evangelizant præter id, quod scriptum est, anathematis sunt rei, Gal. 1. v. 8.

DE CAPITE ECCLESIAE, QVOD EST Christus, seu de persona Christi.

24. *Deinde oppugnant Pontificii officium Christi regium, sacerdotale, ejusque personam. Regnum verò Christi est in Ecclesia, quæ est militans, vel triumphans. Membrum tertium addunt Pontificii, quod fingunt esse Ecclesiam laborantem in purgatorio.* De his quædam tantum attingimus.

25. Pri-

25. Primò, tempore exhibitæ Augustanæ Confessionis Pontificii doctrinam de Christo approbabant. Unde ἀνάθεσις pontificia Articulo tertio non est adjecta. Et refert *Andreas Fabricius Leodius* in historia August. Confess. pag. 32. Caroli Cæsaris. & Catholicorum Principum ad tertium Articulum hanc responsionem: *In tertio Articulo, nihil est, quod offendat, cum tota confessio cum symbolo Apostolorum & certa fidei regulâ conveniat, &c.* Verùm cum novo Monachorum, Jesuitarum videlicet ortu nova extitit hæresis. Colludûnt enim hi cum Zwinglio-Calvinianis, ut videre est ex disputatione de persona Christi Jngolstatii habita, & Wittebergæ à Calvinianis recusa. Attingemus summa capita.

26. Secundò, *Esse igitur formale unionis hypostaticæ, non est, humanæ naturæ in Filio Dei sustentatio.* 1. quia de aliis creaturis etiam prædicatur. 2. quia conditionem hominum piorum facit meliorem, quam assumptæ carnis. 3. quia Actus secundus non dat esse formale Actui primo.

27. Tertio, *Per & propter unionem Christus secundum humanã naturam est Deus*, Matth. 16. v. 16. Joh. 20. v. 28. Quartò *Majestas divina carni* Christi realiter est communicata. Seu, divina idiomata carni Christi realiter sunt communicata. Cõmunicata enim est ipsi ὑπόστασις τῦ λόγυ Ergò & ὑποστάσεως τῦ λόγυ propria. Patres igitur Concilii Ephesini rectè damnarunt Nestorium, quod negata reali idiomatum communicatione solveret ipsum hypostaticam unionem. Quintò, *Christus est mediator noster non tantùm secundum humanam, sed etiam secundum divinam naturam*: Filius enim Dei propter nos homines descendit de cœlis: Et sola humana natura justitiæ divinæ satisfacere, meritumque æquivalens præstare non potuisset. Sextò, *Christus non sibi, sed nobis gratiam acquisivit, & aliquid promeruit.* Nam 1. Qui erant sub lege, illis aliquid promeruit, *Gal. 4. v.* 4. Nos eramus sub lege: non ipse, quia est Dominus legis & Sabbati, *Matth. 12. Marc. 2.* 2. Nulla re ipse indigebat. 3. Nobis igitur est natus: nobis missus, & datus, *Esa. 9. Zach. 9. Rom. 8. Ioh.* 17. Septimò, *Non descendit Christus ad inferos ut Patres, & reliquos pios liberaret ex limbo.* Limbum enim esse fictitium quid alibi exponemus: Animæ piorum sunt in manu Dei. Octavò, *Absoluto statu exinanitionis collocatus est Christus ad dexteram Dei, ad eamque sedet*, h. e. regnat non ad modum mundani Principis, sed ad modum dexteræ Dei.

28. Co-

28. Cogitent igitur Jesuitæ, annón sint absurda, impia, & scripturæ contraria, quibus personam Christi allatrare cæperunt.

DE PONTIFICE ROMANO.

29. Fabulantur Pontificii caput Ecclesiæ militantis secundarium, & visibile esse Pontificem Romanum, quem Christi constituunt Vicarium, universalem Ecclesiæ Episcopum, Monarcham, & fundamentum. Papa nec Deus, nec Angelus, nec homo est: Imò verius Papa Deus est, dixit Felynus. Nam ut placuit Decio & Gomesio, Papa & omnia, & super omnia: potest facere omnia, quæ Deus facit. De capite hoc fictitio pauca.

30. Primò, *Caput Ecclesiæ non est Pontifex Romanus: Sed solus Christus.* 1. Docetur id, *Eph.* 1. *v.* 22. *c.* 4. *v.* 15. *c.* 5. *vers.* 27. 29. *Col.* 1. *vers.* 18. Ut igitur vir est caput mulieris: ita Christus est caput Ecclesiæ. Mulier verò si præter maritũ admittat virum est adultera. Et Ecclesia, si fuerit biceps, erit monstrosa. 2. Quàm primùm terminos Apostolici muneris trãscẽdere cupiveris, confestim invades Christi munus. Neque enim ulla est intermedia potestas, aut dignitas in officio Ecclesiastico. 3. Quicquid igitur est, illud est caput vel membrũ Ecclesiæ sive militãtis sive triumphantis. 4. Gloria Ecclesiæ omnis ab intus est *Psalm.* 45. *vers.* 14. Opus igitur non habet capite visibili. 5. Christus perpetuò suæ adest Ecclesiæ, *Matth.* 18. *v.* 20. *c.* 28. *Mar.* 16. *v.* 20. *Ioh.* 14. *v.* 19. Non indiget igitur vicario. 6. Quare Christus Apostolos emissurus, consolatur eos non argumento à visibilitate, sed à collata potestate, & à præsentia sumpto, *Mat.* 28. *v.* 18. 20.

31. Secundò, *Aliud est ordo, & aliud Iurisdictio, inter Doctores Ecclesiæ laudatur primatus ordinis, sed non potestas Iurisdictionis.* Regimem igitur Ecclesiasticum esse nõ debet nec potest Monarchicum.

32. Nam primò regimen Ecclesiæ non est politicum. 1. Quia Christus potestatem politicam nunquam voluit usurpare, *Ioh.* 18. *v.* 16. Regnum meum, inquit, non est de hoc mundo. *Ioh.* 6. *v.* 15. Sese abscondidit, cum Judæi Regẽ eum facere constituissent. *Luc.* 22. *v.* 21. Cæsari tributum dare jubet. *Luc.* 12. *v.* 14. Pro se & Petro solvit. Multò minus igitur personæ Ecclesiasticæ, quæ sunt CHRISTI discipuli, ejusmodi potestatem possunt sibi arrogare, *Ioh.* 20. *v.* 21. dicit Christus: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Venit autem filius hominis non ministrari, sed ministrare, *Mat.* 20. *v.* 28. 2. Reges gentium, inquit Crhistus dominantur *Matth.* 20. *v.* 25.

Luc.22.v.25. vos autem nō sic: Et qui vult esse maximus, cæterorum sit minister. Probari in Discipulis Christi regimen affectantibus nō modum regiminis, nempe tyrannicum, sed ipsum regimen. 1. Arguit ipsa quæstio. 2. Arguit ipsa Christi responsio: Tyrannicū enim regimen discipuli Christi non affectabant. Et si Apostolus Petrus constitutus fuisset Monarcha, nō opus fuisset hac quæstione, & vel verbo id indicasset redēptor, & summus Doctor. 3. Accedit q. Reges, de quibus disserit Servator, benoficos nuncupet *Luc.22.v.25.*

33. Deinde Ecclesiastica potestas, qua Papa sibi arrogat jurisdictionem in reliquos Ecclesiæ ministros, his evertitur? 1. Quia solus Christus est Ecclesiæ caput, *Eph.4.v.4.2.Cor.11.v.2.Col.2.v.19.* Sponsus, *Eph.5.v.29.* Pontifex, *Heb.7.v.21.1.Pet.5.v.4.* Fundamētum; *1.Cor.3.v.11.* Ergo nullus hominum. 2. Quia Christus hanc potestatem improbat, *Matth.22.v.8.* 3. Quia Christus de uno Pastore universali nos docet, *Ioh.10.v.16.* Plures igitur nos non agnoscimus. 4. Quia Apostolus *Eph.4.v.11.* de functionibus Ecclesiæ diversis ex professo disserens muneris papalis nullam facit mentionē. Certè si unus esset in Ecclesia, qui cæteris omnib. dignitate & potestate antecelleret, vel verbo id significasset. 5. Describit Apostolus talem quidem hominem: sed quo modo? videre id est, *2.Thes.2.*

34. Secundò, *Apostolo Petro nusquam est collatus primatus jurisdictionis.* In quæstione verò non est, an Petrus, non minus ac reliqui Apostoli, fuerit constitutus totius orbis universalis Episcopus. Nec quæritur, an Petrus fuerit primus zelo, ætate, & χαρισμάτων excellentia. Sed tantū quæritur, *Num Apostolus Petrus ita reliquorum fuerit princeps, ut hi tanquam legati à latere illius, nutu atq; arbitrio unicè stare necesse haberent, imò ut ipse universalem non modò, ut cæteri, docendi, sed dominandi insuper potestatem in universa Ecclesia haberet, ut Sacramenta à Christo instituta mutare vel præter ea alia etiam instituere posset?*

35. Resp. Primatum hunc fictum esse breviter ostendimus. 1. *Quia repugnat Christo,* qui solus est *caput* Ecclesiæ, *Ep.4.v.4.2.Cor.11.v.2.Col.2.v.19. Sponsus. Ephes.5.v.29. Sacerdos, Hebr.2.v.21.1.Pet.5.v.4. Fundamentum, 1.Cor.3.v.11.* Repugnat ejus institutioni, *Luc.12.v.25. Ioh.20.v.21. Ioh.13.v.14.* Repugnat ejus promissionibus, quia promisit se semper ad futurum Ecclesiæ. At præsentis non est vicarius. Repugnat ejus decisioni: quęstionē enim de primatu aliquoties incidentē ita decidit, ut nunquā Petrum reliquorum Apostolorum

caput

caput cõstituerit. 2. *quia repugnat ipsi Petro*, qui erat reprehensibilis, *Gal.2.v.11.* Accusatur, *Act.11.v.2.* In Samariam ablegatur, *Act.8.v.14.* Non solus cõtroversias decidit. *Act.15.v.6.* Primatũ sibi ipsi derogat atq; se συμπρεσβύτερον agnoscit, 1. *Epist.5:v.1.3. quia adversatur Apostolo Paulo.* Hic n. absq; Petri vel cõsilio vel mandato prædicavit, *Gal.2. v.6.* Ergo à Petro tanquã Pontifice nõ fuit missus. Non agnoscit se inferiorẽ summis Apostolis, 2. *Cor.11.v.5.4. quia adversatur hæc potestas Petri & Pauli actionib.* Nã Paulus in faciẽ restitit Petro; *Gal.2.v.9.* 5. Quia adversatur Apostolatui. Nã si dicatur potestas Apostolica potestate major, non erit Apostolica potestas in Ecclesia maxima, cõtra illud Apostoli, 1. *Cor.12.v.28.* Posuit Deus quosdã *primũ* Apostolos. Et annon eadẽ est inter Apostolos vocatio? Certè. Nã idem est, qui vocat Christus: Idẽ vocationis modus, nimirũ immediatus: tã Apostolis reliquis omnib. quã Petro cõpetens: Eadẽ vocationis formula, quippe q̃ universo Apostolatui: est cõmunis, *Mat.28.v.19. 20. Mar.16.v.15. Ioh.20.v.3.* Eadẽ vocationis privilegia *Mat.10.v.8. Mar.16.v.17.18.* Eædẽ ministerii claves q̃ nõ soli Petro, sed & reliqs Apostolis ꝓmittuntur, & dãtur, *Mat.18.v.18. Ioh.20.v.23.* Idẽ officiũ ostendit id vocationis formula, & cõfirmat Petrus, *Act.1.v.17.* Finis idẽ, 2 *Cor.5.v.20.* Eademq; omnium Ecclesiarũ cura, 2. *Cor.11.v.28.*

36. Quamvis igitur inter Apostolos esse potuerit ordo numeri non tã fuit ordo jurisdictionis. Er Apostoli reliqui, hunc honorem deferre potuerũt Petro, ut præiret voce monẽdo, hortãdo, interrogando, respõdendo, non propter principatũ, sed propter ætatẽ, aut facundiã, & ordinem. Atq; non Petro, sed Petri confessioni dictum est, pasce oves. *Lyranus super c.16. Mat.* dicit: *Non solũ pro te dabo claves, sed etiã pro aliis. Sicut n. confessio Petri, erat confessio aliorũ, ita potestas hæc data Petro, intelligatur dari aliis.* Quare aliud est ipsum præceptũ, & aliud modus ꝓcipiendi. Et licet verba ad Petrũ dirigãtur: Promissio tñ clavium, & etiam concessio nihil minus aliis facta est Apostolis.

37. Tertiò: *Successio doctrinæ attenditur in Apostolis, non loci vel sedis.* Christus ipse docet Sp. S. certis locis non esse alligatum, *Ioh. 3. v.8.* Subscribit Apostolus, distribuit, inquiens, dona sicut vult. Sanè, ꝙ spectat ad Petrũ, cũ ipsi nulla potestas, nullus primat⁹ jurisdictionis ꝓ reliqs Apostolis esset collatus, nullũ ẽt hoc pacto suũ specialem potuit habere successorem. Sed succedunt Apostolo omnes, qui eandem, quam ipse est professus doctrinam profitentur. *Successores*

igitur Petri in officio docendi Evangelii in Ecclesiis sibi demandatis sunt omnes Episcopi Propheticam & Apostolicam doctrinam sincerè profitentes. Dist.41.Iur.Can.c.12. dicitur: Multi Sacerdotes,& pauci Sacerdotes, multi nomine, pauci opere. Videte ergò, quomodo sedetis super Chathedram, quia non chathedra facit Sacerdotem, sed Sacerdos cathedram, non locus sanctificat hominem, sed homo locum.

38. Si quis igitur quærat. *Num Papa sit Petri successor?* Respondemus, *Papa dissentit à Petro in doctrinâ, officio, moribus, factis, & studiis.* (Nota distinguere nos inter Papas primorum & posteriorum seculorum, de qua distinctione alibi egimus.) Non est igitur ejus successor. Apostolus Petrus concionabatur, argentum & aurum non possidebat, *Act.3.* Non ferro, sed verbo dominabatur, *Act.5.* Simoniam abominabatur *Act.8.* Honores contemnebat, *Act.10.* Pro Evangelio Christi carcerem ingrediebatur, *Act.12.* Conciliis se non præferebat, sed subjiciebat, *Act.15.* Tenta eadem prædicare de Pontifice, & planè contrarium habebis. Si quis strictè successionē urgeat. Respond. Papa est successor Petri. 1. In Christi abnegatione 2. in ambitione: Nam objicit Christo, se omnia reliquisse. 3. In Christi objurgatione: Nam Christum objurgat, quod ad patiendum pro genere humano sit paratus, *Matth.16.v.4.* In gladiorum apparatu &c.

39. Quartò, *Pontifex Romanus non modò in fide potest errare, sed etiam sæpè erravit.* Nam *Aaron* summus Pontifex à Deo constitutus erravit, quando tanquam Pontifex constituit cultum, & erexit vitulum aureum. 2. Urias Pontifex erravit, quando removit aram Domini, & in ejus locum aliam constituit, idq; eo fine, ut sacrificia immolarentur Diis alienis. 3. Tempore Hieremiæ errabant in doctrina Pontifices cum universo sacerdotum collegio, qui ipsi quoque se errare non posse gloriabantur. 4. Caiphas summus sacerdos cum suo Synedrio erravit, & quidem non tunc demum, quando Christum filium Dei ad mortem condemnavit, sed etiam diu ante: Siquidem aliquoties de Christo interficiendo Judæi conjunctim agitarunt consilia, *Ioh.7.* Et antea fuerunt obsessi à Diabolo, *Ioh.8.* 5. *Anastasius Pontifex* illicitè, & non canonicè, sed contrà decreta prædecessorum, & successorum suorum rescripta dedit, *Dist.19. c.8.9.Iur.Can. Marcellinus Papa* grana thuris super prunas imposuit, idolisque sacrificavit, *Dist.21.c.7. Iohannes 23. Papa* dogmatizavit vi-

tam

tam æternam non esse. *Honorius Papa* fuit Eutychianus. *Liberius Papa* fuit Arianus. 6. *Archiepiscopus Florentinus par.3.tit.22.c.7.* Cum omnia, inquit possit Papa, & multa alia, potest etiam & hoc, quod est commune omnibus, scilicet errare, & peccare juxta illud: Omnis homo mendax, *Alphonsus de Castro lib.1.c.2. contra hæresin,* Pontifex, ait, potest esse hæreticus, & hæresin docere.

40. Quintò, *Antichristus ille magnus, & quidem Occidentalis quis sit, requisita, quibus Dan.11.2.Thess.2.Apoc.13.17.15.1.Tim.4. describitur, ostendunt.*, ut sunt, 1. Antichristus sedebit in templo Dei hoc est, in Ecclesiâ 2. *Thess.2.v.4.* id est, in eâ imperium exercebit. 2. In urbe magnâ septicolli, quæ habet regnum super Reges terræ, *Dan.11.v.45.* 3. Ostendet se tanquam sit Deus, extollet se supra omne id, quod dicitur Deus, aut colitur, eique adversabitur, Deum Patrum suorum non reputabit, *Dan.11.v.36.2.Thess.2.v.7.8.* hoc est, labefactabit Articulos fidei & Sacramenta. Quamvis igitur non verbis se extollat supra id, quod dicitur Deus, tamen (quod longè est atrocius & majus) ipsâ re, & facto, sive satanico fastu, & luciferianâ superbiâ sese ei præfert: Sua enim scripta & decreta anteponit Scripturæ ipsius æterni Dei. 4. Prohibebit matrimonium, 1. *Tim.4.v.3. Dan.11.v.37.* Jubebit abstinere à cibis, à Deo permissis, 1. *Tim.4.v.3.* 5. Avaritia ejus erit inexplebilis, Reges terræ cum illo fornicabuntur, *Dan.11.v.93.1.Tim.4.v.3. Apoc.* 18.*v.3.* 6. Secundum operationem Satanæ falsa miracula, signa & prodigia pro veris obtrudet, iisque superstitiones suas augebit, & confirmabit &c. In quem verò illa singula cadant in collatione exponemus.

DE CONCILIIS.

41. Tantum de Ecclesiæ capite: Examinandæ jam veniunt controversiæ de ipsâ Ecclesiâ, quæ consideratur bifariam. 1. In Conciliis congregata. 2. Per totum terrarum orbem diffusa. Præmittendam censet Bellarminus Disputationem de Conciliis Disputationi de Ecclesiâ licet ordo naturæ contrarium suadere videatur. De his quædam proponemus.

42. Primo, *Ius generalia Concilia convocandi non est penes Ministerium Ecclesiasticum, sed penes Magistratum, & in primis penes Imperatorem.*

 43. Con-

43. Confirmamus id 1. *Ab exemplis V. Testamenti*: Nam David de arcâ reducendâ concilium congregavit 1.*Paral.* 14.*v.*1.2. Et aliud Concilium 1.*Par.*23.*v.*2. Salomon itidē concilium congregavit, 1.*Reg.*8.*v.*1. Item Josias 2.*Reg.*23.*v.*1.2. Similiter fecit Ezechias, 2.*Paral.*29.*v.*4. 2. *A potestate & authoritate* Magistratus. Nam non Papæ, sed Magistratui politico debent omnes obtemperare, *Rom.*13.*v.*1.1.*Pet.*2.*v.*13. Idque pluribus in Antecedentibus exposuimus. Ejus autem est concilia congregare, cui omnes debent obtemperare. 3. *Ab officio Ecclesiæ tranquillitatē procurandi*: Nam pacem & tranquillitatem Ecclesiæ procurare spectat ad Magistratū, 1.*Tim.*2.*v.*2. Inde Magistratus politicus custos esse debet utriusque tabulæ, Christumq; & veritatem Evangelii in ejusmodi conventibus maximè testari. 4. Ab Ecclesiæ primitivæ praxi, & exemplis. Nicænum primum Concilium congregatum est ab Imperatore Constantino Magno, Constantinopolitanum à Theodosio Seniore, Ephesinum à Theodosio Juniore, Chalcedonense à Marciano, Sardicense à Constantino.

44. Secundò, *Non tantùm Prælatis, sed etiam Laicis doctis, & exercitatis in Conciliis competit sententiam dicere.* Nam 1. In primo N.T. Concilio convenerunt *Act.*15.*v.*6. Apostoli & presbyteri, ut de eâ re dispicerent. Et v. 22. Tunc visum est Apostolis, & Presbyteris cum tota Ecclesia. 2. Concilium Universale quatenus Concilium universam Ecclesiam repræsentat. Ex eâ igitur constat. 3. In conciliis agitur de causa communi. Communis autem causa communibus votis, & viribus est juvanda, & quemlibet oportet attendere suamq; sententiam ex Scripturâ exponere, 2.*Tim.*1.*v.*12.1.*Pet.* 3.*v.*15.1.*Joh.*4.*Matt.*7. 4. Et sæpè unius hominis Laici sententia totius Concilii sententiæ est proposita.

45. Tertiò, *Imperatoris est non Papæ generali Concilio præsidere, qui jus hoc alteri committere potest.* 1. Quia Papa Romanus est pars altera litigantium quando nos accusat, vel à nobis accusatur. 2. Quia alterius partis studio ducitur. 3. Quia potestatem habet neque ut verbi Doctor, neque ut Auditor. 4. Quia primorum Conciliorum Moderator non fuit Papa, sed Imperator, quâ de re legantur *Magdeburgenses Centur.*4.*c.*7.*p.*536.

46. Quartò, *Concilia & Universalia & particularia errare possunt, tam in fide, quàm in moribus.* 1. Legantur hac de re & huc appli-

centur

centur testimonia V. Testamenti, *Esa.56.v.10. Osea 9.v.8. Ier.6.v.13. Ezech.22.v.25. Ier.14.v.14.* 2. Testimonia N. Test. *2.Pet.2.v.1. Act. 20.v.29.* 3. Exempla, ut est Concilium quadringentorum Pseudoprophetarũ, *1.Reg.22.* Concilium Judæorũ præside Caipha, *Ioh.9. v.13. & seqq. c.11.v.53. Mar.14.v.64.* &c. 4. Et si Concilia ita à Spiritu S. gubernantur, ut errare nequeant, erunt canonicis Scripturis eorum decreta paria. Absurdum hoc. Ergo.

47. Quintò, *De Scriptura non ex Conciliis, sed de Conciliis ex Scripturâ debet statui.* In confirmatione hujus propositionis, repetenda sunt ea, quæ sunt supra dicta de Scripturæ perspicuitate, & interpretatione.

48. Sextò, *Concilium est supra Papam. Seu: Papa non modò omnibus Episcopis congregatis, sed ne quidem singulis separatis est superior potestate judicandi.* Siquidem Unius Ecclesiæ tantum est Episcopus. Ergo Concilium invito Papa potest convocari, in quo Papa hæreticus damnetur.

49. 1. Quia quilibet, atq; sic etiam Petrus ipse remittitur ad Ecclesiam, *Matt.18.v.17.* Dic Ecclesiæ, &c. 2. Quia summi Pontificis authoritas, in V. Testamento non fuit major authoritate Conciliorum: Nam Abjathar à civili Magistratu Salomone propter conspirationẽ Sacerdotio privatur. Ergo nec in N. Testamento, si modo aliquis datur, quia non minus in V. Testamento, quàm in Novo, omnis authoritas ejus est à Deo. 3. Quia Ecclesia ejusmodi universalis, qualis est illa, quæ in Concilio est congregata, dicitur mater omnium fidelium, *Gal.4.v.26. Proverb.1.v.8.* Ergo est mater Papæ, si modò sit fidelis. Ergo hac Ecclesia Papa non est superior. Filius enim non anteponit se matri suæ. 4. Quia, si major est authoritas Papæ, quam generalis Concilii, frustrà Concilium congregatur, cum solus Papa præstare possit ea, & longè plura, quàm Concilium decernit.

50. Quare errant Pontificii Papam Romanum Conciliorum Præsidem, penes quem sit potestas Concilia convocandi, sententiam decisivam ferendi, constituentes.

DE ECCLESIA.

51. Tantum de Ecclesiâ in Concilio congregata: Pergimus agere de Ecclesia per totum orbem diffusa.

52. Primò,

52. Primò, *Colligatio membrorum Ecclesiæ sub regimine Pontificis Romani non est de Ecclesiæ essentiâ.* Nam 1. Ante fuit vera Ecclesia, quàm Pontifex utrumque gladium sibi adscribens sederet, ut tempore Christi, Apostolorum, & primitivę Ecclesiæ. 2. Referunt Historici duos sæpe, pluresve uno tempore sedisse pontifices, teste etiam *Bellarmino lib. 4. de Pontifice Rom. c. 14. Col. 1023.* Erant, inquit, eo tempore tres qui Pontifices haberi volebant: *Gregorius XII. Benedictus XIII. & Iohannes XXIII.* nec poterat facile judicari, quis eorum verus ac legitimus esset Pontifex, cum non deessent singulis doctissimi Patroni. Hinc inferimus. Ignorato vero Papa, ignoratur & vera Ecclesia: Ignorato enim capite, necessum est ex vi relationis ipsum etiam corpus ignorari. Et ignorato vero Pontifice necessum est Ecclesiæ veritatem ignorari (inferimus hæc ex hypothesibus Pontificiorum.) Atqui tum temporis, quando Gregorius XII. Benedictus XIII. & Johannes XXIII. simul haberi volebant pontifices, ignorabatur ver⁹ Pontifex fatente Bellarmino, ergo tùm Ecclesiæ veritas ignorabatur. Et per consequens colligatio membrorum Ecclesiæ sub regimine Pontificis Romani est incerta. 3. Num adversarius Christi, & filius perditionis, 2. *Thess. 2. v. 4.* est de Ecclesiæ essentia: Et num colligatio membrorum Ecclesiæ sub filii hujus regimine est de essentia, & definitione Ecclesiæ? 4. *Bellarminus lib. 3. de Ecclesia c. 2. & 4. Stapletonus in lib. de princip. fidei Doctr. quæst. 2. Art. 3. p. 12.* hæreticos & Apostatas ab Ecclesiæ definitione sequestrant. Quare ita argumentamur: Qui ab Ecclesia sequestrantur, sub eorum regimine vera Ecclesia non colligatur. Atqui hæretici & apostatæ ab Ecclesia sequestrantur. Ergo sub eorum regimine Ecclesia vera non colligatur. Et per consequens nulla fuit vera Ecclesia, quando sedit pontifex vel Apostata, qualis fuit Marcellinus, Johannes XII. Sylvester II. Gregorius VII. vel quando sederunt hæretici, ut: Liberius, Felix II. Anastasius II. Vigilius, Honorius I. vel quando sederunt planè athei, ut Johannes XXIII. Alexander VI. Julius II. Leo X.

53. Secundò, *Ecclesia certo quodam modo, ac respectu est, & vere dicitur invisibilis, non quidem Deo, sed hominibus propter veram fidem in corde latentem, & electionem, quæ per se humanis oculis perspici nequeunt. Vel ut cum Stapletono loquamur: Ecclesia dicitur invisibilis propter eos, qui principaliter ad Ecclesiam pertinent, hoc est, propter electos, & verè credentes.*

54. Nam

54. Nam 1. Si oculis humanis non est obvium, quinam sint verè credentes: certo modo & respectu Ecclesia dicitur invisibilis. Atqui quinam sint verè credentes, & electi humanis oculis non est obvium, idque patet ex verè credentium, & Electorum nota, ut est fidei constantia & sinceritas: Hæc qnoniam in corde latet, ideò hominibus est invisibilis: Solius enim Dei est corda scrutari, 1. *Reg.* 8. *v.* 39. Ergo Ecclesia certo respectu dicitur invisibilis, vel ita: Quinam sint verè credentes, non est obvium oculis humanis. Ergo & Ecclesia propriè & principaliter sic dicta, quæ est *congregatio Sanctorum* oculis humanis non est obvia.

55. 2. In Symbolo Apostolico profitemur: *Credere nos Ecclesiam*: Quicquid verò credimus, illud invisibile esse profitemur. Fides enim est earum rerũ, quæ non videntur, *Heb.* 11. *v.* 1. *Augustinus* dicit: *Si vides, non est fides.* Atqui Ecclesiam credimus. Ergo eam invisibilem esse, dicto jam ante sensu, profitemur. 3. Quod est in occulto, illud non est manifestum: & proinde vere dici potest invisibile. Atqui Ecclesia vera & propriè sic dicta est in occulto, *Rom.* 2. *v.* 28. 29. Non qui in manifesto Judæus est, neq; quæ in manifesto, in carne, est circumcisio: Sed qui in abscondito, Judæus est: Et circumcisio cordis. Ergo 4. Domus spiritualis, quatenus talis, est invisibilis. Atqui Ecclesia propriè sic dicta est domus spiritualis, 1. *Pet.* 2. *v.* 5. Et ipsi tanquam lapides vivi ædificemini, domus spiritualis, Sacerdotium. 5. Ergo est invisibilis. Nam quæ exquisitè loquendo sunt Spiritus, objectum sunt fidei, & non oculorum, & ob id non videntur, sed creduntur.

56. 5. Vera & propria Ecclesiæ gloria, & regni Dei veritas est intrinseca, *Psal.* 45. *v.* 14. Omnis gloria filiæ regis est ab intus. Huc referunt & illud *Luc.* 17. *v.* 21. Regnum Dei intra vos est. Ergo Ecclesia vera & propriè sic dicta hoc respectu est invisibilis. Illa enim tantum videntur, quę per medium visui nostro exponuntur. *Augustinus lib.* 5. *de Baptis. contra Donatistas cap.* 27. Omnis pulchritudo, inquit, filiæ Regis intrinsecus, in quibus est numerus certus sanctorum prædestinatorum ante mundi constitutionem. 6. Huc pertinet manifestissimum & apertissimum illud exemplum Ecclesiæ Israëliticæ tempore Eliæ, 1. *Reg.* 19. *v.* 18. Respondet enim Jehova Eliæ, reservavi mihi in Israël 7000. hominum, quorum genua non curvaverunt se ipsi Baal. Quare ita colligimus: Ecclesia tempore

Eliæ aut erat visibilis, aut certo respectu invisibilis. Atqui non erat visibilis, quia nec ipsi quidem Eliæ fuit visa. Ergo certo respectu erat invisibilis.

57. Subjungimus, discrimen Ecclesiæ visibilis, & invisibilis, non esse contradictoriorum, sed subalternorum: Ecclesia enim invisibilis continetur sub visibili vocatorum congregatione. Deinde Ecclesia dicitur visibilis propter verbi prædicationem, & Sacramentorum usum; Invisibilis respectu veræ fidei & Electionis, vel visibilis dicitur respectu materiæ; Invisibilis respectu internæ formæ. Tertiò, Discrimen igitur Ecclesiæ visibilis, & invisibilis tollebât tunc Pontificii, quando sustulerũt discrimen Electorum, & vocatorum. Quartò, potest quidem aliquod judicium fieri ex effectis sive bonis operibus de Ecclesiâ invisibili, sed illud tantum est probabile, & non infallibile. Denique Ecclesiam propriè sic dictam invisibilem esse propugnamus, non quasi phantastica, & Enthusiastica Ecclesia sit credenda; Sed ut occurratur Pontificiis, qui non aliter describunt Ecclesiam, ac si esset externa, & visibilis Respub. consistens in ordinariâ Prælatorum successione, & Magnificis ceremoniis.

58. Tertiò: *Quamvis Ecclesia universalis actu nunquam erret, attamen Ecclesia absolutè spectata non ita regitur à Spiritu S. ut nunquam in illis, quæ ad fidem spectant, errare possit.* Nam 1. Prophetæ, Christus, Apostoli, & reliqui ministri monent, ut ab errore sibi caveat. Quæ adhortationes non sunt frustraneæ. 2. Annón Adamus & Eva graviter sunt lapsi, & errârunt? 3. Ecclesiam etiam tempore Patriarcharum errasse, docetur, Gen. 6. & 7. 3. Post diluvium eadem erravit, quando à Deo ad idola se convertebat, *Ios.* 24. *v.* 2. Similia leguntur exempla *Exod.* 32. *v.* 1. *Iud.* 2. *v.* 10. *Ezech.* 16. *v.* 51. 1. *Reg.* 14. *v.* 22. 2. *Paral.* 21. 22. 24. *Esa.* 42. *v.* 19. *Dan.* 9. *v.* 11. 4. Ecclesias N. Testamenti errare posse, & aliquando errasse, nempe Corinthiorũ, Romanorũ, Galatarum, Ephesiorum, patet vel ex Epistolarum Ecclesiis his inscriptarum inspectione. Absolutè igitur verum nõ est, Ecclesiam non posse errare. 5. Annón Ecclesia militans ex parte cognoscit, 1. Cor. 13. v. 3. Qui verò ex parte cognoscunt illi errare possunt. 6. Non illud est impossibile, quod Spiritus S. prædixit. At prædixit futurum, ut Ecclesia in errorem labatur, *Matth.* 24. *v.* 24. *Act.* 20. *v.* 30. 1. *Tim.* 4. *v.* 1. 2. *Pet.* 2. *v.* 1. *&* 2. *Ergo.*

59 Quar-

59. Quartò, *Ecclesia vera non semper est clara, & splendida, sed sæpè ita deficit, ut licet sit superstes, tamen externum amittat splendorem, & lucem, in latebras se abdat, & in paucis hominibus consistat.*

60. Idque probamus 1. ab Ecclesiâ Judæorum regni Israëlitici, 1. *Reg.* 19. *v.* 10. *&* 14. 2. A testimoniis Scripturæ, 2. *Paral.* 28. *v.* 24. 2. *Reg.* 16. *v.* 10. 11. *Ierem.* 2. *v.* 26. *Luc.* 18. *v.* 8. 2. *Thess.* 2. *v.* 3. 3. à temporibus illis, quibus ipse vixit Christus. Nam tempore Christi Ecclesia vera in paucis & obscuris erat hominibus. 4. à simili: Nam simile est regnum cœlorum thesauro occultato in agro, *Mat.* 13. *v.* 44. 5. *A persecutionibus* & hæresibus: Siquidem hæ sæpè veram Ecclesiam ita offuscant, ut ubi sit ignoretur.

61. Si quis igitur ex nobis petat, *ut digito ostendamus, ubi, & quo in loco olim nostra fuerit Ecclesia?* Resp. 1. Ecclesiam aliquando deficere posse amittendo externum splendorem. Facies igitur Ecclesiæ non semper est una & eadem. 2. Non fuisse quidem ipsum Papatum, licet fuerit durante Papatu, & quidem partim in Cœtu Pontificiorum, partim extra eum. In Cœtu Pontificiorum erant, infantes, assertores seu confessores Martyres, moribundi. Extra eum erat Ecclesia Græcorum, quæ Pontifici Romano sese opponebat, eumq; quotannis excommunicabat. Et Ecclesiæ Orientales aliæ.

62. *Quis, inquis, idem ante Lutherum docuit, quod ipse & voce & stylo propugnavit?* Resp. 1. Prophetæ, Apostoli, & Ecclesiæ primævæ ab Apostolis fundatæ. 2. Sanguine Martyrum meretrix babylonica ebria est facta. 3. Officium aliud est fidei, & aliud historicæ observationis: Credimus Ecclesiam Catholicam, & Apostolicam. Est igitur illud fidei, & non sensuum.

63. *Pergis, quando, inquiens, Papa à veritate Prophetica, & Apostolica defecit?* Resp. 1. Alia est mutatio lenta & alia subita: hæc fit tempore uno, hominibus observantibus; illa à plurimis, hominibus dormitantibus: Diabolus spargit Zizania hominibus dormientibus, *Matt.* 13. *vers.* 24. Et serpentino motu prorepit. 2. Aliud est quærere de errorum horum seminibus, quæ sunt sparsa tempore Apostoli Pauli 2. *Thess.* 2. Et aliud de ipsa segete; Sed hæc alibi exponemus fusius, ostensuri successivè Pontifices excogitasse & præcepta culinaria, & curialia, ut ad scopum sibi propositum possent pervenire;

atq; ita semina illa successivè in perfectam excrevere segetem. *Petrus de Aliato Cardinalis Cameracensis in Concilio Constantiensi anno* 1417. Manifestum, inquit, est quod longo jam tempore Ecclesia Romana fuit multipliciter deformata: Indiguitque, & nunc maximè indiget, ut in fide, & moribus reformetur.

63. Quintò, *Pura & sincera verbi divini prædicatio, atque legitimus Sacramentorum usus sunt veræ Ecclesiæ notæ.* Nam 1. Sincera verbi prædicatione, & legitimo Sacramentorum usu Ecclesia vera gignitur, & conservatur, *Matth.28. vers.19. 1.Cor.14. vers.11. Tit.3.v.5. 1.Pet.1.v.23. Iac.1. v.18.* Sunt igitur veræ Ecclesiæ notæ. 2. Notæ hæ Ecclesiæ verę soli, & semper conveniunt. *Bellarminus dicit, libr.4.c.12.* Sola vera Ecclesia habet doctrinam immaculatam. 3. Christus & Apostoli has Ecclesiæ notas tradunt, *Ioh.8. v.47.c.10 v. 27.Gal.1.v.8.2.Ioh.7.v.9.10.*

64. Nota, 1. esse eas Ecclesiæ veræ visibilis notas, sub quâ continetur Ecclesia invisibilis. 2. Esse eas causam instrumentalem Ecclesiæ gignendæ: formalem si attendatur modus, dum Ecclesia discit: (Modum enim, qui rei generaliter sumptæ accidit, rei, ut sic est, nonnulli formam constituunt.) Officium, & effectum Ecclesiæ constitutæ. 3. Discernendos esse errores, qui admiscentur doctrinæ Evangelicæ ab ipsâ doctrinâ Evangelicâ: Aliud enim est error Doctoris, & aliud error doctrinæ. 4. Ecclesiam in puritate suos habere gradus, non aliter ac luna sua habet decrementa, & incrementa.

65. Si quis igitur quærat, *quænám sit vera Christi in his terris Ecclesia.* 1. Respondemus ex notis his, eam esse veram Ecclesiam, quæ amplectitur sincerè doctrinam Propheticam & Apostolicam sacris literis comprehensam; Et legitimè secundum ipsius Christi institutionem administrat Sacramenta. Atqui Ecclesia Lutherana, quàm sic vocant, sincerè amplectitur doctrinam Propheticam, & Apostolicam Sacris literis comprehensam, administratque legitimè secundum ipsius Christi institutionem Sacramenta, Baptismum & Cœnam Domini; Non pontificia, ut hac ipsa breviter ostendere conamur Disputatione. Ergo.

DE CLERICIS.

66. Consideratis quæstionibus controversis de Ecclesia in

sia in genere, sequitur, ut perspiciamus controversias de membris Ecclesiæ. Sunt verò membra Ecclesiæ, docentes, vel discentes. In docentibus requiritur legitima ad munus Ecclesiasticum vocatio, & fidelis administratio. Quomodo enim prædicabunt, nisi missi fuerint? *Rom.* 10. *v.* 15. Inter docentes conceditur quidem ordo officiorum, sed non potestatis, & jurisdictionis. Sunt igitur docentes vel primarii, & Superintendentes; vel secundarii, ut Diaconi & Subdiaconi. De his itidem præcipuas controversias percurremus.

67. Primò, *Vocatio & Electio ministrorum pertinet ad totam Ecclesiam, non ad solos Episcopos, nec potissimum ad summum Pontificem.* 1. Quia toti Ecclesiæ sunt datæ claves regni cœlorum, *Matt.* 18. *v.* 18. Dic Ecclesiæ. Et: Quæcunque ligaveritis in terra, erunt ligata in cœlo. Penes totam igitur Ecclesiam est, vocare Ecclesiæ ministros, eo nimirũ ordine, qui in scriptura est expressus. Ratio consequẽtiæ colligitur ex descriptione claviũ. 2. Quia totius est Ecclesiæ discernere sinceros Doctores à seductorib. audire sanam doctrinã, fugere Pseudoprophetas, probare Spiritus num ex Deo sint, *Matth.* 7 *v.* 15. *Gal.* 1. *v.* 8. & passim alibi. Ergo totius est Ecclesiæ ministros verbi vocare. 3. Quia eam vocandi rationem ostendit præscriptio, & praxis Apostolica. De præscriptione legatur Apostolus Paulus. 1. *Cor.* 16. *v.* 3. 1. *Tim.* 3. *v.* 7. 1. *Tim.* 5. *v.* 22. praxin Apostolicam ostendũt exempla, ut in electione Matthiæ, *Act.* 1. *v.* 23. In ordinatione Diaconorum *Act.* 6. *v.* 3. In constitutione Presbyterorum, *Act.* 14. *v.* 27. 4. Quia quod ad totam Ecclesiam spectat, id una, aut altera pars sibi non debet arrogare, nec rapere. Jus igitur illud vocandi non est penes solos ministros, nec penes solum magistratum, neque penes promiscuam tantum multitudinem, sed penes totam Ecclesiam.

68. Atque hic vocandi modus in bene constitutis observatur Ecclesiis observato tamen legitimo ordine. Distinguuntur igitur â nonnullis Ecclesiæ membra hoc pacto, ut primæ partes in vocatione verbi ministri adscribantur Presbyterio: Secundæ magistratui politico. Tertiæ reliquæ multitudini. Vel bimembris fieri potest divisio nimirum in presbyterium, & populum. Et populus distribui in magistratum & plebem; presbyterii nomine intelliguntur omnes illi, qui ab Ecclesia ad functiones Ecclesiasticas

sunt deputati, ut homines, Præpositi, &c. adeoque Senatus Ecclesiasticus, sed in ejusmodi ordine habenda est ratio circumstantiarum, & conditio loci. Addimus intelligenda ea esse de vocatione non immediatâ, sed mediatâ.

69. Secundò, *Commune docendi ministerium distinguendum est à singulari reformationis opere.* Quod attinet prius, primò negare non possunt Pontificii, LUTHERUM cum adhuc Papismo adhæreret, ordinario, & legitimo modo esse ad functionem Ecclesiasticam vocatum anno ætatis 24. eique officium docendi & Sacramenta administrandi commendatum. Secundò ordinariè consentiente & confirmante electore Friderico vocatus est à Johanne Staupitio Wittebergam ad docendum in Ecclesia & Academia. Tertiò ex Cæsarea & pontificia potestate Doctor est creatus, ubi ipsi est injunctum; ut doctrinam Propheticam, & Apostolicam constanter propugnaret, & defenderet, idque præstito juramento facturum se sanctè promisit. Posterius quod attinet, res ipsa ostendit, singulari & heroico spiritu ipsum rem tantam aggressum esse, idque Deo propitio sufficienter docuit.

70. Tertiò, *Deus à conjugio nullum hominem, quem ad illud fecit idoneum, vult arceri sive repelli.* Necessarium igitur non est, ut sacerdotes sint cælibes, quia ipse Jehova dicit, non est bonum, hominem esse solum, Gen. 2. v. 18. Quod autem prædicatur de genere, idem etiam prædicatur de specie, & quod verum est de specie, idem verũ est de individuo. 2. Conjugio Deus variis modis benedixit. Sacerdotibus igitur illo non interdixit, nec prohibitio ulla est expressa. 3. Quia ipsa natura homines ad conjugium formavit. 4. Quia hic vitæ status est medicina contra fornicationem, & vagas libidines, 1. *Cor.* 7. *v.* 2. 5. Quia in honesto matrimonio homines vivere possunt absque carnis actionibus, 1. *Cor.* 7. *v.* 6. 6. Quia Veteris Testamenti sanctissimi quique viri, Patriarchæ, Prophetæ, Reges, summi Pontifices, Sacerdotes, Levitæ, cæterique Judæi divinam hanc ordinationem cupidè fuerunt amplexi, & venerati, ut: Henoch, *Gen.* 5. *vers.* 21. Noah *Gen.* 6. *vers.* 9. Melchisedech, *Gen.* 11. *vers.* 10. Abraham, *Gen.* 20. *vers.* 7. Aaron Sacerdos, *Exod.* 6. *vers.* 23. Ezechiel Propheta, *Ezech.* 24. *vers.* 16. Zacharias Sacerdos, qui *Luc.* 1. justus & irreprehensibilis vocatur. 7. Quia primimæva sancti matrimonii institutio in N. Testamento à Christo est repetita,

tita, & absque exceptione commendata. 8. Quia in Novo Testamento, ubi regulæ piè, & castè vivendi præscribuntur maritis, uxoribus, liberis, nuspiam traditur differentia inter eos, qui sunt in Ecclesiæ ministerio constituti, & alios quosvis Christianos. 9. Quia ex Apostolis, & reliquis Christi discipulis nonnulli fuerunt conjugati: Petrus enim vixit in conjugio, 1. *Cor.* 9. *vers.* 5. Habuit socrum, *Matth.* 8. *vers.* 14. *Marc.* 1. *vers.* 30. *Luc.* 4. *vers.* 38. Philippi Ecclesiæ ministri filiæ quatuor numerantur, *Act.* 21. *vers.* 10. Paulo & Barnabæ conjugio non fuit interdictum, 1. *Cor.* 9. *vers.* 5. 9. Quia Christus conjugium approbat, & commendat, *Matth.* 19. *vers.* 4. Sua divina præsentia, & miraculo nuptias cohonestat, *Ioh.* 2. *vers.* 2. Conjugatos in collegium venerandum Apostolicum assumit, *Matth. vers.* 14. Liberos dulcissimè amplectitur, *Matth.* 18. *vers.* 2. Sextum Decalogis præceptum à variis corruptelis vindicatum diligenter exponit, *Matth.* 5. *v.* 27. 11. Quia Apostolos, *Honorabile*, inquit, est conjugium *inter omnes.* 12. Quia Apostolus Paulus Episcopis de conjugio, & liberis educandis præcepta proponit, 1. *Tim.* 3. *v.* 2. *Tit.* 1. *v.* 5. 6. & 7. 13. Quia prohibitio conjugii est nota Antichristi. 1. Tim. 4. v. 3.

71. Quare aliud est, esse per se cultum Dei, & aliud ad eum quadantenus referri, seu ipsi inservire: Cœlibatus commendatur in personis idoneis, non quasi per se sit cultus Dei, sed propter finem utilem. In doctrina igitur de cœlibatu inprimis observandæ sunt veræ causæ finales, quæ petendæ sunt non ex intentione propria, sed ex intentione scripturæ, quæ tres proponit, prima est instans necessitas, 1. *Cor.* 7. *vers.* 16. Secunda carentia solicitudinis, & molestiarum, quæ in conjugio objiciuntur, 1. *Cor.* 7. *v.* 28. & 32. Tertia est remotio avocamentorum à continua oratione, & eorum, quæ religionem concernunt, 1. *Cor.* 7. *v.* 32. 34. 35.

72. Quartò, *Originem Monachatus nonnulli viri docti petunt à gravissimis persecutionibus in primitivâ Ecclesia à tyrannis institutis, differentia autem inter veteres, & recentiores Monachos esse maximam, nos certò statuimus.*

73. Docent Historici ferè omnes, cum graves persecutiones moverentur, anno Christi 260. contra Christianos, & hi miserè trucidarentur, fugisse nonullos ad loca deserta, ut se occularent, & persecutiones effugerent: Hi verò ob strenuam, quam age-

agebant vitam posteà suspiciebantur, & ab omnibus celebrabantur. Inde Monachatus refertur ortus. Idque his verbis refert *Sozomenus lib.* 1. *Histor. Eccles. c.* 13. *p.* 47. Memorant alii persecutionum procellas, quibus religio Christiana variis jactabatur temporibus, homines ad hoc vitæ genus suscipiēdum impulisse: Nam cum fuga facta, in montibus, solitudinibus, & sylvis ætatem agerent, huic vivendi rationi paulatim sunt assuefacti. Idem testatur *Hieronymus in vita Pauli Eremitæ: Et Mantuanus lib.* 1. *in vita Blasii. Conferatur Centuria Magdeburgen.* 4. *c.* 6. *p.* 476.

74. Lubet adjicere sententiam *Polydori Virgilii lib.* 7. de invent. rer. c. 1. Olim inter multos, inquit, teste Hieronymo quæsitum est, à quo potissimum eremus sit primùm habitari cæpta: Quidem enim altius repetentes, Heliam & Johannem Baptistam ejus rei autores faciunt: Sed ut is plus quàm Propheta, ita ille plus quã Monachus censeri debet, alii Antonio assignant, alii cuidam Paulo Thebæo, ob id ipsum primo eremita nuncupato, quod Anachoreticæ vitæ primus fundamenta jecisset, id quod vel Hieronymus comprobat. Hunc igitur veluti exemplar, illum ut exemplum ad imitandum fuisse dicunt. Ego verò quando in re ambigua unicuiq; liberum est conjectare, crediderim, institutum monasticæ vitæ ab Essæis, sive Essenis, ita appellat Plinius, quorum secta apud Judæos admodum celebris habita est ad posteros manasse, quoniam illi ferè per omnia eam ducebant vitam, quam inter nos Monachi ex præscripto legum agere solent. Comprobant hanc sententiam *Magdeburgenses centur.* 5. *c.* 6. in primis si de multiplicatione collegiorum intelligatur.

75. Utut sit, sive Antonius fuerit primus Monachus in Ægyptia, Basilius in Græcia, Hilarion in Syria; hoc omninò est certissimum, summam esse differentiam inter veteres & hodiernos Monachos. Nam 1. illi ob persecutiones gravissimas profugerunt ad loca deserta; Hi incænobia ob ventrem & gulam se recipiunt. 2. Illi nulli erant oneri, manuum laboribus sibi necessaria acquirebant; hi alios onerant, vitamque delicatam agunt. 3. Illorum cænobia erant scholæ, & virtutum gymnasia, teste *Possidonio* in vita Augustini cap. 11. & *Basilio Magno Tom.* 2. *c.* 15. Horum cænobia non item. 4. Illi inter pauperes sua bona distribuebant: Hi in eo sunt toti, ut aliorum bona ad se attrahant. 5. Illi angustas inhabitabant cellulas, redi-

redituſque & vectigalia non expectabant: Hi auguſtiſſimas incolunt ædes, &c.

76. Quintò, *Conſilia non tradiderunt Apoſtoli præceptis Decalogi ſuperiora, per quæ poſſit homo obtinere bona æterna.*

77. Fundamenta ſtatus Monaſtici finguntur eſſe conſilia Evangelica. Unde diſtinguunt inter præcepta & conſilia, & hæc illis præferunt, hominemque per ea bona æterna obtinere poſſe aſſerunt. Verum diſtinctionem ipſorum omninò improbamus. 1. Quia fingunt poſſe legi Dei mediocri diligentia à nobis ſatis fieri. 2. Poſſe hominem aliquid ſupererogare. 3. Poſſe homines præceptorum obſervatione vitam æternam promereri.

78. Diſtinctionis verò ratio inter præcepta, & conſilia peti poteſt 1. *à forma*, quia præceptum obligat, conſilium ſuadet. 2. *à ſubjecto*, quia præceptum ſpectat omnes, conſilium paucos. 3. *à finibus*: Conſilia enim ſpectant inſtantem neceſſitatem, & non ipſum eſſe, ſed modum ipſius eſſe.

79. Quod conſilio ſuadetur, voto promittunt Pontificii: Hinc hoc loco de votis etiam agitur. Eſt votum definiente Bellarmino *lib. 2. de Monachis c. 14.* religioſa promiſſio alicujus excellentioris boni, Deo facta, libera voluntate.

80 Verum votum eſt duplex, pium & impium. *Pium votum eſt, quod fit à perſona libera de re aliqua licita, & ſancta, quæ eſt in noſtra poteſtate, Gen. 28. v. 20. Levit. 27. v. 2.* Et hoc eſt commune, quod fit in Baptiſmo: vel ſingulare, ut mater Samuelis voto addixit filium divino miniſterio, 1. *Sam. 1. v. 11.*

81. *Impium votum eſt, quod fit à perſonis non ſui juris de re impoſſibili, & male ſuſcipitur fine.* Hujuſmodi ſunt vota Pontificiorum.

82. Sextò, *Monachorum ordines non ſunt cultus per ſe* DEO *placentes.* In aſſertionis hujus declaratione duo notamus. Primum eſt de ipſo ſtatu. Secundum de nominibus ordinum. Ipſe ſtatus diſplicet DEO. 1. Quia propria intentione, & mandatis hominum eſt ſuſceptus: Teſtibus enim ipſis Pontificiis opera Monachorum ſunt indebita. Omnis autem cultus propria intentione ſuſceptus diſplicet DEO, *Eſa. 29. verſ. 13. Matth. 15. verſ. 9. Marc. 7. verſ. 7.* 2. Quia à cultu humano dehortatur Apoſtolus,

Col. 2. *verſ.* 20. 3. Quia quid illi aliud agunt, quàm ut clamitent, hic eſt Chriſtus, illic eſt Chriſtus. Ab ejuſmodi verò hominibus dehortatur Salvator, *Matth.* 24. *verſ.* 23. 4. Et num Monachi inſervire poſſunt parentibus ſenio confectis, ipſiſque ſuccurrere, ut monentur liberi, *Marc.* 12. *verſ.* 12. Annón quartum violant præceptum? Nomina, quæ ſibi imponunt, ut quod ſe denominent vel à Franciſco, vel à Benedicto, vel ab Auguſtino, &c. apertè pugnant cum teſtimonio Apoſtoli, 1. *Cor.* 1. *verſ.* 12. Garriunt enim ſe in doctrina ipſa conſentire. Quid igitur eſt cauſæ, quod ſe à diſtinctis patribus nominent, atque ſic nominibus ſe diſcernant?

DE LAICIS.

83. Sequitur tertium Eccleſiæ membrum, ut ſunt Laici, ſeu ſeculares. His additur membrum ab Eccleſia præciſum, ut ſunt hæretici: Deguſtabimus & de his pauca.

84. Primò. *Non tantum ad verbi miniſtros, ſed etiam ad magiſtratum pertinet judicium de religione.* Nam omnes homines debent ſibi cavere à Pſeudoprophetis, *Matth.* 7. *verſ.* 15. Non debent Pſeudoprophetis credere, *Matth.* 24. *verſ.* 26. Canes debent obſervare, *Phil.* 3. *verſ.* 2. Spiritus debent probare, 1. *Iohan.* 4. *verſ.* 1. Doctrinis vanis, & peregrinis non permittant ſe circumferri, *Hebr.* 13. *verſ.* 9. Omnium igitur Chriſtianorum eſt ratione donorum ſibi conceſſorum de religione judicare. Ergò & ipſius Magiſtratus, Regum, Principum: Sed de his in loco de Conciliis jam ante eſt dictum.

85. Secundo, *Imperator & Principes non ſunt de jure ſubjecti Papæ: Sed Papa Imperatoris & Principum juriſdictioni.* 1. Officium enim Eccleſiaſticum non debet confundi cum officio politico. 2. Regnum ſuum dixit, Chriſtus non eſſe de hoc mundo. 3. Cæſari tributum dari juſſit *Luc.* 22. *verſ.* 21. 4. Pro ſe & Petro ſolvit, *Luc.* 12. *v.* 14.

86. Tertiò, *Quamvis duplici cenſura in hæreticos animadverti debeat, Eccleſiaſtica & civili: Non tamen, niſi manifeſta vitæ integritate, & blaſphemia in Deum directa peccarint, ſunt interficiendi.*

87. Eccleſiaſtici tres obſervare debent gradus, ut ſunt 1. σκέψις diligens obſervatio, & inquiſitio ex certis notis, petenda, ne innocentes habeantur pro reis, *Rom.* 16. 2. Ἔλεγχος καὶ ἀνάθεσις falſæ

falsæ doctrinæ seu facti pravi correptio, & admonitio. Monstrandi enim errores ex apertis scripturæ testimoniis, & quidem non semel, sed sæpius *tit.3.verſ.* 10. Hæreticum hominem post unam, & alteram correptionem devita. Vult enim Apostolus ipsi dari spatium ad meditandum, & considerandum periculum suum, & totius Ecclesiæ. Et orthodoxi ministri aliquandiu ferant morosos istos novorum dogmatum inventores 2.*Timot.2.verſ.* 25.3.*Excommunicatio.* τὸ ἀποτειχίσαι, *Tit.3.v.*10. vel ἐκκλίνειν, *Rom.16.* Exclusionem hanc vocat Apostolus actum, quo reus traditur Satanæ ad interitum carnis, ut spiritus salvus fiat, 1.*Cor.5.*

88. *Quamvis magistratus politicus in hæreticum simplicem sufficienter ab Ecclesia judicatum debeat animadvertere, ipsum coërcere ex functione sua pellere, proscribere, ut desinat hæresin propagare, & ne amplius eo in loco nocere queat: Non tamen eum curabit interficiendum.* 1. Quia de Ecclesia Novi Testamenti est prædictum, quod sine cæde, & sanguine Doctrina Evangelica sit propaganda, *Esaiæ* 11. *verſ.* 6.9. Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, &c. Non nocebunt, non occident in universo monte sancto meo, quia repleta est terra scientia DOMINI. 2. Quia nullum in N.T. de hæreticis interficiendis habemus mandatum. Thomas igitur Aquinas, cum græcâ non intelligeret linguâ, illud *Tit.3. verſ.*10. hoc modo corrupit, *hæreticum hominem de vita scilicet tolle.* 3. Quia zizania non evellamus, sed crescere permittamus. *Matth.*13.*verſ.*30. Sinite pariter crescere zizania, & triticum usque ad messem. verſ. 29. Ne, dum colligatis zizania eradicetis simul cum illis triticum: Et hanc evulsionem ad Angelos in extremum usque diem remittere, nos debere docet ibidem Christus. verſ. 30. Quos igitur relinquere jubemur, illorum interfectio prohibetur. Atqui hæreticos cum orthodoxis relinquere jubemur. Ergo. Deinde, quod interdicitur hominibus, & præcipitur Angelis, ab illo abstinebunt homines. Atqui extirpatio zizaniorum, hoc est, hæreticorum interdicitur hominibus, præcipitur verò Angelis. Ergo. 4. Quia Samaritanos infideles ad petitionem discipulorum igne de cœlo descendente exuri renuit, *Luc.*9.*v.*34. Argumento ex discrimine utriusque Testamenti ducto additoque gravi correctione. Nescitis, cujus spiritus filii sitis. Christus noluit Samaritanos igne cælit⁹ revocato à suis discipulis perdi,

eò *quod essent discipuli filii sui , & quod veniſſet non ad perdendum, ſed ad ſervandum.* Ergo non vult, ut hæretici in Novo Teſtamento interficiantur. 5. Quia cultus religioſus debet eſſe ſpontaneus , non coactus , populuſque DEI voluntarius, *Pſalm.*10. *verſ.*1. Ad religionem igitur nemo debet cogi. 6. Docet idem praxis primitivæ Eccleſiæ : Nam hæretici, ut Neſtorius, Arius, & alii fuerunt quidem proſcripti , ſed non interfecti. *Auguſtinus libr.*3. *contra Creſcentium cap.*5. Nullis bonis, inquit, in Eccleſia hoc placet , ut uſque ad mortem in quemquam licet hæreticum ſæviatur. *Et Epiſtol.*127. *ad Donatum,* corrigi, ait, eos cupimus, non necari.

89. Nota, delicta hæreticorum eſſe vel hæreſes, vel manifeſta flagitia, quæ à magiſtratu corporali pœnâ rectè puniuntur. Vel hæretici ſunt aut ſimplices, aut ſimul ſeditioſi, & blaſphemi. Hæreticus ſimplex falſam doctrinam ſimpliciter propugnat: hæreticus ſimul ſeditioſus turbas movet , ſeditionemque excitat , vel indubitatam & martyrum ſanguine confirmatam doctrinam apertè & directè blaſphemat: In talem magiſtratus meritò capitali ſupplicio animadvertit , non ob hæreſin , ſed ob motam ſeditionem.

DE PVRGATORIO.

90. *Atque ita de Eccleſia militante in terris diſſeruimus : Nunc diſputandum eſt de ea, quæ ex opinione Pontificiorum degit ivfra terram diverſis in locis.*

91. Sit igitur aſſertio prima : *Dogma de purgatorio pontificium non eſt Chriſtianum , ſed figmentum ſive Poëticum, ſive Philoſophicum à gentilibus ſcriptoribus ad calefaciendas culinas miſſificorum, & mirabiliter conflandas opes mutuò acceptum.*

92. Nam. 1. nullum dictum hactenus Pontificii afferre potuerunt, quod vel nomen *Purgatorii* exprimat, vel definitionem ejus qualemcunque contineat, vel etiam conſiſtere poſſit cum opinione pontificia. Certè, ne quidem veriſimile eſt in tot exequiarum, & ſacrificiorum deſcriptionibus, quot enumerantur à Moſe, iſtius *purgatorii* , ſi daretur, nullam mentionem explicitam factam eſſe. Quinimo, variè extant communicationes pœnarum paſſim in ſcriptura, ut *Levit.*26. *Deut.*28. Sed ubi quæſo ulla explicitè facta eſt mentio pœnæ *purgatorii.* Denique Apoſtolus 1. Theſſ. 4. verſ. 13.

De statu mortuorum interrogatus, eumque explicans, si daretur Purgatorium vel aliquam ejus mentionem injeciſſet. 2. Duo tantum ſunt hominum genera, credentes, & non credentes, ſeu increduli, *Mar.16.v.16. Ioh.3,v.18.* Et univerſa Scriptura Sacra nullum agnoſcit medium inter Deum & Diabolum, cœlum & infernum, vitam æternam & damnationem. Unde hæ ſunt maximæ Theologicæ. *Quicunque verâ fide in Evangelio Chriſtum amplectitur, ille à Deo diligitur, & non condemnatur, ſed habet vitam æternam; Quicunque in Chriſtum non credit, jam condemnatus eſt, cum Diabolo eſt, qui non eſt cum Chriſto.* 3. Repugnat Chriſti merito: Chriſtus enim ſolus ſalutem nobis promeruit, & purgat à peccatis, *Heb.9.v.12.cap.10.v.12.14.1.Ioh.1.v.7.Eph.5.v.26. Act.4.v.12.c.10.v.43.cap.15.v.9.*

93. 4. Repugnat ejus honori, quia honorem ſatisfactionis pro peccatis & pœnis, & interceſſionis apud Deum, nec non religioſæ invocationis communem facit cum aliis ſanctis. 5. Repugnat tempori liberationis à peccatis: Tempus enim liberationis à peccatis & peccatorum pœnis circumſcribitur tantum hujus vitæ terminis, *Gal.6.v.10. Heb.9.v.27.2.Cor.5.v,10. Matt.5.v.25.*

94. 6. Convellit doctrinam de oblatione & collatione divinæ gratiæ per Verbum & Sacramentum: Hæc enim reſpectu Dei tantum ſunt inſtrumenta gratiam divinam offerentia & conferentia. Quicunque igitur Verbum Dei nequeunt audire, & Sacramentis uti, iis gratia divina, & meritum Chriſti nequit offerri & conferri. Tales autem ſunt, qui ex opinione pontificia vivunt in Purgatorio. Ergo. 7. Parit infinitas ſuperſtitiones, quæ huc tendunt, ut varia ſuſcipiantur perficienda pro defunctis ex Purgatorio liberandis, ut ſunt, indulgentias emere, ad loca Sanctorum peregrinationes inſtituere, pecuniam pro ſacris anniverſariis erogare, &c. 8. Parit abuſus, in primis in loco Sacræ Cœnæ, quæ pro defunctis offertur. At Chriſtus eam inſtituit ut manducetur & bibatur. 9. Comparatum eſt ex figmentis Ethnicorum, Homeri, Platonis, Ariſtotelis, Virgilii, Ovidii, & Alcorani Turcici, qua de re videatur ipſe *Bellarminus lib.1.de Purgator.c.11.* 10. Conſultum eſt ex apparitionibus Dæmonum, ſeu animarum, quæ ſe in Purgatorio eſſe renunciaverunt, atque opem à vivis implorâverũt, conferatur *Bellarminus lib.1.de Purgat.c.11.* 11. Suis partibus non cohæret, videre id eſt ex ipſis duobus Bellarmini libris, in quibus

passim adversæ papisticorum scriptorum opiniones recitantur. 12. Convellit testimonia Justificationis. Qui enim credit in judicium non venit, sed transit à morte in vitam, *Ioh.6.* Habet vitam æternam, *Ioh.11.v.26.* Et justificatus habet pacem cum Deo *Eph.2.v.8.* Ergo non adjudicatur ipsi Purgatorium. 13. Christus igitur dicit Latroni credenti; Hodie mecum eris in Paradiso, *Luc.23.v.43.* 14. Et vivi credentes in ultimo die immittentur rectâ in vitam æternam; increduli in ignem æternum, *Matt.25.*

95. Quare improbamus figmenta de igne pontificiæ purgationis, propugnantes ignem probationis & tentationis, quem passim inculcat Scriptura agens de cruce Sanctorum, cui sunt subjecti per totum vitæ curriculum.

96. Assertio secunda: *Orat quidem rectè vivus pro vivo, ut ut hujus Deus misereatur, pœnamq; temporalem mitiget, instrumentumque Salutis concedat. At vivum pro mortuo rectè orare, ut Deus peccata ipsi remittat, atque ita ipsum pro peccatis huius satisfacere posse, & ex Purgatorio liberare pernegamus.* 1. Quia Purgatorium non datur. Ergo nemo in illo suffragiis piorum juvatur. 2. Quia universum tempus consequendæ veniæ, & liberationis à peccatis, & peccatorum pœnis circumscriptum est præsentis hujus vitæ terminis, *2.Cor.6.v.2. Gal.6.v.10. Heb.4.v.7. 1.Cor.7.v.24.* 3. In morte desinit tempus gratiæ, *Heb.9.v.27. Eccles.11.v.3.* Ergo nulla post eam mutatio, vel liberatio est speranda. 4. In novissimo die quisque reportabit ea, quæ facta sunt, per corpus, *2.Cor.5.vers.10.* Post mortem igitur nihil merentur homines. 5. Unusquisque onus suum portabit, *Gal.6.* De oleo suo dare non possunt virgines prudentes virginibus fatuis, *Matt.25.* Aliorum igitur neque suffragiis, neque operibus juvantur pii.

97. Assertio tertia, *Infernum esse alicubi, docet Scriptura, Deut.32. Psal.10. Esai.66. Matt.5. & 25. At ubi sit, nuspiam tradidit figmentum pontificium, quo statuitur, esse eum locum physicum, & quidem subterraneum, passim refellit.* 1. Quia, ubi sit, nuspiam definit. 2. Quia omnes res creatæ physicè seu corporeæ sunt subjectæ vanitati, *Rom.8.v.20.* Ergo & infernus si est locus subterraneus physicus. 3. Quia omnes res creatæ corporeæ suspirant, manifestationem filiorum Dei, & sui dissolutionem expectant; *Rom.8.* 4. Quia

terra

terra secundum substantiam interibit, *Luc.21.v.33.2.Pet.3.v.10.Apoc.* 20.v.11. Ergo & infernus, si est locus subterraneus.

98. Illustrationis gratiâ subjicimus regulam Theologicam: *Quando de rebus spiritualibus & Cœlestibus est sermo, hæc vocabula* SVPRA, ET INFRA *usurpantur quidem humanâ consuetudine: non deficiuntur autem locis, sed dignitate & indignitate, Majestate & abjectione, gaudio & honore, lætitiâ & tristitiâ.*

99. Assertio quarta, *Opiniones Pontificiæ de limbo Patrum V. Testamenti* ignorat Scriptura, imò cum *eapugnant.* 1. Nam neque nomen, neque rem habet: Duo tantum agnoscit loca contraria: Unum piorum, vitam æternam, cœlum, Paradisum, Sinum Abrahæ? Alterum impiorum, gehennam, tartarum, infernum. 2. Patres V. Testamenti, & Sancti N. Testamenti eandem habent fidem. Ergo & eandem justificationis gloriam. 3. Habuerunt & idem Christi meritum, *Heb.13.v.8.* Quod & ipsis fuit præsentissimum, 2. *Pet.3.v.8. Psal.89.v.4.* 4. Sancti igitur in manus Domini commendabant Spiritum suum, Psal.31.v.6. Itaque Spiritus rediit ad Deum, qui dedit illum, *Eccles.12.v.7.* Itaque justorum animæ in manu Dei sunt: Et non tanget illas tormentum, *Sap.3.vers.1.*

100. Assertio quinta, *Opinio pontificia de Limbo infantum sine Baptismo decedentium non est Christiana.*

101. Distinguimus verò inter illos infantes, qui sunt nati intra Ecclesiam, & qui sunt nati extra Ecclesiam. De his 1. nostrum non est judicare teste Apostolo. 2. Deus, cum sit summè misericors, & omnipotens, si prævidisset eos ad ætatem adultiorem perventos, sese nostris Ecclesiis associaturos, vitam ipsorum omninò prolongasset. De illis bene speramus. 1. Quia non privatio, sed contemptus Sacramenti nocet. 2. Quia Deus nos homines, & non semetipsum Sacramentis alligavit. 3. Quia multi ante diem circumcisionis fuerunt extincti, de quibus singulis bene speramus: Multi in Ægypto ante circumcisionem in aquam fuerunt demersi: & multi 40. annis in deserto non fuerunt circumcisi.

De

DE SANCTORVM VENERATIONE, *Imaginibus, & aliis nonnullis ad sanctos pertinentibus.*

102. Devenimus tandem ad eam Ecclesiæ partem, quæ docetur esse in cœlis, cujusmodi sunt sancti piè defuncti. De his sequentia notamus.

103. Primò, *Sancti piè defuncti meritò honorantur prædicatione virtutis, quâ à Deo fuerunt ornati, & imitatione pietatis, quâ claruerunt; Sed non cultu religioso invocantur.* 1. Quia invocatio hæc destituitur divino mandato & promissione teste Eckio in Enchiri. c. 15. Et Bellarmino de Sanctor. Beat. lib. 1. c. 20. 2. Quia adoratio religiosa est gloria soli Deo propria, *Deut. 6. v. 13. Matt. 4. v. 10. 1. Tim. 6. v. 16.* 3. Quia Christus verum orandi modum discipulis præscribens, Patrem cœlestem adorandum esse jubet, & non sanctos. Quare in hoc fidei negotio verum est illud Tertulliani: Scriptura, quod non habet, refutat, 4. Quia sancti non sunt omnipræsentes, non omnipotentes, non omniscii, in eosq; non credimus, non speramus. At requisita religiosæ sunt invocationis, ut quem religiosè invocamus sit omnipræsens, omnipotens, omniscius &c. 5. Quia Sancti illi τὰ καθ' ἕκαστα privatas uniuscujusque miserias, curas, gemitus, & suspiria, & quæ ab hoc, vel illo individuo in terris geruntur, omninò ignorant, *Esai. 63. v. 16. 2. Reg. 22. v. 20. Esai. 39. v. 8. 2. Reg. 2. v. 9. Iob. 14. v. 20. 21. Eccles. 9. v. 4.* 6. Quia Angeli religiosè non sunt invocandi, & adorandi, *Apoc. 19. v. 10. c. 22. v. 9.* Ergo multò minus homines.

104. Secundò, *Quamvis reliquiæ Sanctorum non sint contemptim habendæ, more tamen papistico religioso cultu non sunt venerandæ, adorandæ, & in necessitatibus invocandæ, vel etiam candelis, serico, corollis, aliisq; ornamentis cultus gratiâ decorandæ.* 1. Nullum enim extat hac de re mandatum divinum. 2. Nullum exemplum Apostolicum. 3. Nulla promissio. 4. Scriptura remittit laborantes, & oneratos nō ad hujus vel illius Sancti reliquias, sed ad ipsum Deum, & Christum, *Esa. 45. v. 22. 23. Matt. 11. v. 28. Ioh. 14. v. 4.* 5. Reliquiæ sanctorum sunt honorandæ honestâ sepulturâ, ut id redeat in terram, quod ex terra desumptū est, *Gen. 3. v. 19.* Conservandæ igi-

dæ igitur non sunt ad cultum, ostentationem, & ad mundinas faciendas. 6. Subsunt infinitæ fraudes, impostura, figmenta, superstitiones ethnicæ, videatur *Bellarminus, c.12.*

105. Reliquias igitur Sanctorum honoramus quidem honestè eas terræ demandando, *Syrac.38.v.16. Psal.115.v.15. Ps.34.vers.21.* honestam sanctorum mentionem faciendo, *Psal.112.v.16.* Eorumque virtutes ad exemplum proponendo, sed cultu religioso eas non veneramur.

106. Tertiò, *Imagines cultus ergò non sunt erigendæ, & habendæ.* 1. Quia pugnat cultus ille cum primo Decalogi præcepto: Competit enim religiosa veneratio soli Deo. Ergo imagini mutæ & surdæ, seu picturæ sine sacrilegio tribui nequit. 2. Pugnat cum expresso Dei verbo *Ex.20.v.4.* Non facies tibi sculptile: Hoc *Levit.26.v.1.* exponitur de cultu, nempe quod non liceat facere sculptile, ut adoremus coram ipso. 3. Proximè accedit ad superstitionem & impietatem gentilium, *Sap.14. Esa.40.v.17. c.44.v.9. Ier.10. Hab.2.v.18. Act.17.v.25. Rom.1.v.23.*

107. 4. Cultus imaginum est idololatricus. *Est enim idololatria cultus pugnans cum primo Decalogi præcepto iubente nos unum verum Deum venerari eo modo, ut in verbo suo præcepit.* Committitur idololatria dupliciter, primò ex parte objecti, quando religiosè colitur id, quod non est Deus: Secundò, ex parte modi, quando Deus colitur non eo modo, sicut præcepit in verbo. Itaq; idololatria est non tantum, quando relicto vero Deo colitur idolū, sed etiam quando adoratur Deus simul cum idolo, juxta illud *Exo.20.v.23.* Deos aureos, & argenteos non facietis *mecum.* Hinc Apostolus Paulus idololatriam Athenienſium accusat, *Act.17.v.16.* idq; propterea, quod Deū colere voluerunt aureis, argenteis, & lapideis simulachris, *Act.17.v.25.29.* Nō aliter describitur idololatria gentiū, *Rom.1.v.21.23.25.* Eodem modo idololatriam exercuerunt Israëlitæ, *Ex.32.v.5. Iud.17.v.3.* Sunt igitur Pontificii revera idololatræ, quia Deum non colunt eo modo, ut in verbo suo præcepit.

108. 5. Cultus imaginum propriâ intentione suscipitur. Ergo displicet Deo, *Deut.12.v.8.32 Matt.15.v.9.* 6. Prophetæ igitur Patriarchæ, pii Reges, S. Apostoli, & veri Christiani in primitivâ Ecclesiâ non leguntur religiosè coluisse imagines. Imò constanter cultum hunc improbarunt.

109. Quare imagines non licet tolerare ob cultum, licet haberi possint ob usum didacticum, historicum & ornatum, communiter dicitur: Quod auribus est sermo, id oculis est imago.

110. Quartò, *Vota sanctis, eorumq; imaginibus non sunt nuncupanda, & reddenda, sed soli Deo.* 1. Votum enim est religiosa pollicitatio gratitudinis non tam ore, quàm facto & opere declarandæ. Soli igitur competit Deo. 2. Sancti, & imagines sanctorum non possunt in necessitatibus nobis succurrere, nosque juvare, quia sancti ignorant nos. Et imagines sanctorum oculos habent, & non vident, *Ps.*115. Ergo nequimus ipsis vota facere. Ecquis enim gratitudinem ipsi promittet, qui juvare nequit. 3. Scriptura igitur de votis agens facta ea Deo esse refert, *Levit.*26. *Num.* 30. *Deut.*23. *vers.*21. *Gen.*28. *vers.*20. *Iud.*11. *vers.*30. *Psal.* 50. *vers.*14. *Ps.* 65. *vers.*1. *Psal.* 66. *v.*13. 4. Reprehenduntur igitur Judæi, quod vota fecerint alii quam Deo, nempe reginæ Cœli, *Ier.*44. *v.*25. 5. Ritũ istum ab Ethnicis deducit *Polydor. Virgil. lib.*5. *de invent. rer. c.*1.

111. Quintò, *Peregrinationes ad loca Sanctorum propriâ intentione sub specie cultus susceptæ sunt illicitæ.* 1. Quia in Novo Testamento nuspiam sunt mandatæ. Et frustrà colitur Deus inventis humanis, *Esa.*29. *Matth.*15. Hinc etiam in V. Testamento peregrinationes ad excelsa, ad æneum serpentem, etiam bonâ intentione susceptæ, fuerunt coram Deo abominatio, 2. *Par.*33. *vers.*17. 2. *Reg.*18. *vers.*3. 2. Quia peregrinationes V. Testamenti ad tabernaculum Domini sunt in N. Testamento abrogatæ, Et contrà injunctum est, ut Deum ubivis locorum invocemus, *Ierem.*3. *vers.* 16. *Ioh.*4. *vers.*20. 1. *Tim.*2. *v.*8. 3. Christus peregrinationes ejusmodi prohibet, ubi docet, non credendum esse, si dixerint, ecce hic est Christus, ecce illic, *Matt.*24. *v.*23.26. 4. Ecclesia primitiva peregrinationes illas ignoravit. Calixtus Episcopus Romanus refert, sanctos in primitivâ Ecclesiâ Hierosolymam petiisse, verùm non cultus vel indulgentiarum ergò, sed ob certitudinem historicæ relationis.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

112. *Examinavimus errores pontificios circa Christi personam, officiumq; eius propheticum & regium, adeoq; controversias etiam de Ecclesia. Quare progredimur ad examen controversiarum de officio Christi Sacerdotali,*

dotali, ad quod refertur controversia de Sacramentis, quæ sunt bona Ecclesiæ.

113. Assertio igitur sit prima: *Veritas, perfectio & integritas Sacramenti æstimanda est non ex incertâ Ministri intentione, sed ex certitudine divinæ institutionis.* Nam 1. Quicquid pertinet ad Sacramenti perfectionem, illud aut est materia, aut forma, aut efficiens, aut finis. At intentio Ministri nihil horum est. 2. Intentio hæc evertit omnem omninò certitudinem Sacramenti, cum omnis homo sit mendax, *Psal.116. vers.* 11. *Rom.*3. *vers.* 4. Si igitur efficacia Sacramenti ab intentione Ministri est suspendenda, perpetuis dubitationum fluctibus exponemur. 3. Intentio Ministri non requiritur necessariò ad verbi prædicationem, *Matth.*23.*v.* 12. Ergo nec ad Sacramenti perfectionem. 4 Si intentio illa Ministri abesset, Dei veritas, & fides quoad Sacramenta evacuaretur. At incredulitas hominum veritatem, ac fidem Dei non reddit irritam, *Rom.*3.*v.*3. 5. Circumcisio à Zephorâ iracundâ collata rata habebatur à Deo, *Exod.*4.

114. Manifesti igitur erroris arguimus Decretum Concilii Tridentini, quo statuitur *Sess.*7.*Can.*11. Ut Sacramentum sit efficax, requiri intentionem Ministri. In quâ intentione explicandâ multus est, *Bellarminus lib.*1.*de Sacramentis, cap.*27.

115. Distinctæ verò confundendæ non sunt quæstiones: Alia enim est quæstio, si quæratur, *quid ad integritatem & perfectionem Sacramenti sit necessarium; & alia, quid ad propriam Ministri requiratur personam*: Ad hanc requiritur, ut attendat, qua fide, intentione, & devotione Sacramenta tractet, ne ipse aliis ministrans reprobus efficiatur; Sed intentio hæc ad perfectionem Sacramenti necessaria non est.

116. Assertio secunda: *Impia & absurda est opinio Scholasticorum & Pontificiorum statuentium, Sacramenta conferre gratiam ex opere operato sine fide, seu ex vi ipsius actionis Sacramentalis.* Nam 1. Gratia in Sacramentis offertur. Ergo requiritur correlatum, quod eam apprehendat: Nullũ enim relatum est absq; suo correlato. Fides verò est gratiæ correlatũ. Est enim fides seu fidele cor quasi manꝰ apprehendens gratiam divinã, quæ in Sacramentis offertur. Ergo gratia Sacramẽtalis non cõfertur fide destitutis. 2. Quicquid non est ex fide, peccatũ est, *Rom.*14.*v.*24. Et sine fide Deo placere, impossibile

est, *Heb.11.v.6.* Opus igitur illud operatum, quod fingunt Scholastici fide destitutum displicet Deo. 3. Arguunt id aperta Scripturæ testimonia: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; Qui verò non crediderit condemnabitur, *Matt.28.* Baptizare, & ablue peccata tua invocato nomine Iesu, *Act.22.* Baptismi igitur Sacramentum absque fide non prodest quicquam. De sacrâ Cœnâ dicit Apostolus 1.*Cor.11.* Qui indignè manducat, manducat sibi judicium.

117. Non opponimus verò fidem Sacramentis, sed conjungimus tanquam relatè se habentia in salutari usu. Gratiã enim, quam Sacramenta offerunt, fides apprehendit. Offerunt autem gratiam hanc, non quasi ipsis qualitas inhæreat, per quam agant in animam, & justificationis gratiam efficiant; Sed ex institutione, & ordinatione divina.

118. Itaque fulmen hoc *Concilii Trident. Sess.7. Can.8.* brutum esse asserimus: *Si quis dixerit per ipsa Novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit. Bellarminus lib.2. de Sacramentis c.1.* Varia quidem quærit effugia, & Scholasticorum doctorum sententiam de Sacramentorum hac efficaciâ speciosè pingit; Sed ad idem relabitur, eandemque cum Scholasticis & Concilio Tridentino retinet opinionem, statuitque Sacramenta conferre *gratiam ex opere operato, hoc est, ut ipse explicat, ex vi actionis sacramentalis.*

119. Assertio tertia: *Sacramenta sunt σφραγίδες, obsignationes, signacula, testimonia atque pignora divinæ erga nos benevolentiæ.* 1. Docet id Apostolus Paulus *Rom.4.v.11.* Circumcisionem nominans sigillũ justitiæ fidei. σφραγίδος verò, & sigilli est testificari, obsignare, & confirmare id, cui annectitur & appẽditur. Sacramenta verò sunt sigilla promissionum divinarum. Ergo.

120. Opponit Bellarminus; Quæ de sola circumcisione dicuntur non possunt rectè trahi ad omnia Sacramenta. Resp. Confundit causam formalem cum efficiente, & finali: Quæ de hujus, vel illius Sacramenti dicuntur causâ formali, illa non competunt reliquis Sacramentis; At quæ dicuntur de causâ finali, (quale est esse σφραγίδα sigillum Justitiæ fidei)

& causâ

& causâ efficiente generica, illa omnibus Sacramentis sunt communia.

121. 2. Apostolus *Petrus dicit* 1. *Epist. c.*3.*v.*21. *Cui nunc correspondens tanquam exemplar Baptismus, nos quoque servat, sive salvos facit, non quo carnis sordes abjiciuntur, sed quo fit, ut bona conscientia Deum interroget per resurrectionem Iesu Christi.* Baptismus igitur est interrogatio, qua inter Deum & peccatorem, qui baptizatur, agitur de bona conscientia erga Deum propter Christum. Et Baptismus salvat, non quatenus corpus abluit, sed quatenus obsignat pactum, quod habet homo cum Deo, dum promissiones fide accipit. Ergo promissionis est sigillum.

122. 3. Apostolus dicit, 1. *Ioh.*5.*v.* 8. *Tres sunt, qui testificantur in terra, spiritus, aqua, & sanguis. Et hi tres unum sunt.* Præsupponimus duo, primò voce *aquæ* intelligi Baptismum, & voce *sanguinis* cœnã sacram: Deinde vocabulis (testificatio, obsignatio, & confirmatio) idem denotari, idq; ipse fatetur Bellarminus. Quare ita inferimus: *Si testificatur aqua Baptismi in terrâ, & sanguis cœnæ dominicæ de divinâ promissione, & beneficiis Christi Iesu: sequitur, quod obsignet & confirmet gratiam collatam. At verum prius. Ergo.*

123. Assertio quarta: *Exquisitè & accuratè loquendo sunt tantum duo N. Testamenti Sacramenta, Baptismus & Cœna Domini.*

124. Nam 1. Istis duobus definitio Sacramenti tantum potest applicari: *Est enim Sacramentum actio sacra divinitus instituta constans certo verbo, & administratione elementi, seu symboli, quâ Deus promissionem Evangelii propriam de gratuita peccatorum remissione omnibus & singulis offert, & fidelibus applicat, & obsignat.* Confirmatio verò Pœnitentia, Ordo, Matrimoniũ, & extrema unctio, quæ Pontificii Sacramentis annumerant, non habent externum elementum, sive symbolum sacramentale ab ipso Christo in N. T. institutum, cui sit annexa promissio gratiæ ad remissionem peccatorum applicandam & obsignandam. Ergo accuratè loquendo non sunt Sacramenta. 2. Colligitur numerus iste Sacramentorum N. Test. ex 1. *Ioh.*5.*v.*8. Tres sunt, qui testificantur in terra, spiritus, aqua, & sanguis. Per *Spiritum notatur ministerium Evangelicum*, quod est ministerium Spiritus, 2. *Cor.*3.*v.*8. Per *Aquam Baptismus.* Per *sanguinem* συνεκδοχικῶς *Cœna Domini.* 3. *Ex ejusdem c.v.*5. Christus venit per aquam & sanguinem: Et ex *Ioh.*19.*v.*14. Quidam ex militibus latus Christi

lancea fodit, & statim exivit aqua, & sanguis. Colligunt hinc Ecclesiastici scriptores duo Sacramenta, videatur & ipse Bellarminus lib.2.c.27. 4. Correspondet hic numerus numero Sacramentorum V. Testamenti. Quare non subscribimus Pontificiis, septem Sacramenta constituentibus: Nam iis quinque quæ addunt Pontificii, vel deest altera pars substantialis à Christo instituta ut in pœnitentia, ordine, confirmatione, & extrema unctione: vel fructus seu res Sacramenti, ut in Matrimonio.

DE BAPTISMO.

125. Baptismus est primum N. Testamenti Sacramentum, *qui est hominis vivi in aquam immersio, seu aspersio in nomine Patris, Filii, & Spiritus S. ut regeneretur.* De eo sequentia, quæ oppugnant pontificii, exhibemus examinanda.

126. Primò, *Baptismus Iohannis fuit idem specie sacramentum cum Baptismo Christi, eandemque habuit efficaciam.* 1. Quia eadem utriusque est essentialis definitio. 2. Quia eædem causæ, ut *efficiens*: Nam Baptista non propria, sive privata authoritate baptizavit, *Ioh. 1. vers. 23. 26.* Sed divino mandato baptismum administravit, *Luc. 3. vers. 2. Ioh. 1. vers. 33.* Unde baptismus ejus dicitur esse de cœlo, *Matth. 21. v. 25.* Et Pharisæi renuentes baptizari à Johanne, dicuntur spreviſse consilium Dei, *Luc. 7. v. 30. Materia*, quæ est aqua. *Finis & effectus*: Nam *Act. 19. v. 4.* legimus: Johannes baptizavit baptismo *pœnitentiæ*, dicens populo, ut in eum, qui venturus esset, hoc est in Christum crederent. Ad eundem modum dicit Petrus, *Act. 2. v. 38.* Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu in remissionem peccatorum. *De causa igitur formali*, hæc notamus: Johannes prædicat Baptismum pœnitentiæ remissionem peccatorum, *Marc. 1. v. 3.* Apostolus Petrus jubet baptizari suos auditores in remissionem peccatorum, *Act. 2. v. 38.* Johannes baptizavit in Jesum Christum, *act. 19. v. 4.* Petrus jubet baptizari in nomine Jesu Christi, *act. 2. v. 38.* Et Paulus *Gal. 3. v. 23.* Quicunque in Christum, inquit, baptizati estis, Christum induistis.

127. 3. Christus Johannis baptismo est baptizatus. At non alio baptismo ipse est baptizatus, & alio membra ipsius. 4. Et unum tantum est baptisma, *Eph. 4. v. 5.* Baptismus igitur Johannis, qui non V. sed N. T. est Sacramentum non est essentia à Christi baptismo diversus, licet alioqui respectu circumstantiæ temporis, distinguatur.

128. Se-

128. Secundò, *Infantibus per Baptismum confertur fides actualis. Proinde revera credunt.* 1. Quia infantes salvantur,& quidem per baptismum. *Tit.3.v.5.* Quicunque autem salvatur vera fide est præditus,*Ioh.3.Mar.16.* 2. Quia baptizati infantes non sunt maledicti. Ergo diligunt Dominum Jesum.*1.Cor.16.* Ergo & actualem habent fidem. 3. Quia infantes non aliter sunt in Christo quam per fidem, *Eph.2.* 4. Quia infantes vincunt mundum, cum non maneant sub potestate principis hujus mundi. At qui vincit mundum,mundiq; principem, ille actuali est præditus fide,*1.Ioh.5.v.4.* 5. Quia infantes baptizati regenerantur, *Ioh.3.* Ergo actuali sunt præditi fide: Siquidem absque fide regeneratio nec est,nec esse potest. 6. Salvator ipse dicit, *Matt.18.*Qui offenderit unum de pusillis istis,qui in me credunt. 7. Et jubet,ut adulti,si velint ingredi regnum cœlorum conformentur parvulis.Num autem conformari debent incredulis? 8. Circumcisio igitur dicitur sigillum justitiæ fidei, *Rom.4.v.11.* Et baptismus ἐπερώτημα ἀγαθῆς συνειδήσεως, *1.Pet.3.v.21.*

129. Fidem verò infantum baptizatorum dicimus actualem,non respectu operationis seu actus externi, quô se respectu proximi declarat; Sed respectu actus interni,qui est meriti Christi apprehensio.

130. Tertiò,*Baptismus tollit peccatum, non ut non sit, sed ut non imputetur.* 1. Inter sanctos enim ejus nemo immaculatus est,*Ioh.15.v.15.* 2. Quis dicere potest,mundum est cor meum? 3. Certè quicunque dixerit, se peccatum non habere,fallit semetipsum,& veritas non est in eo, *Ioh.1.v.8.* 4. Apostolus Paulus fatetur,quod non habitet in carne sua bonum, & quod malum sibi adjaceat, *Rom.7.v.18.21.23.* 5. Et si peccatum per baptismum prorsus extirparetur,,frustrà precaremur, *Remitte nobis debita nostra*:Nec renatus generaret peccatorem filium ad imaginem suam: Neque ulla esset lucta carnis,& spiritus in renatis.

131. Quare distinguimus inter peccati radicem, sensum & reatum: Reatum quatenus peccatum refertur ad personam eique imputatur, tollit baptismus: Sensus ejus tollitur per mortem:Radix per totalem corporis destructionem.

DE SACRA COENA.

132. Alterum Novi Testamenti Sacramentum dicitur ab autho-

authore,& inſtitutionis tempore Cœna Domini,1. *Cor.*11.*v.*20.De quâ varios errores alunt Pontificii,quibus pauca opponemus.

133. Primò,*Vt vinum aqua in ſacro calice temperetur, non eſt neceſſitatis.*Ex verbis enim inſtitutionis mixtionis hujus neceſſitas nequit oſtendi. *Bellarminus ſcribit lib.* 4.*de ſacra Eucha.c.*10. An vinum aqua miſtum in calice fuerit ante conſecrationem,expreſsè ex ſcriptura non habetur. 2. Evangeliſtæ inſtitutionis verba referentes, non mixtionis,ſed ſolius vini,& meri mentionem faciunt. 3. Mixtio illa nititur ſola authoritate , & traditione humanâ. *Polydorus Virgilius lib.*5:*c.*10.Alexander,inquit,poſthac ſeptimus à Petro Pontifex conſecraturus primus aqua vino miſcuit.

134. Secundò,*Tranſubſtantiatio pontificia, qua fingitur mutatio totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis ejus, impia , & abſurda eſt.* Nam Apoſtolus 1.*Cor.* 10.*v.*16.*c.*11.*v.*26.ante , in , & poſt actionem ſacramentalem panem appellat. Ne,unquam commentitiæ hujus converſionis vel Evangeliſtæ, vel Apoſtolus meminerunt. 2. Participatio non eſt ſui ipſius. Panis benedictus eſt corporis Chriſti participatio,1.*Cor.*10.*v.*16. Ergo non ſui ipſius:Et per conſequens aliud eſt panis,& aliud Chriſti corpus in Cœna Dominica. 3. Benedictũ panẽ fingunt Pontificii mutari in carnem Chriſti. Caro igitur hæc non eſt nata ex Maria virgine. At caro Chriſti,quæ datur nobis in cœna,nata eſt ex Maria virgine. 4. Panem itidem conſecratum fabulantur tranſmutari in corpus Domini , & vinum in ſanguinem ejus. Non igitur illud corpus pro nobis in mortem eſt traditum & ille ſanguis pro nobis non eſt effuſus. At corpus Chriſt ad manducandum inſtitutum,traditum pro nobis eſt in mortẽ, & ſanguis ad bibendũ inſtitutus effuſus eſt pro nobis in remiſſionem peccatorũ.At nõ caro illa,quæ fingitur confici tranſmutatione à Papicolis. Ergo. 5. Subſtantia illa ſub nudis panis & vini ſpeciebus patitur corruptionem. Vinum enim illud aſſervatum aceſſit , panis putreſcit.6.Et annón accidẽtia panis,color,ſapor & figura permanẽt.

135. Tertiò,*Panis conſecratus & vinum conſecratum extra uſum h. e. extra actionem divinitus inſtitutam non habet rationem Sacramenti.* Nam omne Sacramentum eſt actio, ut conſtat ex cujuſlibet Sacramenti inſtitutionis verbis. Ergo non niſi in uſu & actione conſiſtit. Ergo actione ceſſante , ceſſat ipſum Sacramentum.Ubi igitur integra

gra sacramentalis non est actio, ibi non est Sacramentum. Atqui in sola consecratione non est integra sacramentalis actio. Ergo post eam à communione divulsam non est sacramentum.

136. Quartò, *Concomitantia pontificia est merum humanæ rationis figmentum.* Nam ut Christus cœnam instituit, ita de ea est sentiendum & loquendum. Atqui Christus sanguinis κοινωνίαν non sub pane, sed sub vino instituit, 1. Cor. 10. Ergo. Et annón ex contraria opinione sequitur sanguinem Christi non bibi, sed manducari? Annón ex eadem sequitur opinione, sacrificiales in eodem Sacramento una vice percepto bis accipere corpus Christi, & bis sanguinem ejus?

137. Quintò, *Laicis alteram sacram cœnæ partem videlicet calicẽ benedictum subtrahere, nihil aliud est, quàm sacrilegium committere.* Nam 1. Christus non tantum dixit *manducate*, sed etiam *bibite*. 2. Quos obligat verbum mandati, *manducate*, eosdem etiam obligat verbum mandati, *bibite*, quia hoc non minoris est efficaciæ, quàm illud. Atqui illud obligat omnes baptizatos, qui sese probare possunt. Ergo & hoc. 3. Apostolus ab idololatria gentilium dehortans Corinthios argumenta dehortationis inter alia desumit à participatione calicis Domini, 1. *Cor.* 10. 11. 4. Et annón bona Ecclesiæ sine respectu personarum pertinent ad totam Ecclesiam?

178. Sextò, *Missa pontificia non est sacrificium verè, ac propriè ita dictum, ac proinde nec sacrificium propitiatorium pro peccatis, pœnis, & culpis, aliisque necessitatibus, sed stupidum & abominabile commentum.* 1. Sacra Cœna est Sacramentum & Testamentum, *Matt.* 26. *v.* 28. Ergo non est Sacramentum & Testamentũ *Matt.* 26. *v.* 28. E. non est sacrificium: Nam in sacrificio aliquid offertur Deo: In Sacramento aliquid Deus offert nobis. In Testamẽto aliquid à testatore datur hæredibus, & non ab hæredibus testatori: In sacrificio cõtrà. Sacramenti & Testamenti promissio accipitur fidei. Sacrificium contra ex fide procedit. 2. Non Testamenti Sacerdos est unicus in æternum, *Heb.* 7. *v.* 23. 27. At sacrificuli pontificii sunt innumerabiles. Deinde CHRISTUS perpetuò manet Sacerdos, *Heb.* 7. *v.* 23. Secundum ordinem Melchisedech, *Psalm.* 110. *vers.* 4. Ergo non habet successores, non vicarios. Accedit, quod Novi Testamenti Sacerdos sit sine labe, *Hebr.* 7. *vers.* 26. At nemo hominnm CHRISTO excepto est sine labe. Quinimò Sacerdos Novi Te-

menti semetipsum offert, *Heb.9.v.26.28.c.10.v.12.14.* At sacrificuli pontificii semetipsos non offerunt. Ergo. 3. Cultus missificus non habet authorem Deum, sed est inventum humanum: Subinde alia atque alia diversis temporibus Canoni missæ fuerunt adjecta. 4. Et Christi sacrificum non est sine sanguinis effusione, *Hebr.9. & 10.*

139. *Quoniam igitur missa non est sacrificium, sequitur quod nec sit sacrificium propitiatorium.* Addo, quod Christus nos unica oblatione sanctificarit, ut in ipso habeamus remissionem peccatorum, *Heb.10.v.11. Eph.1.v.11.* Ubi autem est peccatorum remissio, non amplius fit oblato, *Heb.10.v.18.*

DE CONFIRMATIONE ET POENITENTIA.

140. Examinavimus nonnihil opiniones pontificias, quibus doctrinam de veris N.T. Sacramentis oppugnant. Cum autem his quinque insuper pontificii annumerent, sequitur, ut & quosdam ipsorum errores de his notemus.

141. Primò, *Confirmationem igitur pontificiam Sacramentis accuratè dictis non annumeramus, ut & suprà exposuimus.* Confirmationem enim dicunt Pontificii, esse Sacramentum baptizatis ab Episcopo collatum, in quo per sanctum chrisma, & verba sancta conferatur gratia, & robur spiritus addatur, tum ad firmiter credendum, tum ad nomen Domini, quando sic opus est, liberè confitendum. Seu in confirmatione hominibus baptizatis jam ad aliquam ætatem progressus oleum cum balsamo mixtum, & ab Episcopo consecratum in fronte illinitur Episcopi pollice per modum vel signum crucis hac pronunciata formula: Signo de signo crucis & confirmo chrismate salutis, in nomine Patris, Filii, & Spiritus S. &c.

142. Verùm quoniam universus ille ritus caret verbo mãdati seu institutionis, & promissionis, ideò eum Sacramentis annumerare, piaculum esse ducimus. Imò insignis est impietas, quod pontificii chrisma illud exorcismis conficiunt, & non sine horrendo abusu sanctissimi divini nominis exorcizant:

143. Secundò, *Pœnitentiæ partes duæ sunt, contritio & fides, Mar.1.v.5.Luc.24.v.47.* Et duæ sunt doctrinæ Christianæ capita, per quæ Deus pœnitentiam prædicat, & operatur.

144. Tertiò, *Contritio necessaria non est hoc fine, ut per eam remissionem peccatorum consequamur.* Seu, *à se, & per se non liberat à peccatis.* 1. Nam absque operibus legis consequimur remissionem peccatorum, & justificamur. Ergo & absque contritione. 2. Et si nostra contritione peccatorum remissionem consequi possemus, tum Christus vel frustra, vel non sufficienter, & perfectè esset attritus, contra illud *Esa. 53. v.5.* 3. Cumque contritio oriatur ex lege, auget peccatum, & deducit ad inferos, perinde ac ipsa lex, *Rom.5.v.20.c.7.v.9.10.2.Cor.3.v.7.9.*

145. Quamvis igitur contritio sit necessaria, ut voluntati Dei obtemperemus, & ut agnita peccatorum turpitudine coram Deo nos humiliemus, atque ut dulcescat nobis Christus. Necessaria tamen non est quasi sit causa remissionis peccatorum: ut contendit *Bellar.lib.2.de Pœnit.c.12.*

146. Quartò, *Confessio & enumeratio singulorum peccatorum cum omnibus circumstantiis illic, qui post baptismum in peccata prolabuntur, simpliciter necessaria non est.* Nam 1. destituitur mandato, & exemplo Apostolorum. 2. Nullam habet promissionem. 3. Evangelium transformat in legem quasi enumeratio peccatorum liberet à delictis. 4. Conscientiam reddit dubiam, & ad impossibilia deducit, *Psal.19.v.13.*

147. Quintò, *Figmentum papisticum est, dimissa culpa pœnitentem satisfacere debere pro pœna.* 1. CHRISTUS enim pro pœna satisfecit, *Esa.53.vers.5.Gal.3.vers.10.* 2. Liberavit nos à dominio Satanæ, *Hebr.2.vers.14.* A morte & inferno, *Oseæ 13.v.14.* Ab irâ venturæ damnationis. 3. Christus nos liberavit à peccati culpa. Ergo eadem operatione, & liberatione à pœna. Vindicat enim pœna & punit nonnisi culpam. Ubi igitur culpa remittitur, ibi pœnæ propriè dictæ amplius non est locus. 4. Imò pontificii ex CHRISTO dimidium salvatorem faciunt, & alteram redemptionis partem in ipsos homines transferunt.

148. Absurdum & impium Pontificiorum dogmate de indulgẽtiis ex impiis ipsorũ opinionibus de pœnitentia oritur: Fabulantur enim voce Evangelii tantum culpam remitti: Pœnam verò non item, sed eam commutari in pœnam temporalem, cujus modum in confessione imponat Sacerdos, ut Deo per pœnas illas satisfiat. Temporalem autem pœnam vocant, quæ vel in hoc mundo per pœnitentiam & satisfactionem, vel in purgatorio post obitum sit solvenda. Addunt pœnas illas remitti, & mitigari per indulgentias. *Toletus lib. 6. c. 21. de casibus conscient.* Indulgentia, inquit, & remissio pœnæ temporalis pro actualibus peccatis debitæ, extra Sacramentum facta, ex thesauri Ecclesiastici dispensatione. Bellarminus lib. 1. de indulgentiis c. 5. Indulgentia, ait, propriè est absolutio judicaria, maximam habens solutionem ex thesauro.

Poëta cecinit:

Si dederis marcas, & eis impleveris arcas,
Culpâ solvêris, quacunq; ligatus haberis.

149. Opponimus figmentis istis sequentes propositiones. Propositio prima, *Dogma Pontificiorum de indulgentiis est fabulosum, & impium.* 1. Indulgentiarum talium nuspiam fit mentio in scriptura: Et ipsi pontificii earum veram originem demonstrare nequeunt. 2. Pugnat cum misericordia Dei nos absque propria nostra satisfactione justificantis, & salvantis. 3. Pugnat cum justitia Dei, cui plenariè ibtisfecit Christus. Non fert autem justitiæ divinæ ratio & pro uno peccato gemina exigatur satisfactio. 4. Pugnat cum officio Christi, cum plenaria redemptione, cum peccatorum remissione adeoque cum justificatione: Christus enim pro universo debito justitiæ Dei satisfecit. Et omnibus verè pœnitentibus remittuntur peccata per, & propter Christi meritum fide apprehensum *Act. 10. v. 43.* 5. Pugnat cum fiducia in solum Deum & Christum ponenda. 6. *B. Lutherus dicit Tom. 1. Ien. Ger. pag. 47.* **Ablaß ist Nachlassung viel guter Werck.**

150. Secunda, *Ecclesiæ thesaurus, seu Ecclesiæ depositum sunt verbum Dei & sacramenta: non superfluentes satisfactiones sanctorum, qui plus passi finguntur quam eorum peccata requirebant.* Nam per ea DEUS, velut per efficacissima organa est efficax, & peccatorum indulgentiam & alia spiritualia bona nobis largitur:

tur: Evangelium est potentia Dei ad salutem, *Rom.1.v.16.* Per lavacrum regenerationis Deus nos salvat, *Tit.3.v.5.* 2. Extra verbum & Sacramenta nulli peccatori Deus promisit veniam. 3. Nullum alium thesaurum pro temporalibus pœnis Ecclesiæ reliquit. 4. Christi satisfactio pro omnium hominum peccatis est sufficientissima. 5. Non admittit ullas Sanctorum satisfactiones. *Solus* torcular culcavit, nec fuit ei auxiliator, *Esa.63.v.13.* Noti sunt versiculi:

Larga Dei bonitas veniam non dimidiabit.
Aut nihil, aut totum te lacrymante dabit.

6. Qui cadit in die aliquoties, & se peccatorem profiteri necesse habet, plus non præstitit imò præstare plus non potuit, quàm lex requirit. Atqui justus in die cadit septies, *Prov.24.v.16.* & se peccatorem profiteri necesse habet, *1.Ioh.1.v.10.* Ergo. 7. Extra Verbum & Sacramenta satisfactio non confertur. 8. Et applicatur solâ fide.

151. Tertia, *Defunctis nullæ indulgentiæ per modum suffragii, nulla merita vel opera pœnalia possunt conferri.* Nam qui semel mortuus est, *liber est à peccato*, *Rom.6.v.7.* Beati mortui qui in Domino moriuntur àmodo, requiescunt à laboribus suis, *Apoc.14.v.13.* Et qui moritur in incredulitate jam condemnatus est, *Ioh.3.v.18.* Quemadmodum igitur ille ad beatitudinem, quâ fruitur, nullius indiget hominum meritis: Ita hic jam condemnatus absolvi nequit in foro hominum Ecclesiastico.

152. Quarta: *Authoritatem, quæ solius Dei est, non Pontifex, non Episcopi, non Cardinales, non Concilium, neque Clerici sibi arrogare debent, ut nec exercere eam possunt. Esa.43.v.25.* Ego, ego sum, qui deleo prævaricationes tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. *Luc.5.v.21.* Quis potest remittere peccata nisi solus Deus? *Ambrosius epist.16.* Non legatus, inquit, neque nuncius, sed ipse Dominus salvum fecit populum suum, solus remanet, quia non potest hoc cuiquam hominum cum Christo esse commune, ut peccata condonet. Solius hoc munus est Christi, qui tulit peccata mundi. Itaque verbi divini Ministris thesaurus gratuitæ peccatorum remissionis est quidem creditus; Sed illi tantum ministerialiter, non magisterialiter nec potentialiter illum dispensent. Et indulgentiæ hujus divinæ causa esse non debet Simonia, καὶ φιλαργυρία, de qua

agit Apostolus Petrus, 2. *Epist.* 2. *v.*3. Sed est magna Dei misericordia, *Psal.*51. *vers.*1. *Psal.*103. *vers.*3. 8. 13. *Sap.* 11. *vers.*24. *Ioh.* 3. *vers.*16. *Tit.*3. *vers.*5.

153. Quinta, *Iubilæus Pontificius à Bonifacio VIII. quæstus gratia est institutus. Itaque meritò est improbandus.* Nam 1. Indulgentiæ sunt frivolæ, impiæ, & in Deum atque meritum Christi contumelioſæ. Ergo & quilibet Jubilæus. 2. Monstrant Pontificii, offerunt, jactant, sed revera nihil dant, quia nihil eorum habent. Accipe tu igitur nihil, & tene fortiter. 3. Ad nundinationem hanc accommodamus illud Petri, *Act.*8. *v.*20. Pecunia tua tecum pereat, qui donum Dei existimas pecuniis acquiri.

154. *Luc.*4. *vers.*18. 19. legimus: Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, Prædicare captivis remissionem, & cœcis visum, dimittere confractos in remissionem, *prædicare annum Domini acceptum*, & diem retributionis. Itaque Christianus Jubilæus nominari potest ultimum hoc tempus, quo Christus suo officio est functus, usque ad finem mundi.

DE EXTREMA VNCTIONE ORDI-ne & Matrimonio.

155. Examinanda quædam exhibemus de reliquis, quæ fingunt Pontificii, Sacramentis. Sit igitur propositio prima: *Vnctio extrema non est Sacramentum à Christo institutum, sed inventum humanum in Deum contumelioſum.*

156. *Extrema Vnctio Pontificiis est Sacramentum, quo morituris organa sensuum, oculi, aures, nares, labia, manus, pedes, & renes oleo exorcizato inunguntur hac formâ: In nomine Patris, Filii & Spiritus S. ungo te oleo sacrato, ut accipias plenam remißionem peccatorum.*

157. Verùm licet ad Elementum accedat verbum, caret tamen illud institutione Christi: Et verbum illud non legitimè accommodatur ad inventum humanum, imò antichristianum. Accedit, quod unctioni huic desit exemplum Ecclesiæ primitivæ. Denique contumelioſa est in summum religionis Christianæ caput de Justificatione, & salute, dum gratiam & remissionem peccatorum conferre dicitur, quæ blaſphemia redun-

dat

dat in sanguinem Jesu Christi, quo solo expiata sunt omnia peccata nostra quiq; solus nos emundat à peccato.

158. Secunda: *Ordo Pontificius neque Sacramentum est, neque in scriptura præscriptus.*

159. Scribunt Pontificii, Ordinem esse Sacramentum, quo Sacerdotibus aliisque Ministris Ecclesiæ potestas conferatur ad Ecclesiastica munia ritè, decenterque obeunda: Ordinandi enim primò omnium fieri debent Ostiarii, deinde Lectores, tertiò exorcistæ, quartò Acolythi, quintò Subdiaconi, Sextò Diaconi, denique Sacerdotes vel Missificatores, & Sacrificuli.

160. Verùm ordo iste Sacramentum non est. 1. Est enim utrique Testamento communis. At nullum Sacramentum utrique Testamento est commune. 2. Sacramenta non sunt ad unum hominum genus alligata: Credimus enim Sanctorum communionem. Deinde gradus istos, per quos non tam ad Ministerium docendi, & dispensandi Sacramenta, quàm ad celebrandas Missas contenditur, primitiva ignoravit Ecclesia. Nec ullum in Scriptura habet fundamentum.

161. Tertia: *Matrimonium Sacramentis propriè & exquisitè sic dictis non est annumerandum.* Nam 1. Utrique Testamento est commune. 2. Contrahitur etiam inter eos, qui sunt extra Ecclesiam. Sacramenta vero sunt solius Ecclesiæ propria. 3. Nec habet Elementum verbo Dei mandatum. 4. Neque est medium collationis gratiæ.

162. Quarta: *in gradibus consanguinitatis iure divino prohibitis Pontifex Romanus dispensare nequit.* Sunt enim leges istæ morales. At in legibus moralibus nemo hominum dispensare potest. Leges istas esse morales patet ex *Levit.* 18. *vers.* 3. & 24. Reliquas enim gentes obligabant, illæque propter harum transgressionem puniebantur. Et Prophetæ leges istas inter morales referunt, *Ezech.* 22. *vers.* 10. *Amos.* 2. *vers.* 7. Johannes Baptista igitur hinc arguit Herodèm ob incestum, *Mar.* 6. *vers.* 18. Et *Paulus* 1. *Cor.* 15. eum qui novercam suam duxerat, ex his legibus excommunicationi subjecit. At de legibus Ceremonialibus dicit *Gal.* 6. *vers.* 15. Circumcisio nihil est. Quare audacia

est ma-

est maxima Papæ in gradibus illis dispensantis, modo pecunia numeretur, vel defectio ad Papatum promittatur.

163. Quinta, *Consensus parentum non tantum de honestate, sed etiam de necessitate requiritur ad matrimonium contrahendum.* Nam 1. Parentibus debitus honor, & obedientia in casibus quibusvis legitimis non tantum de honestate, sed etiam de necessitate est præstandus, ut in quarto docemur præcepto. Ergo etiam in conjugio ineundo, si modò illud debeat esse salutare, & Deo probatum. 2. Parentes jubentur accipere uxores filiis suis. Ergo multò magis, ut in matrimonium ipsorum consentiant, necessarium est; Jehova dicit, *Exod.34.v.16.* Non accipies uxorem de filiabus Chananæorum filiis tuis. 3. Abrahamus igitur potestate patriâ uxorem filio suo accepit, & nuptias procuravit: Hagar filio suo Ismaëli Parentes Simsonis filio suo, &c.

164. Sexta, *Adulterio, & malitiosa desertione dissolvitur matrimonium non tantum quoad thorum, seu cohabitationem, sed etiam quoad coniugale vinculum.* 1. Arguit id quæstionis à Judæis motæ status, *Matt.5.* Nam Judæi quærebant de illo divortio, quod concessum huic populo fuerat à Mose, *Deut.24.* Hoc autem erat tale, ut soluto priori matrimonio quoad vinculum aliud contrahi posset. Ergo de hoc divortio responsio Christi est accipienda. 2. Christus igitur hæc duo conjungit, uxorem dimittere, & post dimissionem aliam ducere, *Matt.19. Mar.10. Luc.6.* 3. Divortium parti innocenti esse non debet laqueus, quo conjiciatur in ustiones, & fornicationes. 4. Uxor quæ fornicatur cum alio, fit una caro cum suo adultero. *1.Cor.6.v.16.* Dissolvitur igitur ipsum vinculum conjugale, quod potissimum in copula carnali consistit, *Matt.19.v.6.*

DE STATV INTEGRITATIS.

165. *Atque ita inquisivimus in opiniones pontificias, quibus oppugnant Christi personam, atque officium. Restat igitur ut inquiramus in opiniones ipsorum, easque brevissimè examinemus, quibus impugnant Dei, & Christi beneficia, & quæ cum his cohærent. Proinde diversi hominis status sunt expendendi.* De his ordine.

166. Assertio prima: *Similitudo differt ab imagine non tanquam res à re, sed tanquam explicans ab explicato, arguens & exegesis ab arguto.* Vocabulum enim *similitudinis* tanquam posterius explicat voca-

vocabulum imaginis tanquam prius, ut sit sensus, hominem esse conditum ad imaginem similimam. Ergo imago & similitudo hoc loco sunt ferè synonyma. 1. Arguit id vocabulorum permutatio. Nam Spiritus Sanctus in Scriptura promiscuè loquitur, & nunc utrumque vocabulum in eodem casu tradit, ut *Gen. 1. v. 26.* Nunc in casu diverso, ut *Sap. 2. vers. 23.* Nunc omittit vocem similitudinis, & tantum vocis imaginis mentionem facit, ut *Gen. 1. vers. 27.* Et contrà *c. 5. v. 1.*

167. Assertio secunda: *Primus homo excellentem Dei rerumque naturalium habuit cognitionem concreatam.* 1. Colligitur id ex Scripturæ testimoniis, *Gen. 1. vers. 31. Syrac. 17. v. 5. Ecclesiastæ 7., v. 30. Coll. 3. v. 10.* 2. Ex Adami factis, ut sunt Evæ cognitio, *Gen. 2. v. 32.* Nominum impositio, *Gen. 2. v. 19. 20.* 3. Ex legitimis rationibus, ut sunt, notitiæ nobis ingeneratæ, *Rom 2. v. 14. 15.* Ipsæ tenebræ in mente hominis post lapsum. Atque restitutio.

168. Assertio tertia: *Donum aliud est naturæ, & aliud gratiæ. Totius adorandæ Trinitatis inhabitatio, quæ illustravit concreatam virium omnium perfectionem & integritatem, erat donum gratiæ & supernaturale non connaturale, at justitia originalis homini primo erat connaturalis.* Vocabulum verò naturæ usurpatur constitutivè, consecutivè, subjectivè pro eo, quod naturæ firmissimè est infixum ipsique inhæret, perfectivè pro iis, quæ naturam exornant, eamque perficiunt, transitivè pro eo, quod naturaliter propagatur in posteros. Justitia originalis connaturalis erat homini primo non in primâ, & secunda acceptione: Non enim pars ejus erat constitutiva, nec animæ facultas; sed reliquis tribus significationibus. 1. Quia naturæ ex creatione intrinsecus, & arctissimè inhærebat. 2. Quia eam perficiebat, exornabat, & ad ejus naturale complementum concurrebat. 3. Quia, si homo lapsus non fuisset per generationem in posteros fuisset propagata.

169. Assertio quarta: *Immortalitas Adami in statu innocentiæ non erat donum supernaturale, & extrinsecum; sed conditio naturalis: Proinde primus homo naturâ erat immortalis.*

170. Aliud verò est, quærere de toto homine, & aliud de partibus hominis; Totus homo in statu innocentiæ ita erat conditus, ut naturâ esset immortalis, & ne divelleretur anima à corpore. *Causa hujus immortalitatis efficiens principalis proxima* erat

anima, quâ homo, si non peccasset, in perpetuum vixisset, & sic immortalis fuisset. Immortalitas enim nihil est aliud quàm vitæ perpetuitas. *Causa conservans* immortalitatis istius erat arbor vitæ.

171. Partes hominis sunt anima & corpus. Animam naturâ, esse Spiritum immortalem extra dubium est; Corpus Adami potentia erat corruptibile; Sed actu incorruptibile: Evincimus id 1. Ab unione corporis cum Animâ. 2. Ab absentia causæ mortis, & actualis destructionis. 3. Ab exactissima qualitatum primarum, & secundarum Harmoniâ. 4. Adeoque à temperamenti æqualitate. 5. A futura conditione corporum, quæ suo tempore erunt incorruptibilia, 1. *Cor.* 15. *vers.* 43.

172. Assertio quinta: *Aliud est naturale, & ordinatum, & aliud præternaturale, & inordinatum, aliud est appetitus, & aliud appetitus ἀταξία.* Appetitus est à Deo, & omni caret vitio: Adamus enim in statu integritatis sensurus erat naturalem appetitum vacuo stomacho. Appetitus ἀταξία ex peccato naturam commaculante originem traxit, impius igitur est Bellarminus statuens lib. de Grat. primi hominis c. 5. primum hominum cum rebellione virium fuisse conditum. 1. Pugnat id cum Scriptura *Gen.* 1. *v.* 31. *cap.* 2. *v.* 25. *Eccle.* 7. *v.* 30. 2. Cum legitimis consequentis. Nullius enim vitiositatis Deus est author. 3. Extenuat felicitatem hominis primi.

DE STATV CORRVPTIONIS, seu miseriæ.

173. *Tantum de statu hominis primi, qui fuit de gratiæ collatione sequitur secundus, qui est de collatæ gratiæ amissione.* Erroribus Pontificiorum, quos de hoc statu alunt, sequentia opponimus.

174. Primò: *Primi parentes peccatum primum vitare potuerunt: Liberâ verò deliberatione, peccarunt. Primum igitur ipsorum peccatum est voluntarium. At in posteris Adami non omne peccatum est voluntarium. Imò quidam motus etiam in Renatis reliqui sunt involuntarii. Concupiscentia igitur propriè, & per se est peccatum: Et ne à Renatis quidem lex Dei perfectè potest impleri.* 1. Patet id ex definitione peccati à Johanne proposita, 1. *Ioh.* 3. *v.* 4. In hac enim nulla injicitur mentio voluntarii. Quodcunque autem est de peccati essentiâ, illud Johannes suâ peccati definitione plenâ & accuratâ expressit. 2. Peccatum

catum originale propagatur in Adami posteros planè insciosq; & cõsensum suum nõ dantes. *Gen.5.v.3. Ps.51.v.7. Ioh.14.v.4. Eph.2.v.3. Rom.3. vers.9.23. cap.5. vers.12.* 3. Accedit testificatio Apostoli Pauli *Rom.7.v.15. Gal.5.v.17.* 4. Declarant peccata ignorantiæ & infirmitatis.

175. Annotat verò *Augustinus lib.2.de nup.& concup.c.28.* Peccatum originis dici posse voluntarium voluntate non propriâ, sed alienâ, nempe primorũ parentum. *Bonaventura in 2.Sentent.dist.7.q.* 10. Peccatũ originale voluntariũ esse scribit, non voluntate ejus, in quo est, sed voluntate ejus à quo est. Alii voluntarium id appellari posse censent tripliciter, effectivè, subjectivè & consecutivè.

176. Secundò: *Peccatum non est merè privativum, sed simul aliquid positivi.* Nam 1. *Naturâ* sumus filii iræ, *Eph.2.v.3.* Natura igitur nostra est commaculata. 2. Propheta igitur David *Psal.51.* Semetipsum accusat, quod in multiplici immundicie sit conceptus. 3. Itaque se invicem insequuntur defectus, defectui contrarius affectus, & ex affectu fluens malus, & perversus actus.

177. Positivi verò quid peccatum etiam appellamus non in strictissimâ, & propriissimâ significatione, qua quiddam subsistens à Deo conditum significat; sed in generalissima, qua positionem significat in natura, cum sit introductum, & habitus connatus.

178. Tertiò: *Primum hominis primi peccatum fuit incredulitas, sive dubitatio de mandato divino.* Nam Eva Diabolo respondit, si comedat de arbore vetita, futurum, ut forte moriatur.

179. Quartò: *Concupiscentia in Renatis reliqua verè & propriè est peccatum.* 1. Repugnat Legi, seu præceptis Decalogi nono & decimo. Ergo ipsi competit definitio peccati, 1.Joh.3. vers.4. 2. Scriptura propriè loquens appellat concupiscentiam in renatis reliquam peccatum, *Rom.6.vers.6.12.14.cap.7. vers.14.* 3. Opponitur igitur Justitiæ seu actioni secundum legem, seu renovationem, *Rom.6.vers.7.cap.7.vers.7.20.21.23. Gal.5. vers.17. Eph.4.v.22.23.*

180. Quamvis igitur nihil damnationis sit in his, qui sunt in Christo Jesu, *Rom.8.vers.1.* Habitat tamen in eis perpetuò peccatum, *Rom.7.vers.12.* Hujus facta quotidie mortificare debe-

mus, *Rom.8.verſ.13.* donec in plenam vitæ æternæ libertatem reſtituamur, *v.21.* Itaque de die in diem magis, magisque, quamdiu vivimus renovandi ſumus, *2.Cor.4.verſ.16.* Unde eſt Canon Theologicus. Renati in hac vitâ liberantur à ſupplicio ὁλικῶς, à vitio μερικῶς, perfecta eſt remiſſio, ſed imperfecta renovatio. *Auguſtinus lib.2. contra Iulianum* ſcribit: Deus vitiatum ſanat à reatu ſtatim, ab infirmitate paulatim.

181. Quintò: *Peccatum omne ſuâ naturâ eſt mortale, & nullum veniale.* Maledictus enim omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, *Deut.27. verſ.27. Gal.3. v.10.* Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur, *Ezech.18.verſ.4.* Stipendium peccati mors eſt, *Rom.6.v.27.*

182. Diſtinguitur verò peccatum veniale à mortali, non abſolutè, ſed reſpectivè, nimirum reſpectu perſonæ peccantis. In ſolis enim renatis dicitur veniale, quippe, in quibus defectus teguntur pallio Chriſti. In non renatis verò omnia peccata ſunt mortalia.

DE STATV REFECTIONIS SEV GRATIAE.

183. Supereſt ut quædam ſubjiciamus de gratiæ reparatione, in qua ad tria potiſſimum eſt attendendum, ut ſunt. 1. Gratia, prædeſtinatio, & liberum arbitrium. 2. Juſtificatio. 3. Bona opera. De ſingulis his quædam proponimus ordine.

184. Aſſertio prima: *Gratia gratum faciens ſeu juſtificans non denotat qualitatem quandam inhærentem, & per modum habitus permanentem, ſed gratuitam Dei benevolentiam & miſericordiam, credentes propter Chriſti meritum ad vitam æternam acceptantem.* Nam 1. Apoſtolus *Tit.3. verſ.5.* Gratiam Dei vocat miſericordiam Dei, & quidem nobis ante tempora ſecularia datam, *2.Tim.2.v.9.* 2. Spiritus S. de Juſtificatione noſtrâ agens vocabulo *gratiæ* adjungit particulam *gratis*, *Rom.3.verſ.24.* Oſtendit igitur nihil eſſe in nobis, propter quod peccata nobis remittantur. 3. Gratia in Juſtificationis Articulo opponitur è diametro legi, legis operibus, merito, debito, *Rom.3.4.11. Gal.2.3. Eph.2. Tit.3.* 4. Quâ gratiâ nos Deus ab æterno elegit eâ nos juſtificat, *2.Tim.1.v 9.10.* Atqui elegit nos gratia h.e. miſericordia & dilectione gratuita, *Eph.1. verſ.4. Rom.9. v.11.* Ergo.

185. Aſſertio ſecunda: *Errant quotquot diſtinguunt inter elec-*

nem ad gratiam, & ad gloriam, & illam gratuitam, seu absolutam: hanc verò ab operum merito dependere scribunt. Nam non ex operibus nostris, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit Deus, *Tit.2.v.5.* Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, *Rom.9.v.16.* Cum nondum nati essent, aut aliquid boni vel mali egissent, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori, *Rom.9.v.13.* Elegit nos ut essemus sancti, & immaculati, *Eph.1.v.4.* Itaque tales non eramus. Imò si illi tantum sunt electi, qui bona opera erant facturi, infantes baptizati qui in tenellâ ætate extinguuntur, non erunt electi.

186. Assertio tertia: *Homo suâ naturâ nihil facit ad sui conversionem. Non enim fractum modò, & attenuatum, sed nullum omninò est arbitrium in spiritualibus.* 1. Nam in rebus divinis intellectus planè est cæcus, *Psalm.14.v.3. Rom.8.v.7. 1.Cor.2.v.14.* 2. Voluntas humana à rebus divinis est aversa, *Psalm.53.v.3. Esaiæ 53.v.6.* 3. Vires, & conatus omnes sunt sublati, ut *Psalm.53.v.4. Rom.3.v.15. 1.Cor.12.v.3. 2.Cor.3.v.5. Eph.2.v.1.* 4. Omnia igitur adscribuntur in scriptura divinæ gratiæ nobis in spiritualibus ne quicquam, *Philip.2.vers.13. Psalm.23.v.6. Psalm.69.v.11. Rom.9.v.16.*

187. Assertio quarta: *Tantum abest, ut totam legem implere possimus, ut ne quidem particulam ejus ullam perfectè implere queamus.* Nam universæ justitiæ nostræ sunt instar panni menstruatæ *Esa.64.vers.6.* Non est homo justus super terram, qui faciat bonum, & non peccet, *Proverb.20.v.9. 1.Reg.8.v.46.* Etiamsi omnia fecerimus, quæ facere debemus, dicere tamen debemus, nos servos inutiles esse, *Luc.17.vers.10.* Volentibus facere bonum adjacet malum, *Rom.7. vers.21.*

188. Quamvis verò ex lege nemo salvetur, usus nihilominus obtinet, non contemnendos, ut sunt *Politicus* spectans magistratum etiam politicum: Et hic finis respicit homines in primis nondum renatos, *1.Tim.1.v.9.* 2. *Pædagogicus*, sic dictus, quod lex arguendo, accusando, & terrendo tanquam Pædagogus ducat ad Christum *Gal.3.v.24.* Et iste usus principaliter respicit homines justificandos. 3. *Dialecticus*, qui usus respicit renatos: Docet enim lex, quæ opera Deo placeant. Fungitur igitur lex hoc suo munere tripliciter primum docendo, ostendens, quæ opera à Deo sint

præcepta. Deinde arguendo, nempe interfectionem operum, quæ à Renatis fiunt. Tertiò excitando: Veterem enim Adamum in nobis reliquum excitat ad bonorum operum ſtudium, ne dominium affectet.

190. Aſſertio quinta: *In homine igitur juſtificando nulla eſt præparatio, & habet ſeſe in ſui juſtificatione paſſivè.* Nam juſtificamur *gratis* ejus *gratiâ Rom.3.v.24.* Non ex vobis, *Epheſ.2.v.8.* Non ex nobis ipſis, *2.Cor.3.v.5. Bernhardus ſerm.14.in Pſalm.91.* Salvus, inquit, factus es gratis, quod ad te pertinet: & pro nihilo: Sed quod ad illum, planè non gratis: Non de nihilo enim paſſus eſt.

191. Aſſertio ſexta: *Itaq; hominis juſtificatio conſiſtit in peccatorum remiſſione, & juſtitiæ Chriſti imputatione. Pſalm.35.v.1.2. Rom.4.v.7.* Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputabit Dominus peccatum, nec eſt in ſpiritu ejus dolus. *Rom.4.v.45.* Ei, qui operatur merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundũ debitum. Ei verò qui nõ operatur credenti aũt in eum, qui juſtificat impiũ, reputatur fides ejus ad juſtitiam ſecundũ propoſitum gratię. *Bernh.ſer.23.ſuper Cantic.* Sufficit mihi ad omnẽ juſtitiam, ſolum habere propitium, cui ſoli peccavi. Omne, q̃ mihi ipſe non imputare decreverit, ſic eſt quaſi nõ fuerit. Non peccare Dei juſtitia eſt, hominis juſtitia indulgentia Dei eſt.

192. Aſſertio ſeptima: *Iuſtificamur non niſi per fidem Ieſu Chriſti ſeu ſola fide.* 1. Nam particula illa legitur *Marc.5.verſ.36.* Ne metuas μόνον πίςευε, *ſolum crede.* 2. Æqui pollentes phraſes paſſim legũtur, ut *Gal.2.v.16.* Juſtificatur homo non ex operibus legis, niſi per fidẽ Jeſu Chriſti. *Rom.3.v.28.* Arbitramur juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis. *Rom.4.v.6.* Sicut & David dicit, beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert juſtitiã ſine operibus. 3. *Ambroſ.in 1. Cor.1.* Hoc inquit, conſtitutum eſt à Deo, ut qui credit in Chriſtum, ſalvus ſit ſine opere, *ſola* fide gratis accipiens remiſſionem peccatorum. *Bernhardus ſerm.22.in cant.* Per *ſolam*, ait fidem juſtificatus pacem habebit à te.

193. Per particulam verò illam *(ſola)* non excludimus cauſas concurrentes, quæ ſunt extra nos, ut ſunt: Dei miſericordia & meritum Chriſti. Juſtificat ſola Dei miſericordia efficienter, ſola. Chriſti obedientia meritoriè, ſola fides inſtrumentaliter gratiam in merito Chriſti fundatam apprehendens.

194. Ne-

194. Neque particula illa exclusiva excludit virtutes ne adsint, sed excludit eas à causa reconciliationis. Seu non excludit virtutes seu opera à justificatâ persona, sed ab ipsa tantum justificatione. Adhibetur igitur 1. ut excludatur conditio meriti, seu dignitatis nostræ. 2. Ut causa reconciliationis adimatur nostris operibus, & transferatur in solam gratiam Dei propter meritum Christi mediatoris. 3. Ut ostendatur applicationis medium seu organon.

195. Assertio octava: *Justitia, qua coram Deo consistimus est unica, nempe imputata seu justitia Christi: quæ nostra sit fide. Non igitur admittimus διαίρεσιν justificationis in primam & secundam.* Nam 1. eam ignorat scriptura. 2. Antiquitati planè fuit incognita. 3. Justitia Christi, quæ nobis imputatur nullo indiget augmento. 4. Inchoata justitia nihil confert ad gratiam impetrandam, qua coram tribunali Dei subsistimus. 5. Unica est formalis causa justificationis, ut & *Bellarm.* disputat *lib. 2. de justif. c. 15.* Si igitur sufficit ad salutem justificatio prima, non opus erit secunda, aut si sufficit per se secunda, non opus erit prima: aut si requiritur utraque non potest esse justificationis forma unica. *6. August. lib. 19. de civit. Dei c. 26.* Justitia nostra peccatorum constat remissione, non perfectione virtutum.

196. Assertio nona: *Bona opera sunt fidei fructus, non causæ meritoriæ æternæ salutis.* 1. Sunt enim impura, imperfecta. *Esa. 64. v. 6. Jac. 3. v. 2.* 2. Jam ante debita, ita ut si omnia fecerimus, quæ facere debemus, dicere debeamus, nos servos esse inutiles, *Luc. 17. vers. 10.* 3. Passiones nostræ vitæ æternæ non sunt pares, nec ea condignæ, *Rom 8. v. 18.*

197. 4. Satisfactio soli competit Christo, qui infinitum λύτρον pro nobis præstitit.

198. *Bernhardus dicit serm. 4. in fest. Annunc.* Initium solius gratiæ, consummatio, & ipsa solius gratiæ est, nec est mihi in hac parte, vel cum ea sive in ea gloriari, quasi coadjutor videar, aut cooperator.

199. Errores pontificiorum sic breviter ostendimus & refutavimus. Deo igitur clementissimo gratias immortales agimus, quod nos ex tenebris istis papisticis eripuerit, & lucem verbi sui rursus splendescere fecerit. Eundem rogamus, ut contra fraudes & insidias, quas pontificii veritatis professoribus struunt, clementer nos conservare velit.

FINIS.

PRÆSTANTISSIMO ET DOCTISSIMO
DN. RESPONDENTI AMICO CONTERRANEO ET COMMENSALI SUO CHARISSIMO,
qui sic per Angram. elisis aspiratis.

HERMANNVS MATTHIAS HARHOFFIVS

Aram justi affers, non mutas?

PRroſpiciente Deo lux optatiſſima coelo
Exoritur, famâ toti notiſſima mundo:
Suave melos, cantuſq; pios, grateſq; reposcens
Innumeras, quas ore suo sacrata caterva
Doctorum juvenumq; è dio fonte bibentum
Huc referet; quæ digna cani, digniſſima laude est.
Namq; replet seclum, nutritus ab ubere VERBI
Quo Lucherus erat lucem monstrare paratus
Directore DEO, qui perget VERBA tueri.
Vnde memor nostri secli, doctiſſime Harhoffi,
Exsurgis (Doctore Viro reverenter habendo
Præside) & Herois magni pia dogmata pandis,
Destruis & contra Monachorum somnia vana:
Aras ipsorum scrutaris religiosas
Scilicet, & Miſſas perluſtras ritè potentes.
ARAM JUSTI hominis, fugiat quò tutius, AFFERS,
Inq; ara Christi crucis asseris esse quietem.
NON MUTAS quicquam cui verus competit usus;
Fundamenta affers quæ sunt sacro eruta verbo,
Quæ totum resecant, quicquid conamine verum
Impedit, & falsum vero præferre studebit.
Sic benè præteritum felici sidere seclum
Ostendis, quæ grata Deo res, grata parenti,
Gratag; patronis multùm dicetur amatis!

Gratulabundus pauca hæc adponebat
Franciscus Rohde Bilfeldiâ-
VVestph. anno

ELapso hoC seCLo LVtherVs fLorVIt: est spes
Te ReCtore Deo, ne pIa Cæpta CaDant.

PRODROMVS
REFUTATIONIS ERRORUM PONTIFICIORUM

Publicæ Disputationis loco informatus & institutus

à

JOHANNE GISENIO SS. THEOLOG. DOCTORE,

Et in inclyta Academia Gieſſena ordinario Profeſſore

RESPONDENTE

M. OTTONE Brawen/*OSNAburgo-Weſtphalo*

In Auditorio Theologico ad diem 19. Februar.

GIESSÆ CATTORUM,

Ex officina libraria Caſparis Chemlini.

cIↃ IↃ cXVIII.

PRODROMVS REFVTATIONIS Errorum Pontificiorum.

THESIS I.

SYNOPTICE errores Pontificiorum in *Delineatione* præmissa ostendimus, & Scripturæ fundamentis refutavimus. Cum autem Pontificii ratiunculis quibusdam eos propugnare, & Pontificiam religionem amplectandam esse, iisdem persuadere studeant; Ideò nonnullas potissimum, ex libro *Jacobi Rething*, quem in scripsit Muri civitatis sanctæ, & ex scripto *D. Sixti Sartorii Apostatæ*, atq; aliorum enarrabimus, & breviter refutabimus, examinabimus; Atque his fundamenta de Papatu fugiendo opponemus.

Examen fundamentorum religionis Pontificiæ.

2. Primum igitur fundamentum religionis Pontificiæ sumitur *ab origine Apostolica*: Quæ enim religio gaudet Apostolicâ origine, illam oportet nos venerari, ei, ut uni, sanctæ, catholiæ, & Apostolicæ Ecclesiæ adhærere. Atqui sola religio Romana gaudet Apostolicâ origine. Ergo. *Bellarm. lib. 4. de notis Ecclesiæ c. 5.* Aliis coloribus idem argumentum pingit; Quod, inquiens nostra Ecclesia, quam adversarii Papisticam vocant, sit illa ipsa, quã Christus instituit, & proinde vetustior omnibus sectis hæreticorũ, hac ratiocinatione concludi potest. Ratiocinationem verò ipsam petit à circumstantiis, ut sunt author Christus, dogma, tempus, locus, oppugnatores, &c.

3. Resp. Fundamentum hoc pontificiæ religionis admodum esse ruinosum ostendimus *Disp. 12. th. 35.* & *Disp. 13. th. 25. 26.* Addimus pauca 1. Fundamentum aliud nemo ponere potest præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus, *1 Cor. 3. v. 11.* 2. Fundamẽtum verò hoc in suis concionib. quas posteà, mandãte Dño, literis

mandârunt, oſtenderunt, commendârunt, & deſcripſerunt Evangeliſtæ, & Apoſtoli. 3. Origine igitur Apoſtolicâ illa verè gaudet Eccleſia, quæ illud retinet fundamentum inconcuſſum, & invariatum, quæ gaudet origine doctrinali, & non gloriatur de nudâ ſucceſſione perſonali, & locali. Atqui invariatum non retinet Eccleſia pontificia: Nam annon ea fundamento huic ſua addit inventa humana? annon inventa ea Scripturæ in interpretationib. ſuis præfert? Annon ſcripturam imminuit Sacramentum cœnæ mutilando? Annon in juſtificationis negotio fundamẽto huic derogat in ſuis propriis operibus confidendo? At ne latum ab eo recedit unguem Eccleſia, (quam vocãt) Lutherana. Hæc enim in fidei Articulis vocem urget Spiritus S. & claram literam Dei ſapientiſſimi, veraciſſimi, & potentiſſimi: Unde Pontificii veræ hujus Eccleſiæ Doctores per ignominiam nominant ſcripturarios. Ergo hæc verè gaudet origine Apoſtolicâ.

4. Verum plurima in eâ deſiderari vociferantur Pontificii, ut ſunt tranſſubſtantiatio, extrema Unctio, Purgatorium, &c.

5. Reſp. Fruſtrâ colitur Deus mandatis hominum, *Eſa.* 29. *v.* 13. *Matt.* 15. *v.* 8. Ad legem, & ad teſtimonium, ſi non dixerint, ſecundum verbum hoc, non erit eis matutina lux, *Eſa.* 8. *v.* 20.

6. Fundamentum pontificiæ religionis ſecundum petitur *Ab Apoſtoli Petri primatu: Illa enim eſt vera religio, quæ Apoſtoli Petri primatum non extenuat, ſed ex Scriptura propugnat, ejusque uſurpationem per pontifices Romanos Petri ſucceſſores continuat. Atqui hoc facit nulla religio alia, quam pontificia. Ergo illa eſt religio vera, ac proterea amplectenda.* Majoris veritatem oſtendere conantur pontificii ex duplici teſtimonio. Prius continet promiſſionem, & legitur, *Matt.* 16. *v.* 18. Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: & tibi dabo claves regni Cœlorum, & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis. Ex hoc inferunt, 1. Petrum eſſe illum petram ſuper quâ fundetur Eccleſia. 2. Ædificari ſuper petram ſignificare, ajunt, Petro eſſe commiſſum totius Eccleſiæ regimen, & præcipuè circa fidem, cum Petræ fundamentali

mentali sit proprium, totum ædificium regere, & sustentare. 3. Illum cui dicitur: (*Tibi dabo claves*) esse solum Petrum: Tot enim modis Christus Petri personam designavit, ut non pluribus circumstantiis describere soleant aliquem certum hominem Notarii illi, qui Instrumenta publica conficiunt. Nam in primis expressit substantiam personæ singularis per Pronomen, *Tibi*, deinde addit nomen inditum in nativitate, cum ait: *Beatus es Simon:* Adjunxit nomen Patris, cum ait, *Filius Jonæ*, nec omittere voluit nomen à se recens impositum: *Ego dico tibi, inquit*, quia tu es Petrus. Quorsum tam accurata descriptio, si nihil ipsi Petro proprie promittitur? Non igitur suspicari possumus, nomine illum Ecclesiæ, & non potius suo, claves accepisse, dicit Bellarminus. 4. Nomine *clavium Petro datarum* intelligi scribunt, summam potestatem in omnem Ecclesiam: cùm metaphorâ clavium id innuatur: Quando enim urbes deduntur alicui Principi, offeruntur ei claves in signum subjectionis, & ei qui instituitur Oeconomus in domo, claves tradi solent. Cumque in Scriptura ligare dicatur, qui præcipit, & qui punit. Quare *Matth.* 16. promissum est Apostolo Petro, ut sit Princeps Ecclesiasticus, Ecclesiæ totius caput, & princeps loco CHRISTI: atque consequenter successori ejus Pontifici Romano, videatur *Bellarminus libro.* 1. *de Romano Pontific. capit.* 10. *& sequentibus.* Itaque licet omnes Apostoli fuerint æquales respectu officii Apostolatus: inæquales tamen fuerunt respectu regiminis & potestatis, *Eckius in Enchirid. Titul.* 3. Quamvis omnes Apostoli habuerint parem potestatem quoad amplitudinem rerum gerendarum, non tamen quoad superioritatem in ordine gerendi: Petrus enim sic caput erat omnium Christianorum, ut etiam ipsorum Apostolorum caput esset *Stapletonus lib.* 6. *contr. pag.* 219. *Joachimus Periomius l.* 1. *Topic. Theol. pag.* 47. *Johannes Roffenses Episcopus Cantabrigiensis Academiæ Cancellarius Articulo* 25. *de primatu summi Pontif. pagin.* 203. *Costerus de summo Pontif. cap.* 3. *pagin.* 203.

7. Resp. Primò, Fictitius ille primatus Apostoli Petri 1. *Repugnat ipsi Christo*, qui solus est Ecclesiæ universalis caput, sicut vir mulieris, *Eph.* 5. *v.* 23. Solus Ecclesiæ suæ sponsæ sponsus, 2. *Cor.* 11. *v.* 2 Apostolus igitur dicit, *Rom.* 12. *v.* 45. Multi unum corpus sumus

in Christo singulatim autem alii aliorum membra. Fideles igitur (atque sic etiam Petrus) non tantum in relatione ad Christum sed etiam ad alios fideles sunt aliorum membra. Nuspiam igitur in scriptura in variorum ordinum enumeratione universalis capitis Ecclesiæ præter Christum fit mentio. Repugnat decisioni Christi: Nam aliquoties quæstionem de primatu motam ita decidit, ut nunquam Apostolum Petrum reliquorum caput constituerit. Repugnat promissionibus Christi, se semper Ecclesiæ suæ adfuturum promittentis, *Matt.* 28. *v.* 20. At præsentis, non datur universalis vicarius.

8. 1. *Adversatur ipsi Petro*, qui sese reliquorum Apostolorum non Principem, sed συμπρεσβύτερον agnoscit. 1. *Pet.* 5. *v.* 1. In Samariam ablegatur, *Act.* 8. *v.* 14. 3. *Adversatur Apostolo Paulo*: Non enim agnoscit se summis Apostolis inferiorem, 2. *Cor.* 11. *v.* 5. *c.* 12. *v.* 11. 4. *Adversatur Petri, & Pauli Actionibus*. In faciem enim restitit Paulus Petro, quia reprehensibilis erat, *Gal.* 2. *v.* 11.

9. 2. *Contrariatur ipsi Apostolatui*: Hic enim in Ecclesiâ est primus, & maximus, 1. *Cor.* 12. *v.* 28. inter Apostolos igitur est æqualitas vocationis: Idem, qui vocat Christus, idē vocationis modus, nimirum immediatus. Eadem missionis formula omnibus communis *Matt.* 28. *v.* 19. 20. *Mar.* 16. *ver.* 15. *Johan.* 20. *ver.* 3. Eadem privilegia, *Matt.* 10. *v.* 8. *Mar.* 16. *v.* 17. 18. Eædem Ministerii claves, quæ omnibus Apostolis dantur, & promittuntur, *Matt.* 18. *v.* 18. *Johan.* 20. *v.* 23. Idem finis, 1. *Cor.* 5. *ver.* 20. *cap.* 11. *v.* 28. Quare Apostolus Petrus Ecclesiæ Princeps, & universale caput non est constitutus, neque ipsi primatus jurisdictionis in reliquos Apostolos est promissus & concessus, licet non absurdè ei primatus ordinis adscribatur ob ætatem, animi fortitudinem, eloquentiam.

10. Secundò, in resolutione, dicti istius Christi, *Matt.* 16. *ver.* 18. attendendum est potissimum ad tria, ut sunt quid nomine *Petræ* intelligatur, cui fiat promissio, & quid denique promittatur.

11. Ad membrum primum respondemus vocabulo *Petræ* multos pios Patres intelligere vel fidem; & fidei divinitatis Christi promissionem, vel fidei correlatum nimirum Christum qui in scriptura passim petra nominatur, ut *Matt.* 7. *v.* 24. *Act.* 4. *v.* 11. *Rom.* 9. *v.* 32. *Co.* 10.

v.32.1.*Cor.*10.*v.*4.1.*Pet.*2.*v.*7. Non diffitemur & plurimos Patres, aliosque doctos, vocabula ista, *hanc petram*, ad ipsum Petrum, non ut erat privata, sed ut erat publica persona referre, motos potissimum allusione Christi ad nomen istud, quod ipsi *Joh.*1.*v.*42. imposuerat, uti *Disp.*7.*t.*54. pluribus notavimus. Verum posita hac interpretatione, nondum tamen Petri primatus, & omnimodus super cæteros Apostolos, & totam Ecclesiam principatus stabilitur. Nã refertur ad illũ non respectu ejusmodi promissæ jurisdictionis, sed respectu fidei, & doctrinæ, quo sensu non ad solum Petrum, sed ad omnes Apostolos referri debet. Nam Ecclesia ædificata est super fundamento Prophetarum, & Apostolorum, existente summo angulari lapide ipsius Jesu Christo *Eph.*2.*v.*20. hoc est, super doctrinã illorum. Et *Gal.*2.*v.*9. nominat idem Apostolus Jacobum, Cepham, & Johannem στύλους hoc est, columnas & suo modo Ecclesiæ fundamenta. Johãnes *Apoc.*21.*v.*14. Murus civitatis inquit habens fundamenta XII, & in ipsis XII nomina XII Apostolorum, hoc est, civitatis illius magnæ, sanctæ Hierusalem, de Cœlo descẽdentis, ab ipso Deo, ut ex *ver.*12. apparet, quæ sine dubio est ipsa Christi Ecclesia. Ecclesiæ igitur fundamentum in hac significatione non est solus Petrus, sed omnes Apostoli: Fundata igitur est Ecclesia non super solum Petrum, sed super omnes Apostolos sensu jam explicato. Itaq; Apostolo Petro potestas jurisdictionis in reliquos Apostolos non fuit collata.

12. Ad membrum secundum respondemus distinguendo inter rem promissam, & verba promissionis: Res promissa, ut sunt claves regni Cœlorũ omnibus Apostolis veluti sunt promissæ, ita & traditæ. Et quos Christus interrogabat illis promittit. Interrogabat verò omnes discipulos, vos, inquiens, quem me dicitis esse. Ergo. Verba verò promissionis referuntur ad Petrum. Petrus enim non unius, sed unitatis sustinens Personam, ut habent verba Augustini interroganti Christo id, quod *Joh.*6.*v* 69. *Matt.*14.*v.*33. Confessi, & professi fuerant, respondet, quia erat senior, quia eloquentior, quia cordatior, quia amore in Christum flagrantior.

13. Ad tertium membrum, nimirum quid sit promissum respondemus ex ipso textu, promissas esse claves regni cœlorum, & potestatem solvendi, atque ligandi.

14. Claves

14. Claves verò regni cœlorum communiter omnibus Apostolis sunt promissæ, & commissæ, *Matth.*18.*v.*18. Et nomine *clavium* nihil aliud intelligitur, quàm potestas solvendi, & ligandi, quæ omnibus Apostolis est promissa, & collata: Nam Apostolo Petro dicitur: *Quodcunque ligaveris, & solveris*, Apostolis reliquis: *Quodcunq; alligaveritis, & solveritis, &c.* Ergo non denotant in Apostolo Petro præeminentiam & excellentiam.

15. Posterius Scripturæ dictum, quod pro suâ opinione obtinendâ urgent Pontificii, agit de ipsa collatione, & legitur, *Joh.* 21.*v.*15.16.17. Ubi Christus Petrum ter appellat, eique agnos, oviculas, & oves suas pascendas committit. Tria in hujus loci explicatione notant Pontificii. *Primum*, soli Petro dictum esse, pasce oves meas, idque colligi 1. ex illo nomine *Simon Joannis*, quo nomine solus Petrus vocabatur. Eidem igitur illi Simoni datur, cui fuerat, *Matt.*16. promissum. 2. Ex illis verbis: *Diligis me plus his.* Hoc enim soli Petro est dictum. 3. ex trina Christi interrogatione. 4. ex illis verbis, *contristatus est Petrus.* 5. ex illis verbis, *cum senueris extendes manum tuam.* 6. Ex illis verbis: *Hic autem quid?* Et ex responsione Domini: *Quid ad te? Tu me sequere.* Hæc enim soli Petro sunt dicta. Ergo eidem soli dictum est *pasce oves meas.* Secundum, verbo illo, *Pasce*, traditam etiam summam Ecclesiasticam potestatem Petro, 1. quia illius est pascere, qui est super familiam constitutus, 2. quia pascere idem est, quod agere pastorem, sive esse pastorem. Actus verò pastoralis est, ducere, tueri, præesse, regere, castigare: Pastores ovium non solum pabulum illis præbent, sed regunt, & baculo cogunt ut pareant. 3. Johannes igitur scribit ποίμαινε pasce regendo, & præsidendo. Tertium, illis vocibus: *oves meas*, universam Christi Ecclesiam esse designatam, ac proinde omnes omninò Christianos, etiam Apostolos, tanquam oviculas ipsi Petro esse commendatos, quando ei est dictum, *pasce oves meas*, 1. quia bis dixit Christus, *pasce agnos*, & semel *pasce oves*: Priori loquendi genere commisit Dominus Petro curam duorum populorum, Judaici, & Gentilis; posteriori Episcopos, qui sunt veluti matres agnorum. 2. quia pronomen, *meas*, extendit se ad omnes simpliciter: Nec enim ullus est in Ecclesia, qui se Christi ovem esse non glorietur. Omnes igitur omninò Christianos, etiam

Aposto-

etiam Apostolos, Petro Dominus commendavit. 2. Quid aliud est, *pasce oves meas*, quam habe curam mei ovilis? Est autem unum tantum Christi ovile, *Johan.* 10. 3. quia Petro commodatæ sunt oves non certæ ac definitæ, nec aliquæ indefinitæ, sed omnes.

16. Resp. Primò Christus solum Petrum compellat, & quidem tribus distinctis vicibus, non quasi ipse debuerit esse universalis Ecclesiæ caput, nec quasi ipsi potestatem Monarchicã concedat, neque quasi Petrus solus debuerit curam Ecclesię gerere, sed 1. ob metum, quem ipsi trina abnegatio incusserat, & restitutionem, 2. Ob confessionem, ut trinæ negationi trina confessio redderetur. *Augustinus Tract.* 123. *in Joh.* Redditur negationi trinæ, inquit, trina confessio, ne minus amori serviat lingua, quam timor: Et plus vocis elicuisse videatur mors imminens, quam vita præsens Sit amoris officium pascere dominicum gregem, si fuit timoris indicium negare Pastorem. *Idem Tract. de Vtilit. pœnitent. c.* 1. Tertiò confiteatur per amorem, qui ter negaverat per timorem. 2. Non gitur Christus peculiare quid præ reliquis Apostolis Petro committit, sed in munere Apostolatus restitutum confirmat, & ut non obstantibus negationibus, quibus ab Apostolatu deturbari meritus fuerat, porro in vinea Domini plantare diligenter pergat, *Chrysost. hom.* 97. *in Johan.* Si amas me, inquit, fratrum curam susci-pias? Et quem in omnibus dilectionem ostendisti, & quâ delector, nunc ostende, & animam, quam pro me positurum dixisti, hanc pro ovibus meis trade. *Cyrillus Alexandrinus in Johan. lib.* 12. *c.* 64. Dixit, pasce, agnos meos, inquit, Apostolatus illi renovans dignitatem, ne propter negationem, quæ humana infirmitate accidit, labefactata videretur.

17. Secundò, vocabulo *Pascendi* nulla continetur vel potestas, vel authoritas, quæ non reliquis Apostolis omnibus sit concessa. Nam 1. Reliqui Apostoli omnes jussi sunt pascere, *Matt.* 28. *ver.* 19. 20. Ite in mundum universum μαθητεύσατε. 2. Christus misit discipulos suos omnes, sicut ipse missus erat à Patre, *Joh.* 20. *v.* 21. 3. Omnibus Apostolis Regni cœlorum claves sunt commissæ, non minus ac ipso Petro. 4. Ipse Apostolus Petrus, 1. *Epist.* 5. *v.* 2. *Pascite* inquit, qui in vobis est gregem Christi. 5. Apostolus Paulus, *Eph.* 4. *ver.* 11. 12. Ipse (Christus) dedit quosdem quidem Apostolus, inquit

quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas. Alios autem *pastores*, & Doctores. 6. *Augustinus Tract.* 47. *in Johan.* Tenete, inquit, quomodo Dominus Jesus Christus & ostium sit, & Pastor, ostium pandendo se, pastor intrando per se: & quidem, fratres, quod Pastor est, dedit & membris suis: Nam & Petrus Pastor, & Paulus Pastor, & cæteri Apostoli Pastores. *Ambrosius de Dignit. Sacerd. c.* 2. Quas oves, inquit, & quem gregem, non solum tunc Beatus suscepit Petrus; & nobiscum eas suscepit, & cum illo eas non suscepimus omnes. *Chrysostomus Homil.* 87. *in Johan.* Simon Joannes diligis me plus his? Quid tandē aliis omissis his duntaxat Petrum affatur? Os erat Apostolorum.

18. Tertiò vocabulum *pascendi* usurpatur vel propriè, & significat alere, vel Metaphoricè, quo sensu idem est, quod providere, curare, atque in hac significatione aliter usurpatur, quando tribuitur statui politico. Tum enim significat regnare, & curam subditorum gerere, ut 2. *Sam.* 5. *v.* 2. *cap.* 7. *v.* 7. *Apoc.* 19. *v.* 15. Et aliter quando tribuitur statui Ecclesiastico: Tum enim significat docere, Sacramenta administrare, & alias Ministerii partes curare. Non negamus igitur. 1. Vocabulum pascendi quamcunque, & quantamcunque in se authoritatem continere, sed negamus aliquam eo contineri, quæ non melius, & amplius contineatur in dictis illis Christi: Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos. Et his: Euntes docete. 2. Quemadmodum verbo *pascendi* tota potestas Ecclesiastica intelligi potest, ita nomine *ovium* omnes indefinitè totius mundi infideles intelligi possunt. 3. Apostolus igitur Petrus in toto potuit mundo suam potestatem pascendi, hoc est, prædicandi, instituendi, & Sacramenta administrandi exercere. 4. Potestas verò, & authoritas hæc in quocunque Apostolo erat plenissima, & ampliſſima. *Chrysost. Homil. ult. in Johan.* dicit: Cum essent Apostoli orbis terrarum curam susceperturi, simul amplius essent non oportebat. Et *Hom.* 2. *de Pauli laudibus* Apostolum Paulum totius orbis facit Pontificem, eiq; & mare, totumque orbem habitabilem, & non habitabilem subjectum esse docet, Et *Orat.* 5. *contra Jud.* de Timotheo scribit. Ille justus, ille sanctus, cui orbis terrarum cura erat comissa.

19. 5. Vocabulum igitur *pascendi* Petro, & reliquis Apo-

stolis.

stolis tributum, non denotat potestatem monarchicam, principatum, & dominium, sed ipsum Ministerium, ejusq; diligentem administrationem. Nam 1. Dominium illud, & primatus Apostolis, & Ministris verbi denegatur *Luc.* 22. *v.* 25. 26. 2. Apostolus Petrus ipse scribit, 1. *Epist. cap.* 5. *v.* 1. 2. 3. Presbyteros, qui inter vos sunt obsecro, quod sum & ipse Presbyter, ac testis afflictionum Christi, atque idem consors gloriæ, quæ revelabitur. Pascite quantum in vobis est gregem Christi curam illius agentes, non coactè, sed volentes: Non turpiter affectantes lucrum, sed propenso animo. *Neque ceu dominium exercentes adversus electos*, sed sic ut sitis exemplaria gregis. 3. Nuspiam igitur vocabulum *pascendi* Apostolis tributum significat in Scriptuta dominium. Quid igitur causæ quod in unico loco peculiarem habeat significationem? 4. *Johan.* 21. *v.* 15. 17. bis legitur vocabulum βόσκειν *vers.* 16. ποιμαίνειν, quæ vocabula hoc loco sensu conveniunt. At βόσκειν nuspiam in scriptura significat regnare. Ergo. 5. Pastura Petri significat vel ipsum Apostolatum, qui omnibus Apostolis est communis, atque ita nihil præ reliquis Apostolis accepit Petrus; vel officium Apostolatu superius. At hoc dari negat Apostolus docens 1. *Cor.* 12. *v.* 28. In Ecclesia *primum* esse positos Apostolos. 6. *Cyprianus Tract.* 3. *de simpl. Prælat.* Hoc erant cæteri Apostoli, inquit, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis.

20. Quartò, Vocabulis *agnorum, ovicularum, & ovium* intelliguntur omnes homines instructione ad fidem, & cura indigentes qui indifferenter cõmendantur Petro, & reliquis Apostolis. Falsum omninò est Petro in reliquos Apostolos dominiũ esse concessũ 1. Opinio enim hæc nullo nititur fundamento. 2. Apostoli omnes erant pares. 3. Qui major inter discipulos esse volebat, reliquorũ debebat fieri servus. 4. Ad quid quæso dominium hoc petro fuit cõmissũ. Nũ ad docendũ? Resp. Nõ Petrus, sed Spi. eos in omnẽ veritatẽ deduxit. Nũ admittẽdũ. Res. Nõ à Petro sed à Christo omnes fuerũt missi: Apostolus Paulus triennio prędicavit ante visũ Petrũ. Num ad clades usurpãdas? Res. Nõ â petro sed à Christo pariter clavium potestatem acceperunt. Hinc Apostolus Paulus non agnoscit se sũmis Apostolis inferiorẽ 1. *Cor.* 11. *v.* 24. Imò in quocunq; audet aliquis (per insipientiã loquor) aùdeo & ego. Nihil minus est ab iis,

quales aliquando fuerint, nihil mea refert personam hominis Deus non accipit. Mihi enim qui videbantur esse in pretio, nihil contulerunt. *Chrysostomus in locum hunc commentans scribit*: Paulus se cæteris honore PAREM ostendit, nec se reliquis illis, sed IPSI SUMMO (PETRO) comparat, declarans, quod horum unusquisque parem sit sortitus dignitatem. Num ad corrigendum, & corripiendum? Respon. Apostolum Petrum à Paulo correctum & correptum invenimus, & legimus; sed nullum Apostolum à Petro correctum cernimus.

21. *Excipit Sixtus Senensis lib. 6. Biblioth. annot.* 169. 171. Proinde, inquiens, ne quis existimet eum (Hieronymum) inter se scripsisse pugnantia, *dum nimirum parem cum Petro facit Paulum, & alios Apostolos*, sciendum est triplicem in Petro fuisse potestatem, nimirum ordinis, Apostolatus, ac Regni. Si Apostolatum spectemus, hoc est docendi officium, & Evangelicæ prædicationis curam (atque hæc sub pascendi munere continentur) rectè dixit Hieronymus, Paulum non esse Petro inferiorem. At si potestatem inspicimus, quæ in ordinis Sacramento confertur, scitè, pronunciavit Hieronymus, omnes Apostolos ex æquo claves accepisse, & Ecclesiæ fundamenta solidasse. Demum si de potestate Regni, deque illâ primariâ super omnes Episcopos, & Ecclesias authoritate sit sermo, optimè scripsit Hieronymus, unũ Petrum inter duodecim Apostolos electum, & caput omnium constitutum, ut ejus supremâ authoritate, & eminentiori, præ cæteris potestate, contentiones Ecclesiæ dirimantur, & omnis schismatum occasio tollatur.

22. Resp 1. Verè dicit Sixtus potestatem Apostolatus æqualem esse in Apostolis omnibus: Ex hoc enim ruit tota Petri Monarchia. 2. Regnum Christi nõ est de hoc mundo. Et Christus illud Apostolis denegavit. Ergo potestate regni non distinguitur Apostolus Petrus à reliquis Apostolis. Nulli enim Apostolorum regnum illud competit. Ergo respectu ejus distingui nõ possunt. 3. Ostendimus, potestatem Apostolis concessam esse nullam aliam, nisi docendi Evangelium, & Sacramenta administrandi: Hæc verò cum omnibus Apostolis fuerit communis: inferimus nulli præreliquis summum primatum esse collatum. 4. Injuriam facit Hie-

Hieronimo: Non enim dicit Hieronimus, Petrum reliquis Apostolis præferri, quasi esse debeat Christi vicarius, universalis Ecclesiæ caput, Monarcham agere, suâ authoritate, & potestate supra cæteros Apostolos, contentiones dirimere, schismata tollere; sed docet, ut unitas collegii Apostolici à reliquis cognosceretur, atque ut ex tali unitate se in unitate corporis illius, absq; scissione, & schismate conservarent, non juniorem, sed ætate majorē, nimirum Petrum quasi caput esse constitutum h.e. primatum ordinis ipsi esse collatum. *Libr. 1. adversus Jovinianum scribit*: At dicis, super Petrum fundatur Ecclesia, licet idipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves regni cœlorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur: tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite cōstituto, schimatis tollatur occasio. Pergit Hieron. cur non Johannes, inquiens, electus est? Ætati delatum, quia Petrus senior erat, ne adhuc adolescens, ac pene puer, progressæ ætatis hominibus præferretur, & Magister bouus, qui occasionem jurgii debuerat auferre discipulis, & qui dixerat eis, Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis: Et, qui voluerit inter vos major esse, minimus omnium sit, in adolescentem, quem dilexerat, causam videretur præbere invidiæ. Denique *aliud est præferri, & aliud præfici: Illud est comparationis, hoc jurisdictionis*, sic aurum dicimus argento non præfici, sed præferri: Petrus reliquis Apostolis præferebatur, non præficiebatur.

23. *Pergunt Pontificii magno numero coacervare Patrum testimonia iisque pugnare*: Nam hi Patrum primatum agnoscunt plurima elogia ipsi tribuunt, principem nominant, cathedram Petri commendant, prærogativas multas enumerant.

24. Resp. 1. *Primatus alius est ordinis, & alius jurisdictionis*; Ille est, quando unus reliquis paribus præfertur, ut primum locum teneat, & reliquos antecedat; Hic est, quando unus reliquis præficitur, ut in ipsius judiciis acquiescant, & sine ipsius arbitrio nihil suscipere debeant: Non hunc, sed illum tribuunt pii Patres Apostolo Petro. 2. Petri cathedra non denotat hunc vel illum locum hanc vel illam sellam, sed Petri doctrinam: Apud eos igitur est Petri cathedra, qui Petri fidem, & doctrinam sequuntur, sic Pha-

sæi sediſſe dicuntur in Moſis cathedrâ, *Matt.* 23. *v.* 2. dum illa præ-
ſcriberent, quæ Moſes tradidit. 3. Eccleſia feſtum cathedræ Pe-
tri celebravit, quia primus Evangelium Gentibus prædicavit & in
Gentibus, atque Nationibus primus Eccleſias fundavit. 4. *Aliud*
eſt excellentia perſonalis, & aliud juriſdictio papalis: Plurima elogia tri-
buuntur Petro non ob juriſdictionem papalem; ſed ob excellenti-
as perſonales: Reliquis enim erat ætate major, animoſior, &c. 5.
Vocabulum *Principis* non ſignificat ſemper Monarchicum domi-
natum ſed ſæpe ordinis primatum. *Exod.* 6. *v.* 14. Qui primi fuerunt
cujusque familiæ primi, nominantur familiarum Principes, licet in
reliquos nullam habuerint juriſdictionem. *Herodes Matt.* 2. *ver.* 4.
dicitur congregaſſe *omnes Principes Sacerdotum*, hoc eſt, maximè ex-
cellentes, ſic Apoſtolus Paulus qui plus reliquis laboravit, dicitur
Princeps non ob primatum pontificiæ juriſdictionis, ſed ob excel-
lentias perſonales. *Gregorius* dicit in 1. *Reg. lib.* 4. *c.* 4. *Paulus obtinuit*
totius Eccleſiæ principatum.

25. Quare ex dicto illo Chriſti *paſce oves meas*, nihil oſtendi
poteſt, quod ſoli Petro & non reliquis etiam Apoſtolis ſit tribu-
tum, & per conſequens primatus ille Petri ex eo inepte colligitur
Sic enim argumentamur: *Quod omnibus Apoſtolis eſt commune, ex eo*
primatus ille Petri, & poteſtas monarchica nequit ſtabiliri. Atqui oves
Chriſti paſcere eſt omnibus Apoſtolis commune, qui & inde Paſtores dicun-
tur. Ergo.

26. *Turrecremata igitur lib* 2. *de Eccl. cap.* 11. videns funda-
mentum religionis pontificiæ eſſe ficulneum, non ſumus argumen
tati, inquit, primatum Petri ex ſola Paſtoralis curæ commiſſione;
Sed ex eo, quod præſentibus aliis Apoſtolis, nulla de illis mentio-
ne factâ, ſoli Petro Chriſtus indefinitè curam gregis ſui commiſit.

27. Reſp. 1. Acceptamus, quod victus *Turrecremata* Loci
hujus perſpicuitate concedit, paſturam ovium omnibus Apoſtolis
fuiſſe communem. 2. Contradicit reliquis pontificiis. *Bellarminus*
lib. 1. *de Rom. Pontif. cap.* 14. tria obtinere conatur. *Primum*, ſoli Petro
dictum eſſe *paſce oves meas. Deinde* verbo illo *paſce* traditam eſſe ſum-
mam Eccleſiaſticam poteſtatem. *Poſtremò*, illis vocibus, *oves meas*,
univerſam Chriſti Eccleſiam eſſe deſignatam. 3. *Turrecremata* ex
conjecturâ, quæ eſt, quod Dominus cum ſolo Petro aliis Apoſtolis
præſen-

præsentibus de hac pastura sit locutus, colligit Petrum universalis Ecclesiæ caput, & Christi vicarium esse constitutum, atque ipsi potestatem jurisdictionis etiam in reliquos Apostolos esse commissum; Sed primò consequentia illa est inepta. Deinde conjectura non gignit scientiam, sed tantum facit opinionem. Tertiò, cur Christus Petrum, & quidem ter alloquatur, in præcedentibus exposuimus, & veras causas ostendimus. Verba quidem ipsa soli dicuntur Petro, sed ipsum τὸ pascere omnibus competit Apostolis, qui ad docendos omnes homines sunt, emissi, ut ubique homines resipiscant.

28. *Quæris, annon omnes oves Apostolo Petro, ut eas pasceret sint commissæ. Hoc dato subsumis, Apostolos esse oves Christi. Ergo.*

29. Resp. 1. Non minus omnes oves cæteris Apostolis, ac Petro sunt commendatæ. Num igitur & ipse Petrus, Cæteris Apostolis pascendus est commissus. 2. Oves aliæ tantum sunt oves; aliæ simul Pastores: Illæ, quæ oves tantum erant, ut Petro ita & cæteris Apostolis sunt commissæ; Hæ Pastores dicuntur respectu ovium pascendarum; oves respectu Christi. 3. *Augustinus Tract. 123. in Johan.* scribit: Animam suam se posituram pro Christo putabat Petrus, pro liberatore liberandus, cum Christus venisset animam suam positurus pro suis ovibus, in quibus erat Petrus, *Idem Serm. 56. de verb. Dom.* Ergo & Pastor ipse est pastorum, & pastores multi sunt unius pastoris, & oves cum pastoribus sunt sub Pastore. 4. Commissa igitur Petro fratrum cura, intelligenda est non de ipsis Apostolis sed de aliis convertendi hominibus.

30. Tandem si Apostolo Petro primatus aliquis fuisset concessus, quid hoc ad Romanos pontifices? Infallibilem veritatem Christi doctrinæ tenere, erat proprium Apostolorum, qui in omnem veritatem erant introducti; Sed non fuit Pastorum, qui ab Apostolis, & eorum scriptis eam haurire debent. Jam verò Petrus, cujus se successores jactant Pontificii, non solum fuit universalis Pastor, ut placet pontificiis, sed etiam Apostolus. At fateantur oportet pontifices, se successisse Petro non ut Apostolo sed ut Pastori. Ficta igitur illa successio non probat Pontificum sententiis decretis & præscriptis in iis, quæ credi, vel non credi debeant simpliciter standum esse.

31. Funda-

30. *Fundamentum Pontificiæ Religionis tertium est Romanorum Pontificium successio : Quæcunque enim Ecclesia gaudet Pontificum successione ab Apostolo Petro inchoatâ, & per plurima jam secula continuatâ, illa est una, vera, sancta, & catholica. Atqui eâ gaudet sola Ecclesia Romana. Ergo. Bellarminus libro quarto, de notis Eccl. c.8.* Nota veræ Ecclesiæ inquit, est successio Episcoporum in Romana Ecclesia ab Apostolis deducta usque ad nos : Hinc enim dicitur Apostolica. *Idem pagin. 225.* Ut vis hujus argumenti, inquit, melius intelligatur, aliqua notanda sunt. *Primum* est, non posse ullo modo Ecclesiam esse sine pastoribus & Episcopis. Secundò, illos solos in Ecclesiâ semper habitos fuisse veros Episcopos, qui ab Apostolis per legitimam successionem, & ordinationem descendisse ostendebantur. Tertiò, duo requiri, ut aliquis Episcopus dicatur ab Apostolis legitimè descendere, & proinde esse legitimus Episcopus. Unum est successio, alterum est ordinatio. Quantum ad successionem attinet, id requiritur, ut is qui verus Episcopus haberi cupit, succedat alicui Apostolo. Quantum ad ordinationem autem, ut qui fit Episcopus ordinetur à tribus Episcopis, qui & ipsi sint ab aliis ordinati, & illi ab aliis, donec ad Apostolos veniatur. Quartò, antiquos hæreticos consuevisse, ut plurimum Ecclesiam imitari in ordinatione Episcoporum. Nostri autem temporis hæretici neutrum habent, id est, nec ordinationem, nec successionem, & propterea longè inverecundius, quam ulli unquam alii hæretici, sibi nomen, & munus Episcopi usurpant.

31, Ex quo argumentum insolubile sumitur hoc modo, dicit *Bellarminus pag. ducentesima vigesima septima*, Ecclesia non potest esse sine Episcopis, ut ostendimus. Apud Lutheranos non sunt Episcopi : Nam non habent ordinationem, nec successionem ab Apostolis. Ergo apud eos non est Ecclesia. *Cyprianus lib. de simplicitate Prælatorum* dicit : Illi sunt, qui se ultrò apud temerarios convenas sine divina dispositione præficiunt, qui se præpositos, sine ullâ ordinationis lege constituunt, qui nemine Episcopatum dante, Episcopi nomen assumunt.

32. Resp. Et Major, & Minor Sylogismi istius Pontificii, adeoque præmissæ laborant. Melioris igitur conditionis esse nequit conclusio. *Major laborat*, quia Apostolus *Tit.* 1. 1. *Tim.* 3. accuratè Episcopi & Pastoris Ecclesiæ munus describens ne verbulo facit mentionem continuæ Episcoporum successionis, 2. Ecclesia N. Testamenti nullis locorum, temporum, & personarum circumstantiis est alligata. 3. Successio localis, & personalis reperitur etiam infalsis Synagogis Apostolicæ igitur Ecclesiæ non potest esse nota, nec veræ religionis fundamentum: Pharisæi, qui dicuntur sedere in cathedra Mosis, *Matt.* 23. *v.* 2. non exiguam numerare poterant pontificum seriem: Et nihil ominus fures, & latrones dicuntur, *Joh.* 10. *v.* 1. 8. Apostolis, & Apostolicis viris falsos Doctores successuros prædicit Apostolus, *Act.* 20. *v.* 29. 30. sic alloquens Ecclesiæ Ephesinæ Presbyteros: *Ego illud scio, lupos graves non parcentes gregi ingressuros esse in vos post discessum meum. Et ex vobis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.* 1. *Tim.* 4. *v.* 1. *Temporibus novissimis discedent quidam à fide attendentes Spiritibus, & doctrinis Dæmoniorum, in hypocrisi loquentiũ mendaciũ.* 2. *Pet.* 2. *v.* 1. *Fuerunt & Pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt Magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis.* De Antichristo legimus, 2. *Thess.* 2. *v.* 4. *Quod in templo Dei* sit sessurus, hoc est, dominium sibi arrogaturus sub successionis prętextu. 4. Apostolis hæreticos sæpe successisse, testantur exempla. In Constantinopolitianâ Ecclesiâ quæ ab Andreâ dicitur plantata, successerũt Macedonius, Nestoriꝰ, & Eutyches. In Alexandrina successerunt Marco Dioscorus Eutychianus, Cyrus Monotheleta, &c. In Ecclesiâ Antiochena à Petro plantata sinceris Episcopis successit Samosatenus hæresiarcha, Petrus Gnaphæus, Eutychianus Macarius, Monotheleta &c. Et annõ quędã Eccl. ab Apostolis plãtatę nõ modo variis hæresibus fuerunt infectæ, sed etiã planè defecerunt? Quales sint hodierni Episc. Rom. ipsorũ & vita & doctrina ostendit? 5. *Nicephorus lib.* 3. *Hist. Eccl. c.* 1. Successoribus Petri in Ecclesiâ Romanâ enumeratis scribit: *In Alexandrinâ Ecclesia post D. Marcũ Evangelistam Episcopatum primus obtinuit Anianus, post hunc Abilius, qui eum successori Cerdoni reliquit. Antiochenam post Petrum, & Lucam primus Evodius gubernavit, ab hoc secundus fuit Ignatius, cui successit Heros. In Hierosolymitano Episcopatu, quem frater Domini Jocob* 30. *annos tenuerat*

post Hierosolymorum eversionem Simeon Cleophæ filius illi succeßit, tertius ibi ex ordine justus: Quo tempore & Polycarpus Smyrnæ in Asiâ floruit ab ipso Johanne Episcopus creatus, &c. Quare successio viguit non tantum in Romana, sed etiam in aliis Ecclesiis.

33. *Ne dixeris succeßonem in solâ Romana Ecclesia permansisse, in reliquis periisse*: Nam Græcorum Ecclesias nunquam ordinaria successione destitutos fuisse historiæ edocent.

34. 5. *Succeßio alia est localis & personalis; Alia doctrinalis*: Illa est externa, & secundaria; hæc interna, & primaria: Successio igitur localis nihil valet sine doctrinali. *Dist.* 40. C. *Mult.* 12. *Multi Sacerdotes, & pauci Sacerdotes, multi nomine, pauci opere. Videte Ergo, quomodo sedetis super cathedram, quia non cathedra facit Sacerdotem, sed Sacerdos cathedram, non locus sanctificat hominem, sed homo locum, non omnis Sacerdos sanctus, sed omnis sanctus Sacerdos. Qui bene sederit super cathedram, honorem accipit ab illa, qui malè sederit, injuriam facit cathedræ, ideoq; malus Sacerdos de Sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem. Nazianzenus in orat.* de laudibus Athanasii: *Qui eandem fidem profitetur ejusdem quoq; throni particeps est. Qui autem contrariam fidem amplectitur, aeversarius in throno quoq; censeri debet: Atque hæc quidem nomen, illa verò rem ipsam, & veritatem habet succeßionis. Epiphanius hæres.* 55. Non quærenda est personarum sed doctrinæ successio. *Tertullianus lib. de præscripti adver. hæres.* Illæ Ecclesiæ sunt soboles Apostolicarum Ecclesiarum, quæ conservant traducem fidei & semina doctrinæ. *Augustinus in lib. de unitate Ecclesiæ contra Epistolam Petiliani cap.* 16. Utrum ipsi Ecclesiam teneant, non nisi divinarum scripturarum canonicis libris ostendant, quia nec nos propterea dicimus, nobis credi oportere, quia in Ecclesiâ Christi sumus, quia ipsam, quam tenemus, cõmendavit Milevitanus optatus, vel Mediolanensis Ambrosius, vel alii innumerabiles nostræ communionis Episcopi: aut quia nostrorum collegarum Conciliis ipsa, atque illorum Ecclesia prædicata est, aut quia per totum orbem in locis sanctis, quam frequentat vestra communio, tanta mirabilia vel ex auditorum, vel sanitatum fiunt.

35. *Laborat & Minor argumenti illius Pontificii*: Falsum enim est Ecclesiam Romanam hodiernam gauderè successione Apostolicâ. 1. Successio enim Apostolica cum doctrinâ Apostolicâ debet esse

esse conjucta: *Non habent hæreditatem Petri, qui fidem Petri non habent, Ambrosius lib. 1. de Pœnit. c. 6. Et non sunt sanctorum filii, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum, Hieronymus ad* Heliodor *Epist. 1.* Iam verò Pontifices Romani secessionem fecerunt à doctrina Apostolicâ, & fidem Apostolorum non tenent, cultum religiosum qui soli debetur Deo, sanctis deferunt: Merito Christi derogant, in suis operibus confidunt: Sacramenta depravant & mutilant, Apostolus docet, panem Sacramentalem esse κοινωνίαν corporis Domini; At Pontificii transmutari illum, aiunt, in ipsum Christi corpus, &c. Ergo.

36. 2. *Imò localis & personalis successio in Ecclesia Romana est dubia, & incerta, & quidem primo respectu originis*, quam Pontificii à Petro arcessunt, statuentes eum Romæ papalem sedem erexisse, in eaque 25. annos præsedisse; Sed infallibiliter ostendere nequeunt tempus, quo Petrus Romam venerit. 2. Antiochenam Ecclesiam Petrus primum gubernavit: Quid causæ quod Romani non huic potius quam suæ Ecclesiæ successionis jus adscribant? 3. Falsum est, Petrum Romanæ Ecclesiæ 25. annos præsedisse, idque Disputatione 7. probavimus. 4. Falsum est Petro primatum regiminis præ reliquis Apostolis esse collatum, quod in præcedentibus monstravimus. *Secundo respectu continuationis.* 1. Arguit id discrepans Pontificum numeratio, quæ legitur, apud Platinam, Eusebium, Urspergensem & alios, quâ de re scribit *Bartholomæus Garanza in sum. Concil. p. 13. In re tam perplexa lectoris arbitrio judicium permitto.* 2. Declarat interrupta successio: Interrupta enim sæpe est propter diuturnam vocationem: Sæpe propter Antipaparum de primatu concertantium dissensionem: Sæpe propter hæresium approbationem: Multi enim Pontifices fuerunr Apostatæ. Et deniq; propter Papissæ sedem Romanam occupantis scortationem, & administrationem.

37. Quare cum non Pontificiorum traditiones, & humana inventa, sed protestantium confessio per omnia cum doctrinâ Apostolica consentiant, uti patet ex collatione Articulorum Augustanæ confessionis cum doctrinâ Apostolicâ, colligimus hos, & non illos, esse veros Apostolorum successores. *Tertullianus lib. de præscrip. adver. hæres. pag. 170. Licet Ecclesia quædam, inquit, nullum ex Apo-*

stolis, vel Apostolicis autorem suum proferant, ut multo posteriores, tamen in eadem fide conspirantes, non minus Apostolicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ. Ibidem: *Si Episcopus, si Diaconus, si vidua, si virgo, si Doctor, si etiam Martyr lapsus à regula fuerit, num ideo hæreses veritatem videbuntur obtinere? Ex personis probamus fidem, an ex fide personas?*

38. *Quartum fundamentum quo religionis suæ veritatem, & certitudinem probare consueverunt, petunt Pontificii à Patrum consensu, & veneratione: Quæcunque enim religio cum sanctorum Patrum scriptis consentit, illosque veneratur, illa est vera, & Apostolica. Atqui religio pontificia sola cum sanctorum Patrum scriptis consentit, & illos veneratur. Ergo. Bellarminus lib. 4. de notis Eccl. cap. 19.* Conspirationem in doctrinâ cum Ecclesiâ antiqua veram, ait, esse Ecclesiæ notam.

39. Resp. *Ad propositionem, nomine doctrinæ antiquæ intelligi vel doctrinam Apostolicam*, quam Ecclesiæ & religionis esse fundamentum, credimus & profitemur; *vel doctrinam, quæ post Apostolorum tempora in Ecclesia sonuit.* De hac distinctè respondemus: Primo *Doctrina hæc Patrum non est Ecclesiæ & religionis vel nota propria, vel fundamentum.* 1. Nam annon tempore Christi fuit vera Ecclesia? Quinam verò fuerunt Patres, cum quibus ea conspiravit? 2. Annon in Ecclesiâ malignantium conspirant successores cum suis antecessoribus? Num igitur conspiratio cum Antecessoribus ostendit veram Ecclesiam, & Apostolicam religionem?

40. Secundò, *Patres sunt honorandi, eorum scripta diligenter legenda, & audienda, sed limitatè, & non absolutè, quatenus nimirum cum Scriptura sacra consentiunt.* Nam 1. Scriptura sacra sola est fundamentum fidei 2. Patrum scripta alia sunt puriora, & quidem eorum qui primis vixerunt sæculis, alia minus pura: Recipienda sunt pura & genuina.

41. Tertiò, *Non scripta Patrum, sed Scriptura sacra est norma fidei.* Nam 1. Scriptura sacra sola est perfecta, perspicua, & gignit fidem. 2. Patres in multis erraruntt. 3. Inter se non per omnia consentiunt. 4. sua igitur examinari petunt secundum Scripturam. *Hieronymus in Epistola ad Theoph.* Scio me aliter habere Apostolos, aliter alios tractatores: Illos fecimus vera dicere, istos in quibus

quibusdam, ut homines aberrare. *Augustinus in Epist. ad Marcellinum:* Ego inquit, proinde fateor, me ex eorum numero esse qui proficiendo scribunt, & scribendo proficiunt. Unde si aliquid vel incautius, vel indoctius à me positum est, quod non solum ab aliis, qui videre id possunt, meritò reprehendatur: Verumetiam à me ipso, quia & ego saltem postea videre debeo, si proficio: Nec mirandum est, nec dolendum, sed potius ignoscendum, atque gratulandum, non quia erratum est; sed quia improbatum. Nam nimis perversè se ipsum amat, qui & alios vult errare, ut error suus lateat. Quanto enim melius, & utilius, ubi ipse erravit, alii non errent, quorum admonitu careat? Quod si noluerit, saltem comites erroris non habeat.

42. *Ad assumptionem* respondemus. 1. Pontificios contra mentem, & intentionem Patrum plus æquo horum scriptis adscribere, dum simpliciter & absolutè ab iis pendent, interpretationes scripturæ sacræ ex iis petunt, & victoriam sibi ab iis promittunt, *Gregorius de Valentia Tom. 3. Comment. in Thomam Disp. 1. q. 1. pun. 7. sect. 46.* normam fidei, & decisionis statuit judicium, consensumque Patrum *Campianus* dicit: Ad Patres si quando libet accedere, confectum est prælium. 2. Scopum pontificiorum ultimum esse non Patres laudibus extollere, & commendare, sed adversarios suos convitiis proscindere & calumniis onerare. 3. Patrum igitur Scripta commendant, si secum videntur facere Quando verò traditiones humanas abiiciunt, superstitionibus suis non patrocinantur, nihil ea Pontificii faciunt, & ad aliud effugium nimirum ad Pontificis Romani potestatem sese recipiunt, qui cum omnia jura habeat in scrinio pectoris sui infallibiliter, scilicet, controversias obortas decidere potest, ut in ejus decisionibus simpliciter sit acquiescendum.

43. Protestantes verò, medium tenendum esse docent, & Patrum Scripta non simpliciter abiicienda, nec scripturæ sacræ præferenda; sed legenda, & audienda, quatenus ipsa vocem Spiritus S. & in scripturâ nobiscū loquentis sequuntur, & quidē ut constet de antiquę Ecclesię statu quid quovis seculo fuerit propositū, q̄ hęreses, & schismata in Ecclesiâ sint oborta & quomodo refutata

ut suffragia in promptu habeantur, quibus confessionis nostræ dogmata ex scriptura confirmata illustrentur, & commendentur. 3. Ut religionis certitudo consensu priscæ Ecclesiæ declaretur. 4. Ut Patrum sententiis, tanquam odoriferis flosculis, fidei dogmata ornemus.

44. *Quintum Pontificiæ religionis fundamentum est vitæ sanctitas: Quæ enim religio habet Doctores sanctos, & inducit ad vitæ sanctitatem illa est Apostolica, & præ reliquis omnibus amplectenda. Atqui religio pontificia habet Doctores sanctos, cujusmodi sunt institutores ordinum religiosorum, & ad vitæ sanctitatem inducit.* Docetur enim in Papatu bonorum operum meritum, suadentur vota monastica, bonorum, & divitiarum contemptus &c. Ergo.

45. Resp. AD PROPOSITIONEM, sanctitatem aliam esse internam, & aliam externam, aliam fidei & cordis, aliam operis: De illa infallibiter judicare nequit homo, *Act.15.v.9. Rom.10.v.10. Bellarminus lib 3.de.Eccl.cap.10.p.173. Nemo inquit potest certò scire, qui sunt veræ justi, & pii inter tam multos, qui justitiam, & pietatem exterius præ se ferunt, cum certum sit, multos ubique esse hypocritas, & falsos fratres.* Externa sanctitas vel in scripturâ præcipitur; vel propriâ intentione suscipitur: Illa dicitur pietas, & est communis, hæc religiositas, & est propria, & singularis.

46. *Ex externa pietate infallibiliter judicari nequit de vera religione.* 1. quia nulla secta tam protervè est malitiosa, quæ non suos cultores ad pietatis exercitium instiget. 2, quia potest esse simulata, 3. De Pharisæis dicit servator, *Matt.23.v.14.* Quod longas prætendere consueverint orationes. Hæretici pietatis habent speciem, *2.Tim.3.v.5.* Diabolus cum suis congregalibus transformat se in Angelos lucis, *2.Cor.11.v.14.* Ambulat in humilitate, & religione Angelorum, *Col.2.ver.18.* Anabaptistæ quomodo de suâ glorientur vitæ sanctitate in Colloq. Jeverensi est legere.

47. *Neque ex monastica religiositate æstimari potest religionis certitudo,* 1. quia vota monastica nullo nituntur Scripturæ fundamento, nullo exemplo. 2. Ignoravit ea Ecclesia Apostolica. 3. Fiunt de rebus impossibilibus, utpote de perpetuâ continentiâ, cujus donum non omnibus dari docet Christus, *Matt.19.* Et esse donum proprium dicit Apostolus, *1. Cor.7.v.7.* 4. Atque præstantur non

ad

ad Dei gloriam propagandam, sed offuscandam. 5. Num in solis monasteriis abscondita vera latet religio?

48. RESPON. AD Assumptionem: *primò Ecclesiam Romanam sive Papalem esse sanctam ob doctrinam sanctam, simpliciter negamus*: Superstructa enim est infinitis ferè erroribus fundamentum evertentibus, ut in præcedente delineatione ostẽdimus. Secundò *quicquid meriti nostris operibus tribuitur, illud Christi merito derogatur*: 1. Ipse enim solus torcular calcavit, & infinitum λύτρον solus pro nobis præstitit. 2. Opera nostra sunt impura, & imperfecta, *Esa.64.v.6. Jacob.3.v.2.* Jam ante debita, ac proinde etiamsi omnia fecerimus, quæ facere debemus, dicere nihilominus tenemur nos esse servos inutiles *Luc.17.v* 10. 3. Passiones nostræ vitâ æterna non sunt condignæ, *Rom.8.v.18.* Neque opera igitur nostra, neque passiones sunt meritoriæ, 4. Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei verò, qui non operatur; Credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiæ, *Rom.4.v.4.5.* 5. Solùm igitur crede μόνον πίστευε *Matt.5.ver.36.* Nam jnstificamur gratis per gratiam ipsius, per redemtionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorem, per fidem, quæ est in Christo Jesu, *Roman.3.v.24.25.*

49. Tertiò, *Prohiberi à nobis opera, non sine insigni injuriâ, & calumniandi libidine affirmant Pontificii.* Aliud est necessarium esse, & aliud ad salutem esse necessarium: Opera necessaria sunt propter Deum, Angelos, proximum, & nos ipsos, sed non sunt ad salutem necessaria: Nam non antecedunt justificandum, sed sequntur justificatum: sunt fidei effectus, seu fructus, non causa, fidem ostendunt, non constituunt, *Jacob.2.v.18.* Ex operibus igitur *ostendam* tibi fidem meam,

50. Quartò, *Ex malitia, & externa sanctitate auditorum judicium fieri nequit de veritate doctrinæ Doctoris*: Inter Auditores Christi judas, sed fur, & proditor: Pharisæi extrinsecus erant induti habitu ovium, sed intrinsecus erant lupi rapaces publicanus igitur orans, *Deus propitius esto mihi peccatori*, justus descendit præ tumido Pharisæo externâ sanctitatis specie turgente in domum suam, *Luc.18.ver.* 13. Pii religiosi, & sancti viri nobis non desunt confidentes non in

suis:

ſuis operum meritis; ſed in merito, & ſanctitate Chriſt, ſibi per fidem imputata, & novitati vitæ ſtudentes.

51. *Sextum poniificiæ religionis fundamentum ſunt miracula: Quæ religio plurimis confirmatur miraculis, illa eſt vera, & Apoſtolica & proinde præ reliquis amplectenda.* Atqui *religio pontificia plurimis confirmatur miraculis.* Ergo. Scribit *Bellarm. lib. 4. de Eccleſ. c. 14.* ſuam Eccleſiã habuiſſe ſingulis ætatibus plurima, & teſtatiſſima miracula Franciſcum de Paula in novis Indiis doctrinam pontificiam, paralyticorum, ſurdorum, mutuorum, & cæcorum curatione, atq; mortui cujuſdam in vitam revocatione confirmaſſe; De B. Luthero dicit: Bis tentavit miraculum facere: Voluit aliquando de quadam diſcipulâ ſuâ Diabolum eiicere, ſed periculum fuit, ne ipſe à Dæmone occideretur: Neſenum in Albi miſerè ſubmerſum, ſpe miraculi Lutherus vanis immurmurationibus fruſtra in vitam revocavit.

52. Reſp. AD PROPOSITIONEM, 1. *Signum Antichriſti non eſt nota veræ Religionis. Atqui de Miraculis ultimis temporibus gloriari eſt ſignum Antichriſti, 2. Theſſ. 2. v. 9.* Adventus ejus eſt ſecundum operationẽ Satanæ, cum omni potentiâ & ſignis, & prodigiis mendacibus. *Apoc. 13. v. 13. 14.* Facit ſigna magna, ut etiam ignem faceret de cœlo deſcendere in terram, in conſpectu hominum. Et ſeducit habitantes in terra propter ſigna. 2. Regula igitur theologica, quæ his ultimis competit temporibus, eſt: *miracula non probant oracula* 3. Phariſaicum non eſt veræ religionis, vel nota, vel fundamentum. At ſigna poſcere eſt Phariſaicum, *Matt. 12. v. 38. cap. 10. v. 1. Mar. 8. v. 11. Luc. 11. v. 29. Joh. 2. v. 19. cap. 6. v. 30. 1. Cor. 1. v. 21.* Ergo. 4. Nota incredulitatis non eſt fundamentum, vel ſignum veræ Eccleſiæ. Atqui ſigna poſtulare eſt nota incredulitatis *Joh. 4. v. 48.* Dixit Jeſus ad eum. Niſi ſigna & prodigia veneritis, nõ creditis. Ergo. 5. Fũdamentatum non eſt ſine fundamento accidens propriũ non ſine proprio ſuo ſubjecto, ut nec ſubjectum modo ordinario ſine propriis ſuis accidentibus. Atqui vera ſancta, & Apoſtolica religio olim ob Apoſtolis miraculis ſatis confirmata, doceri, & propagari poteſt abſque novis miraculis: Non enim omnes Prophetæ, & Evangeliſtæ claruerũt miraculis, de Johanne Baptiſtâ dicitur *Joh. 10. v. 41. 42.* Johannes ſignũ edidit nullum: Omnia autem quæcunq;

dixit

dixit Johannes de hoc, vera erant: Et crediderunt multi illic in eum. 6. De falsis Doctoribus prædixit Christus, quod sint edituri signa, *Matt.24.ver,24.* Surgent Pseudochristi,& Pseudoprophetæ,& dabunt signa,& prodigia. Quod igitur falsis etiam competit Doctoribus, illud non est notæ veræ religionis. Atqui signorum quorundam ostensio,& de iis gloriatio competit etiam falsis doctoribus. Ergo.

53. AD ASSUMPTIONEM respon. 1. Miracula igitur de quibus Pontificii gloriantur, sunt superstitiosa, Pharisaica, hypocritica, stolida, fabulosa, hujusmodi est illud, quod Jacobus effecerit, ut galli assati è veru evolarint. 2. Remittunt Pontificii auditores suos ad loca remotissima: Quæ verò causa alia quam ut eos decipiant & fallant? Cur in ipsorum præsentiâ miracula ea non edunt, mortuos in vitam non revocant, ut eos ad exempla domestica remittere queant? Annon testis ocularis præferendus est plurimis de auditu,& aliorum relationegloriantibus? Quis sobrius in horum acquiescet deliriis?

54. Mentitur Bellarminus narrans, Lutherum miracula tentasse, sed perficere non valuisse. Nam. 1. Lutherus non novam attulit doctrinam sed inculcavit apostolicam miraculis plurimis confirmatam, eamque ab erroribus variis, quibus erat coinquinata repurgavit. Miraculis igitur novis non erat opus. 2. Novum dicitur, non quod his vel errantibus antecessoribus repugnat, sed quod doctrinæ Propheticæ,& Apostolicæ contrariatur. Antiquum quod cum eâ consentit. Cum hac verò per omnia consentit doctrina, quam docuit & propugnavit B. Lutherus. Non igitur est nova sed antiqua. 3. De doctrinâ his ultimis temporibus per miracula notificandâ, & propagandâ nulla extat promissio, sed præmonitio, ut fallacibus falsorum Doctorum,& Antichristi miraculis fidem non habeamus, sed ab iis caveamus, *Matt.24.v.24.2.Thess. 2.v.9.Apoc.13.v.13* Iniquum igitur est postulatum, à nobis requirere miracula. 4. Lutherus non miraculis, sed ex Scripturâ sacrâ doctrinam sacram confirmare voluit,& studuit: Scribit in Epistol. explic. Dom. 11. Adven. Non fidendum esse miraculis, quæ fieri mentiuntur, vel etiam verè prædicant, sed soli doctrinæ Christi,& Apostolorum. 5. Quæ igitur de intentione Lutheri refert Bellar

minus, ex mendaciſſimo Cochlæo verè ſunt fabuloſa. Bucholzerus narrat ex ore parentis ſui ripæ tunc caſtanist Lutherum Neſeni mortem vehementer deploraſſe, & hæc verba addidiſſe: *Si poſſem miracula edere, nunc te excitarem.* 6. Quare ſi miraculi appellatione intelliguntur ea, quæ in oculos incurrunt, cujuſmodi ſunt, mortuos excitare, claudos ſanare &c. de iis gloriatum non eſſe Lutherum, nec mentem ejus fuiſſe his doctrinam ſuam confirmare conſtanter aſſerimus; At ſi miraculi nomine intelligitur virtus Dei interior, ut quod excitet Deus humilem & abjectam perſonam eamque ſingularibus donis exornet, ut doctrinam ſanam, Diabolo cum omnibus ſuis congregalibus, repuguante, repurget ſatis miraculi in reformationis opere & doctrinâ Lutheri, notari poſſe affirmamus. Verus enim eſt verſiculus:

Lutherus decimum confecit ſtrage Leonem
De clavâ noli quærere, penna fuit.

Item.

Vir ſine vi ferri, vi verbi, & inermibus armis.
Totius immenſas contudit orbis opes.

56. *Septimum pontificiæ religionis fundamentum eſt concordia, & unitas: Quæcunq; religio habet Doctores concordes, & conſentientes, illa præreliquis eſt eligenda, & amplectenda. Atqui religio pontificia habet Doctores concordes, & per omnia conſentientes. Ergo.* Bellarminus *lib. 4. de notis Eccl. cap. 10. p. 244.* Videmus omnes illas Eccleſias, quæ ab iſto capite (*Pontifice Romano*) ſe diviſerunt, tanquam ramos præciſos à radice, continuò aruiſſe. *Ibidem*: Certum eſt concordiam eſſe ſignũ Regni Dei, quod ſtare debet in æternum; Diſcordiam autem regni Diaboli, quod tandem ruere debet. *Et pag. 245.* Ex hac, inquit notâ clariſſimum eſt, noſtram Eccleſiam ſolam eſſe veram Dei Eccleſiam: Siquidem in noſtra Eccleſiâ inprimis omnes Scriptores mirificè inter ſe conſentiunt, licet fuerint homines diverſi, & in locis, temporibus, ac linguis diverſis ſcripſerint. Artificioſiſſimus ille Adamus *Cõntzer ſeu* Künſten *Jeſuita Moguntinus* in ſuo Jubilo jubilorum Jubilæo variorum exemplorum inductione id confirmare ſtudet, hinc inde nonnulla corradit ut inviſam reddere veritatem theologicam aliis poſſit.

57. Reſp. Ad Propositionem, 1. Quod non competit

petit ſoli veræ religioni, illud nequit eſſe infallibilis ejus nota. Atqui unitas & concordia non competit ſoli veræ religioni. Ergo Eſt enim unitas alia Pietatis, & alia impietatis: Chriſtus dicit *Matt.* 12. *v.* 26. Si Satanas Satanam ejicit, adverſus ſeipſum diviſus eſt: Quomodo igitur ſtabit regnum illius? Unitas & concordia erat inter Sacerdotes Baaliticos contra Eliam, & Michæam conſpirantes. Chriſtus communi ſuffragio ſeniorum, & totius populi ad mortem condemnabatur. Non ſtatim igitur, ubi eſt conſenſus, & unitas, ibi eſt veritas. 2. Ex Symbolo Apoſtolico confitemur Eccleſiam *unam*, & quidem reſpectu unitatis fidei, & doctrinæ propheticæ, ac Apoſtolicæ, *Eph.* 4. *v.* 3. 4. 5. Soliciti eſtote ſervare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, & unus Spiritus, ſicut & vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ. Unus Dominus, una fides, unum Baptiſma. Itaque unitas non conjuncta cum verâ fide, & doctrinâ propheticâ, & Apoſtolica eſt pernicioſiſſima: Eccleſia enim ſuperædificata eſt ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum, *Eph.* 2. *v* 20. Veritatem & pacem jubemur diligere *Zach.* 8. *v.* 19. 3. Unitas alia eſt abſolutiſſima, & perfectiſſima, omnis omninò diſſenſionis expers · Dabitur ea in Eccleſiâ triumphante; Et alia eſt fundamentalis, quæ conſiſtit in conſenſione fidei fundamenti, ſeu principalium Articulorum fidei, licet de adiaphoris nonnullis, vel de interpretatione quorundam teſtimoniorum Scripturæ incidant differentiæ: Hæc eſt unitas, quæ locum habet in Eccleſiâ militante. Ex parte enim cognoſcimus, 1. *Cor.* 13. *v.* 9. 4. Renovatio in hac vitâ inchoatur, in futurâ conſummatur: Caro igitur concupiſcit adverſus Spiritum: Et inter pios ſubortiri poſſunt differentiæ: Inter Paulum, & Barnabam facta eſt diſſenſio, ita ut diſcederent ab invicem, *Act.* 15. *v.* 39. Paulus in faciem reſiſtebat Petro, quia non recto pede ambulabat ad veritatem, *Gal.* 2. *v.* 11. Fratres quidam expoſtulabant cum Petro, quod auſus fuiſſet Evangelium gentibus prædicare, *Act.* 11. *ver.* 2. Quare non quævis differentia tollit Eccleſiæ, & unitatis communionem: Nec in hac vitâ unitas omnibus numeris abſoluta eſt ſperanda.

58. Ad Assumptionem 1. In Pontificiâ Eccleſia eſt quidem qualiscunq; externa, & apparens unitas conſiſtens in cultu viſibili, & in ceremoniis; Sed non eſt unitas interna fidei: Ad

oculum illud ostendit Pontificius *Flacius Illiricus in libro de sectis, dissidiis, & dissensionibus Pontificiorum*: 4. Septem Papisticæ concordiæ Species dari possunt: Prima est *satanica* orta ex Diabolo studiosè præcavente, ne regnum hoc vicarii sui dissolvatur. Secunda est *Politica*; Quemadmodum enim homines ideò consentiunt, quod unius Monarchæ potestati se submittunt: ita scriptores Pontificii à clarissimâ Scripturæ luce discedunt, ut omnia sua unius Pontificis judicio subiiciant. Tertia est *beluina*: Scripturarum enim lectio non conceditur Laicis. Hinc plæriq; parum de religione intelligunt, sed instar gruum aliorum opinionem sequuntur, eaq; vera esse censent, quæ vulgò sunt recepta. Quarta est *Ischariotica*: Nam munera & præmia multos in unitate papali detinent. Quinta est *tyrannica*: In papatu enim homines minis, carceribus, persecutionibus, &c. ad idolomanias pontificias approbandas coguntur, ut testantur vel inquisitionum Hispanicarum species. Sexta est *herodiana*: Quemadmodum enim Herodes & Pilatus inter se maximè discordes de Christo interficiendo consentiebant: Ita Pontificii inter se dissentientes consentiunt, quando Protestantibus insidiæ sunt struendæ. Septima est *accidentalis, & extrinseca*: Consentiunt enim non in fidei unitate; Sed in ceremoniarum conformitate.

59. Dissensiones esse inter Pontificios de variis fidei Articulis internam unitatem discerpentes ostendit *Flacius* primò Generaliter: Quinque enim sunt mutationes doctrinæ pontificiæ 1. *Lombardica*. 2. *Thomistica, & Schotistica*. 3. *Monastica* 4. *Interimistica*. 5 *Iesuvvicica*. Secundò specialiter: Altercantur enim inter se de variis fidei articulis, idque in ipsa collatione ostendemus.

60. *Quod attinet Ecclesias Evangelicas, negat Bellarminus in illis esse veram unitatem, eò, quod Lutherani vix dum nati dividi caperint in Anabaptistas, confessionistas, & Sectarios, & jam sint diversissimæ sectæ ab uno Luthero prodeuntes.*

61. Resp. 1. Anabaptistas, & alios Sectarios Augustana confessio apertè, & perspicuè damnat. Ergo ab his sese separat. Ergo non sine insigni injuria Bellarminus ejusmodi sectarios societati nostræ adscribit. 2. Apostolus dicit *Act.* 20. *v.* 29. Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos

non

non parcentes gregi. 1. *Cor.* 11. *v.* 18. 19. Audio scissuras esse inter vos & ex parte credo. Nam oportet hæreses esse. Christus dicit. *Matt.* 13. *v.* 25. Cum dormirent homines, venit inimicus ejus, & superseminavit zizania in medio tritici, & abiit. Itaque Ecclesia militans non erit pura ab omnibus omninò schismatibus: In ovili grassantur lupi rapaces: Intra semen deprehenduntur zizania. 3. Ex Ecclesiis Apostolicis egressi sunt hæretici, & sectarii, Cerinthus, Nicolaitæ, &c. Apostolus dicit Ephesinis Episcopis, *Act.* 20. *v.* 30. Ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post me. At Apostolicæ, & primitivæ Ecclesiæ unitas non propterea est labefactata. Cur igitur sectarum origo Ecclesias nostras labefactaret? 4. Cum Evangelistâ, & Apostolo Johanne dicimus, 1. *Joh.* 2. *v.* 19. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: Nam si fuissent ex nobis permansissent utiq; nobiscum.

62. *At pergit Bellarminus* & quasdam *ex Scriptis Lutheri contradictiones proponit, variatam esse Augustanam Confessionem ostendit, & de aliis dissidiis perorat.*

63. Resp. 1. Contradictiones istæ plæræque sunt apparentes, non veræ. 2. Scripta Lutheri posteriora præferenda omninò sunt prioribus: *In præf. Tom. 2. scribit ipse Lutherus:* Hæc ideò narro, optime lector, ut si lecturus es opuscula mea memor sis, me unum fuisse ex illis, qui ut Augustinus de se scribit, scribendo, & docendo profecerint, non ex illis, qui de nihilo repentè fiunt summi, cum nihil sint neque operati, neque tentati, neque experti. 3. Variata est Augustana confessio non communi Protestantium consensu, sed unius privati hominis ausu. 4. Pristino nitori in publicis conventibus est restituta. 5. In Ecclesiis nostris est concordia non simulata, sed vera: non coacta, sed libera, non externa, sed interna, in fidei, & doctrinæ unitate consistens: Est enim in eis concordia & unitas. 1. *Canonica* cum doctrinâ Prophetica, & Apostolicâ. 2. *Ecclesiastica* cum scriptoribus Ecclesiasticis hoc est, piis & orthodoxis patribus. 3. *Symbolica*, quâ doctrinam in Symbolicis Scriptis, ut sunt Augustana confessio, Schmalcaldici Articuli &c. amplectimur, & propugnamus, eumque, qui illam oppugnat, fratrem in Christo agnoscere recusamus.

64. Quamobrem quoniam fundamenta, quibus nititur

Papatus, sunt fallacia & fraudulenta, justissima habuit B. Lutherus causam eum deserendi, & nos urgentissimâ eundē fugiendi: Nam Ecclesia pontificia defecit à vetâ fide, & de gravissimis erroribus jam sæpius admonita pertinaciter in errore persistit: Cultum religiosum uni soli Deo præstandum in cultum idololatricum transformavit: Disciplinam Ecclesiasticam in crudulem tyrannidem transmutavit. Omnes igitur pii justissimam habent causam Papatum fugiendi.

65. *Defecit Ecclesia pontificia à verâ fide*, primò, quia defecit à principio fidei, quod est Scriptura Prophetica & Apostolica: Hanc enim literam mortuam, & Theologiam atramentariam scriptores pontificii appellitant, cum fabulis Æsopi absque Ecclesiæ authoritate conferunt. Secundò, ipsam fidem miris modis oppugnant: Nam justitiam fidei evertunt, & suis operibus confidunt, legem Dei à se posse impleri scribunt: Sacramentum cœnæ non sine grandi sacrilegio mutilant: Nundinationes Missarum, & Indulgentiarum instituunt, & hunc in finem de Purgatorio quodam post hanc vitam plurima fabulantur.

66. *Transformavit Ecclesia pontificia cultum religiosum uni, soli Deo præstandum in cultum idololatricum*, dum statuit sanctos religiosè esse invocandos, Deum per imagines adorandum.

67. *Transmutavit Ecclesia pontificia disciplinam Ecclesiasticam in crudelem tyrannidem.* Nam asserit, Papam habere idem consistorium cum Deo, & idem tribunal cum Christo: Tyrannidem Ecclesiasticam adauxit seculari: Adscribit Papæ potestatem in omnes Reges, Principes, & in omnia regna mundi. Ostendemus illud in Disputationibus subsequentibus,

& breviter refutabimus.

FINIS.

Præstan-

Præstantissimo atq; Doctissimo Viro Dn.

MOTTONI BRAWEN,

Sub Reverendo Clarissimo Viro,

Dn. D. JOHANNI GISENIO DE PAPATU fugiendo Respondenti, amico suo oculissimo.

ET jam tempus erat, quo tandem fulmine verbi
Concuteret cæli & terræ Rex Vejovis arcem
Romani, ut Paulus longè prædixerat ante,
Nectare quo rursum cælesti Ecclesia verbi,
Et Sacramentis puris frueretur in ævum.
Ecce Antichristus summo de pectore ducit
Iam graviter gemitus, querulis jam jurgia verbis
Miscet, & his tandem dictis tectum omne replevit:
Quis nostris miseris succurrit sedibus? eheu!
O tu cælicolum nobis carissima turba,
Si benè quid de te merui, veneratio nostra,
Si tibi grata fuit, sedis miserere labentis:
O solium Petri! solium cur Petre relinquis?
Flectere sed nequeo superos, Acheronta movebo:
Currito Dux Erebi, sedi succurre cadenti:
Dixerat, & dicto citius phlegetontis opaci
Panduntur portæ, magnâ comitante caterva
Horridus incedit. Pluto, monstra horrida promit,
Ac Antichristum dictis affatur amicis:
Nate optate mihi, mea magna & certa voluptas,
Iam demum afflictis melius confidito rebus,
Sunt hic permulti fidi optatique ministri,
Arte, dolis, fuco, pollentes fraudibus, astu,

Terrè

Torvè incedentes, simulatâ mente loquentes,
Firmiter, hi nostri norunt mysteria regni,
Hos tibi commendo, nostro succurrere regno.
Nutanti possunt, multa & nos prole beare.
Hæc ait, & tenues procul evanescit in auras.
Aggrediuntur opus, sedem fulcire studentes;
Pars clamore vocat; nostra est Ecclesia, nostra est,
Quo ruitis miseri? Petri cur linquitis arcem?
Pars ait: horrificum terrorum & fraudis abunde est,
Si fraudes fallent, toto pugnabitur orbe.
Fundamenta locant alii, sediq; cadenti.
Fulcra parare student, cura & labor omnibus unus.
Hic promit septem, duodenas ille columnas,
Quindenas alius: mira est Ecclesia certè,
Et mirum solium, numero tam dispare gaudens:
Scilicet ut nunquam constant mendacia vana.
Sed te non clamor, non fraus non terreat error,
Hostis nec sævus terror, perchare Magister,
Aude forti animo sub tanti Præsidis armis,
Romanæ sedis jam fundamenta superbæ
Destruito, fraudesque nota technasque revela,
Quæ sit falsa cohors, quæ vera Ecclesia monstra,
Tuta tibi cernis nam propugnacula belli,
Divinum verbum, quæ sunt & nobile verum,
Aggredere, & magnos juvet exantlasse labores,
Te patria excipiet læto quandoq; triumpho,
Munera & accipies læti quandoq; laboris.

Gratulabundus accinebat

Johannes Binchius Hervordia-Westphalus.

DE PAPISMO

DISPVTATIO PRIMA

Et quidem in ſpecie

DE

PAPATVS ORIGINE, ET ALIIS NONNVLLIS QVÆSTIONIBUS breviter reſolutis,

IN QUA

Chriſto Duce, & Auſpice Chriſto

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS GISENII, SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS, ET ORDINARII IN INCLYta Academiâ Gieſſenâ Profeſſoris.

RESPONDEBIT

COELESTINUS MISLENTA ANGERBURgenſis Boruſſus.

In Auditorio Theologico ad diem 18. Octob. horis antemeridianis, & pomeridianis.



GIESSÆ,

Ex Typographéo Caſparis Chemlini.

Anno M. DCXVII.



DE PAPISMO

DISPVTATIO PRIMA, ET QVIDEM DE PAPATVS ORIGINE, & aliis nonnullis quæstionibus breviter resolutis.

THESIS I.

ANNUS jam agitur cẽtesimus, ex quo Deus beniguissimus & præpotentissimus per fidele ministerium B. Patris *Martini Lutheri* tenebras regni Antichristiani discutere cæpit: Evangelii lucem claro jubare splendescere fecit, qui in cœcas tenebras demersi erant, & hostiliter sese non opponebant, eâ illuminavit.

2. Quamvis verò mille ille artifex Satanas divino huic operi miris modis, arte & marte, occultè & manifestè, fallendo & sæviendo sese opponat: Quamvis præterlapsis annis per Jesuitas & Pontificios in Auditoriis & suggestis altâ voce clamarit, futurum ut hoc anno lux hæc Evangelii extinguatur, tenebræ rursus introducantur, Antichristus mundum occupet, hac addita ratione, quod omnis hæresis intra centum annos sit consopita: Singulari tamen Dei benedictione Reformationis hoc opus ad hæc usque tempora est conservatum, & conservatur.

3. Quare Pseudoprophetæ illi Esauvitici meritò pudore confunduntur, cum ipsa experientia ipsis reclamet, ut testantur varia regna, Principatus, Comitatus, liberæ Respub. &c.

4. Nos verò immensi ejusmodi beneficii meritò devotâ mente recordamur, Deo clementissimo immortales gratias agimus, jubilamus, gloriam nomini ejus cantamus, gloriam laudi ejus damus, & ut nos in agnitione veritatis clementer conservet, ardenter precamur.

5. Quem in finem, ut & in amorem, & defensionem veri-

tatis errores Pontificiorum ordine proponemus, modestè, piè, & breviter refutabimus, mutuisque collationibus examinabimus. *Adsis nobis Deus benignissime, ut feliciter scopum attingere possimus, averte quæsumus impedimenta, ne in curriculo retardemur, Amen, Amen.*

6. *Papismus igitur est Antichristianismus : Oppugnat enim Christi personam, beneficia, & officia, Propheticum, Regium & sacerdotale.* Vocabulum Antichristi quomodo generaliter, & quomodo specialiter pro Antichristo illo magno usurpetur, alibi exponemus.

7. *Papæ* nomen in primitivâ Ecclesiâ omnibus Episcopis commune erat, ut jam apud Latinos nomen *Concionatoris*, apud Germanos vocabula Priester/Pfarherr. Quando verò instituebantur *Metropolitani*, qui inspectionem in reliquos Episcopos habebant, disciplinamque in certis sibi commissis provinciis urgebant ; quatuor hi per excellentiam nominati sunt *Papæ*, utpote, *Romanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus.*

8. De derivatione vocabuli hujus disputant Grammatici. Sunt qui *Hebraicum* illud esse opinantur, & deducunt per metathesin literarum, & geminationem syllabarum, à voce Abh quæ Patrem significat. Alii *Arabicum*, qui derivant illud à voce Baba. Alii & quidem omnes ferè Docti vocabulum hoc origine *Græcum* esse censent, derivantes illud à vocabulo πάππας, quæ vox liberorum est patribus blandientium. Unde est παππάζειν adblandiri patri vocando Papam, videatur *Scapula*. Papa igitur dicitur, quasi Christianorum Pater. Quidam latinum esse censent, & Papam dictum esse putant, quasi Patrem patriæ conflato nomine ex primoribus vocum istarum syllabis. Alii alias allusiones tradunt. Ex quibus omnibus colligitur, vocabulum hoc primâ origine esse nomen honoris & dignitatis.

9. Cum autem nomen hoc 1. ex fastu & arrogantiâ Romanus Episcopus sibi arroget. 2. Quo se non nominavit Apostolus Petrus, sed nomine συμπρεσβυτέρου 1. *Petr.* 5. v. 1. 3. Cumque in primitivâ Ecclesiâ nomen hoc omnibus Episcopis fuerit commune, inique ipsum facere, asserimus. Et, si hodiernorum Pontificum doctrinam & mores introspiciamus, notationis rationes per ἀντίθεσιν ipsis competere, concludimus.

10. *Finis* Papatus est 1. seculariter ditescere, regnare, & tur-

pissimum

pissimum quæstum in Ecclesiâ facere. Hinc disputant Pontificii de indulgentiis, de sanctorum meritis, de Purgatorio, de potestate Papæ, de satisfactione &c. 2. Christi doctrinam obscurare, Ecclesiam opprimere &c.

11. Objectum Pontificiorum est doctrinam Antichristi inculcare & propagare.

12. Adjuncta Papatus sunt varia, ut: inexplebilis avaritia, scortatio, &c.

13. Placet breviter inquirere in originem Papatus. *Est verò inquirenda origo dominatus & doctrinæ.* Quod Papa sibi potestatem supremam & quidem politicam in Imperatorem, Reges, Principes adscribat, testantur publica scripta, comprobat experientia. Ex Antonio de Rosellis citat *Marcus Mantua* hæc verba: *Quod solus Petrus visus sit per mare ad Christum venire; id mystice designavit totum orbem futurũ sub imperio & dominatu Papæ. Clemens V. in lib. 2.* Clemẽtinarũ tit. 11. de sententiâ & re judicata, c. Pastoralis. *Papa* inquit, *sine dubio habet superioritatem ad imperium, & vacante imperio, imperatori succedit.* lib. 2. & 3. ceremoniarum curiæ Romanæ legitur: *Papæ nullo omninò mortalium reverentiam facit: Sed Imperatori ad osculum pedum aliquantulum assurgit: Omnes autem mortales, cuiuscunq; sint dignitatis & præeminentiæ, cum primum in conspectum Pontificis adveniunt, distantibus spatiis, ter debent ante illum genu flectere, & eius pedes osculari. Quando verò Papa per scalam ascendit equum, tunc Imperator stapham equi Papalis tenere debet, & eum aliquantulum per frenum ducere: Quod si autem Pontifex non equo, sed sellâ vehi, aut portari velit, tum Imperator vel Rex si adsunt, debent ipsam sellam, cui insidet Pontifex, humeris suis portare: Imò Imperator in convivio Papæ aquam præbere debet ad lotionem manuum: Quin & Imperator, vel Rex Romanorum debet portare primum ferculum ad mensam Papæ.*

14. Praxis Ecclesiæ Romanæ dominatum hunc Papæ in Imperatorem, Reges, & Principes ostendit: Annón enim *Vrbanus & Paschalis* 2. Pontifices, *Henricũ* IV. vivum gravissimè sunt persecuti, & mortuum corpore effosso, ne quidem in terra quiescere; sed integro quinquennio in humatum jacere voluerunt? Papa *Alexander* jussit, ut *Fridericus Barbarossa* humi se prosterneret, & hoc pacto absolutionis gratiam peteret. Ubi Pontifex prostrati

Imperatoris collum pede conculcans ex *Psal.* 91. dixit: Scriptum est super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem.

15. Si quis verò inquirat in originem hujus primatus, seu *quo jure Papa universalem hunc primatum sibi arroget.* Respondent 1. *jure divino cum eum immediatè habeat à Deo.* 2. *Decreto ac consensu S. Romani Imperii, & ordinis cum primis politici.* 3. *Approbatione, & consensu totius Ecclesiæ.*

16. Resp. Verùm apertissima proferri à Pontificiis mendacia brevissimè ostendimus. *Vniversalem igitur hunc primatum Papa non habet à Deo:* Nam non testimonium, non exemplum in speciè saltem probabile proferri potest, quo id confirmetur. Christus dicit: quis me constituit judicem, aut divisorem inter vos? Regnum meum non est de hoc mundo. Reges gentium dominantur, & qui potestatem habent beneficii vocantur, *vos autem non sic.* Apostolus Petrus 1. *Pet.* 5. *v.* 2. 3. Pascite, inquit, gregem, qui vobis commissus est, curam illius diligentem agentes, non coactè, sed libenter: non turpiter affectantes lucrum, sed prompto animo. Neque ut *Dominantes cleri:* Sed exemplar facti gregis. Quod magno clamore opponunt Pontificii ex *Matth.* 16. & *Ioh.* 21. alibi examinabitur.

17. Secundum itidem membrum *de Decreto S. Romani Imperii* falsissimum esse patet inde 1. quod ex nullis historicis fide dignis, ex nullis Actibus, adeoque recessibus ordinum Imperii decretum illud possit ostendi, & confirmari. 2. quod Dominatui isti Pontificio semper reclamarint ipsi Imperatores, Principes, Historici, Oratores, Poetæ Jureconsulti, ut Petrus Ferrariensis, Bernhardus Glossator, Marsilius Ficinus Patavinus, Wilhelmus Occan, Franciscus Petrarcha, Hieronymus Savanorola, & complures alii, qua de re videatur *Catalogus testium veritatis.*

18. Sed provocant Pontificii *ad donationem Constantini*, de qua fabulantur, Constantinum hostem adhuc Christianorum, leprâ infectum per somnum à Petro & Paulo admonitũ fuisse, ut se *Sylvestro* Papæ Romano traderet purgandũ: Baptizatus ipse & sanatus eidem *Sylvestro* ejusque successoribus donasse fingitur

tur urbem Romanam totum occidentis imperium, simulque Imperatoria insignia. In jure *Canonico dict. 96. cap.* 13. sic legitur: Constantinus Imperator coronam, & omnem regiam dignitatem in urbe Romanâ & in Italiâ, & in partibus occidentalibus Apostolico concessit. *cap.* 14. Constantinus Imperator quartâ die sui baptismi privilegium Romanæ Ecclesiæ Pontifici contulit, ut in toto orbe Romano sacerdotes ita hunc caput habeant, sicut judices Regem, &c.

19. 1. Resp. Instrumentum hoc & fundamentum, quod magni faciunt Pontificii, falsum fictum, sub & obreptitium esse, invictis evinci potest argumentis. Nam 1. Qui vitam, res gestas & acta maxima & minima Constantini descripserunt, & consignarunt, ut *Eusebius, Socrates, Theodoretus, Evagrius, Rufinus, Eutropius, Orosius, Paulus Diaconus, Beda, Nicephorus* & alii, tam immodicæ prodigalitatis nullam faciunt mentionem. 2. Pontifices Romani ipsi cum ipsis Imperatoribus de sua potentiâ & amplitudine contendentes in jure suo, quod prætendebant, multis seculis persequendo, nullum hujus donationis fecerunt verbum. 3. *B. Lutherus* dicit Tom. 6. Jen. Germ. p. 489. **Erstlich / ists war / daß Constantinus dem Bapst hat gegeben das gantz Occident / oder das beste halbe theil deß Römischen Reichs / warumb hat ers nicht offentlich gefordert vnd besessen / in so viel hunders Jahren. II. Warumb legt er noch heutiges Tags nit Brieffe auff / daß er sey König in Welschland / zu Franckreich / Hispanien / Engelland / Vngern / Behem / Polen / Denmarck / vnd vber Meer in Africa / Numidia / dazu in Teutschland / denn solche Länder gehören zu dem Römischen nider Reich oder Occidentischen Reich. III. Dazu haben noch vnsere Deutsche Keyser / Als die Hertzogen zu Sachsen / Ottones vnd Henrici Rom vnd Welschland inne gehabt für fünffhundert Jahren / Bäpst ab vnd eingesetzt / vnnd alle Bißthumb verliehen / wie das alle Historien zeugen / biß die verzweiffelten Ertzbuben / Bapst Bonifacius Octavus / vnnd hernach Johannes der zwey vnd zwantzigste / vnd Benedictus der Zwölffte kamen / die fiengen an die Stadt Rom ein zunehmen / vnd setzten den Rahtab / ꝛc.**

20. 4. Re-

20. 4. Refert *Eusebius lib. 4. de vita Constantini*, ipsum brevi ante obitum imperium inter filios ita distribuisse, ut natu maximo occidentem, secundo orientem, tertio interjectas regiones assignarit. Eandem divisionem commemorat *Socrates* lib. 3. Histor. Ecclesiast. c. ult. 5. Non tantum Italiæ, sed etiam urbis Romæ imperium penes Constantini successores permansit per annos 140 usque ad Annum Christi 410. Ecquis igitur sobrius Papæ Romano donatum illud fuisse affirmabit? 6. Taceo, quod cum imperium occidētis vexaretur à Gothis, Vandalis, aliisque barbaris nationibus; Roma in jure Imperatorum semper manserit. Taceo quod Longobardi universam Italiam per annos multos tenuerint. Prætereo quod *Eusebius lib.* 4. de vita Constantini: *Socrates* lib. 1. cap. 3. Theodoretus lib. 1. c. 31. *Hieronymus* in Chronico. *Ambrosius* de obitu Theodosii unanimiter testentur, Constantinum nonnisi paulò ante mortem, non Romæ à *Sylvestro* Papa, qui quinque propè annis ante inter vivos esse desierat, sed Nicodemiæ ab Eusebio baptizatum fuisse.

21. 7. Complures igitur Romanæ sedis Advocati diserte affirmant, capitulum illud totum, quod est de donatione Constantini, in antiquis Decreti Gratiani Codicibus non legi: *Antoninus* Episcopus Florentinus primæ partis historialis tit. 8. c. 1. scribit: *Caput illud non haberi in antiquis Decretis: Quid ergò, & quantum Constantinus donaverit, non est bene certum. Nicolaus Cusanus* lib. 3. de Concordiâ Catholicâ, *absq; dubio, inquit, si non fuisset illud dictamen de donatione Constantini Apocryphum, hoc est falsum, & adulterinum, Gratianus in veteribus Codicibus, & Canonum collectionibus invenisset: Sed quia non invenit, non posuit. AEnas Sylvius*, qui postea Papa pius II. est dictus, in libro quodam, quem adhuc Cardinalis scripserat, instrumentū istud donationis Constantini falsitatis apertè arguit.

22. Provocant deinde Pontificii ad donationem *Ludovici Imperatoris Pii*, de electione Romanorum Pontificum à Ludovico Romanis concessa quæ narratur *dist. 63. c. 30.*

23. Resp. 1. Et illud capitulum confictum est, cum à Bibliothecario Papæ, atque sic à suspecto authore proficiscatur, ut testatur Platina in vita Paschalis I. Sabellicus Ennead. 8. lib. 9. Volateranus anthropologiæ lib. 22. 2. Paschalis I. à populo vi coactus

actus munus Pontificum in se suscepit, & propterea Legatos ad Imperator. *Ludovicum* misit, ut in populum culpam transferret. 3. Imperator *Ludovicus* pro suâ mansuetudine satisfactionem quidem Paschalis accepit, sed cum cleri, & populi increpatione, addito mandato ut majorũ instituta, pactaq; servarẽt, caverentq; ne deinceps simili exẽplo imperatoria Majestas lęderetur, ut referunt Platina & Sabellicus. 4. *Lotharius* filius Ludovici Romæ Politiã ordinavit & Magistratus instituit. Ergo Ludovicus Pater Romã Pontifici nõ donavit. 5. Gregorius IV. post Valentinũ absentibus Imperatorib. à Clero, populoque Romano Pontifex electus non prius pontificiũ munus ineundum sibi putavit, q̃ missis ad Imperatorẽ nunciis, cõsensum ejus impetrasset, ut iidem Platina & Sabellicus referunt. 6. Num Imperator alienare potuit regiones Imperii, imprimis Romani Imperii caput. 7. Si ipsum capitulum inspiciamus, intelligimus, quod *Ludovicus* Imperator, jus eligendi & ordinandi Romanum præsulem, non absolutè, vel simpliciter Romanis remiserit.

24. Non minus falsum est tertium membrum, quo fingitur totam Chatholicam Ecclesiam in hanc concessionem consensisse. Nam 1. Ubi, quâ in Synodo universali, unus aliquis Romanus Episcopus in caput totius Ecclesiæ, & in Monarcham totius mundi est electus, nominatus, & confirmatus? 2. Annón, cum variis artibus, atque technis Pontifex Romanus Occidentalem Ecclesiam jugo suo subjecisset, Orientalis omnibus viribus ipsi se opposuit. *Iohannes Madavilla* narrat lib. 1. c. 17. cum Papa Johannes 22. Græcorum Ecclesiæ scripsisset, unicam tantum esse Christi Ecclesiam, cujus ipse sit caput universale, Christi in terris vicarius unicus, cui & ipsi se subjicere debeant; Rescriptum ab ipsis fuisse hoc Laconismo: *Potentiam tuam summam erga tuos subditos similiter credimus: Superbiam tuam summam tolerare nõ possumus: Avaritiam tuam inexplebilem satiare non valemus: Diabolus tecum, quoniam Dominus nobiscum*. 3. Legati Græcorum ad Concilium Lateranense missi, cum in quædam Pontificiæ Religionis capita consensissent, partim exilii, partim excommunicationis pœnam,

subire, ab Ecclesiâ Orientali sunt coacti. 4. In Decretis Nicænæ Synodi expresse statutum est, ut Romanus Episcopus, *Tantum* suburbanarum Ecclesiarum curam habeat; alij vero aliarum, 5. Idemque responsum est Papæ in Concilio Carthaginensi, 6. cui & ipse Augustinus interfuit. 7. *Gregorius Papa* disputat in Registro, *Neminem debere esse universalem Episcopum, novum, inquit, stultum, superbum, perversum, scelestum, prophanum, talem esse titulum, in quem consentire idem sit, quod fidem Christi abnegare. Addit. Eum qui se supra cæteros Episcopos efferre velit, similem esse Diabolo, qui non fuerit contentus, se cæteris Angelis æqualem esse.* Affirmat: *Eum, qui primus titulum Vniuersalis Episcopi usurpaverit, fore præcursorem Antichristi.* *Augustinus* lib. 3. de Baptismo contra Donatistas cap. 3. recitat hæc Cypriani verba: *Neque quisquam se nostrûm Episcopum Episcoporum constituit, aut tyrannico more ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit.*

26. Remotis sic falsis primatus Pontificij autoribus, subijciendum aliquid est de vero authore, quem ipsum esse Satanam pro certo habemus: Diabolus enim videns parum sibi temporis restare, id unicè studet, ut sibi socios multiplicare possit. Obambulat igitur tanquam leo rugiens quærens quem devoret: Spargit zizania inter triticum, & multarum hæresium, adeoque Antichristianismi Primarius est author: Iohannes dicit in *Apoc. c. 13. v. 2. Bestiæ decicorni dedit draco virtutem suam, & sedem suam, & potestatem magnam.* Apostolus docet 2. Thes. 2. v. 9. *Antichristi adventum esse secundum operationem Satanæ, cum omnipotentiâ, & signis, ac prodigiis mendacibus.*

27. Cum autem diabolus ad mysterium iniquitatis suæ perficiendum utatur suis satellitibus, ostendendum est, quibus in primis sit usus.

28. Sic igitur res sese habet: Quotquot ante Sylvestrum vixerunt, Episcopi tantùm in urbe Roma, teste Æneâ Sylvio, & Wizelio, fuerunt agniti, Post Sylvestrum vero usque ad Leonem primum primarius, qui Romæ docuit, Superentendens, seu Archiepiscopus Italiæ iuxta statutum Concilij Niceni fuit habitus.

29. A tempore verò Leonis primi, multa peculiaria sibi arro-

arrogarunt, sese solos Patriarchas, & Papas nominarunt, & nominari voluerunt, quibus reliqui Archiepiscopi debebant esse subjecti, & quos sibi non vi, sed sub specie fraterni amoris, & paternæ curæ subiiciebant. Hinc nonnulli, ut *Georgius Nigrinus in libro* **Papistische Inquisition/vnd Gultenstüß** *p.* 172. Papatum cum Leone primo anno Christi 441. cæpisse scribunt: Nam eodem tempore contentio inter veterem, & novam Romam de primatu fuit orta, & Constantinopolitani cum Romanis de titulo (*Universalis seu Oecumenicus*) contendere cæperunt: Constantinopolitani enim Episcopi suæ Ecclesiæ primas adscribebant partes, eò quod esset sedes regia Imperatoris; Sic igitur concludebant: Constantinopolis nunc est caput Imperii. Ergo etiam conveniens est, ut Ecclesia Constantinopolitana censeatur omnium prima, & reliquis omnibus præferatur. Romani suam præferebant Ecclesiam, quod esset mater unde quasi Colonia Constantinopolitana Ecclesia sit deducta. 2. Quod esset quasi domina mundi. 3. Quod Imperatores Romani à Roma nominentur.

29. Cum vero annos iam multos de primatu dimicassent factum est, ut *Phocas* interficeret *Mauritium*, Metuens igitur ne Italia ab Imperatoribus Græcis deficeret, vt per Pontifices eum retineret in fide, titulum *Vniversalis Episcopi* concessit *Gregorio*, qui sese abhorrere à titulo *Vnversalis Episcopi* dixit affirmans, eum, qui sese *Vniuersalem Sacerdotem* vocaret, vel vocari desideraret, in elatione sua Antichristo præcurrere.

30. Verùm idem certamen inter Episcopum Romanum & Græcum post Gregorij mortem recruduit sub *Bonifacio III. Phocas* igitur quia minus erat æquus Constantinopolitano Patriarchæ, ipsius crudelitatem arguenti: & quia Pontificis Romani benevolentia sibi opus esse iudicabat, ideo assensit *Bonifacio*. Romanam enim Ecclesiam omnium Ecclesiarum constituit caput, & eius Pontificem Episcopum Oecumenicum & dici, & haberi decreuit, anno salutis 607. iuxta Palmerium; At iuxta Bedam 612.

31. Hic *Bonifacius* tertius Romæ Synodum collegit

Anno Christi 607. Ex Episcopis 62. juxta Sigebertum; aut 72. ut Platina & liber pontificialis habent: Et Presbyteris 30. & diaconis tribus, & omni clero. In eâ Phocæ privilegium de principatu Romanæ Ecclesiæ promulgatur, & pontificiâ authoritate confirmatur.

31. Hunc insecuti alii, in primis Bonifacius octavus omnibus viribus allaborarunt, ut potestatem Papæ extollerent: Hic est ille Bonifacius, qui annum Jubilæum Romæ inchoavit, ad quem celebrandum undique confluxerunt homines, adeò ut urbs Romana vix omnes capere posset: Uno die videndum se exhibuit, ut Pontificem: altero ut Cæsarem, duosque gladios ante se ostendendos curavit addito hoc præconio: *Ecce duo gladii hic.*

32. Hic est ille qui *indulgentiarum* modum & rationem informavit. Hic est idem ipse, qui Philippum Regem Galliæ anahemate percussit, & Regnum Galliæ Romanæ Ecclesiæ adjudicavit, eò quod Rex eos, quos Bonifacius ex merâ malitiâ in exilium ejecerat, in regnum suum susciperet; Sed Rex Galliæ conjiciendum eum in carcerem curat, in quo intra 30. dies præ animi tristitiâ est extinctus, hoc post se relicto encomio: *Intravit ut vulpes, regnavit ut Leo, mortuus est, ut canis.*

33. Quamvis verò Pontifices subsequentes nondum omnia privato arbitrio administrarent, multò minus jura Imperatorum invadere auderent: Attamen pedetentim rem eò deduxerunt, ut ipsum Imperatorem etiam sibi subjicere tentaverint.

34. Tria præcipuè fuerunt adminicula, quibus Pontifices regnum suum mirificè stabiliverunt, & confirmarunt, ut sunt 1. *variæ de Christi naturis hæreses*, in quibus refutandis cum Orientales Occidentalium operâ vel maximè indigerent, & in Romanâ Ecclesiâ sibi optimum præsidium paratum esse cernerent, factum est, ut plurimum authoritatis, & eminentiæ ipsi deferrent. 2. *Funestæ Episcoporum Orientalium inter se contentiones*, æmulationes, & concertationes, quibus ipsi nulli sunt redditi; sedibus suis pulsi, cumque ad Episcopum Romanum fugerent, perhumaniter ab eo sunt tractati, atque sic maximè ipsius crevit authoritas. 3. *Imperatorum & Principum quorundam superstitiones, & immensæ donationes*, quib. Pontifices abusi pessimam benefactorib. suis gratiâ retu-

retulerunt, & sub religionis prætextu utramque potestatem sibi rapuerunt, de quâ potestate distinctius agemus in disputatione de Pontifice Romano.

35. Hæc & alia secum nonnulli expendentes distribuunt Romanos Episcopos in simplices absque mithris, mithratos, & Papas, ut sunt, qui inprimis à Bonifacio tertio ad hæc usque vixerunt tempora (Hi κατ' ἐξοχὴν hoc nomine nominari voluerũt.) Et hi dicũtur vixisse vel in regno magnę, & bicornis bestię, *Apo.*13. vel in regno meretricis magnæ, *Apoc.* 17. vel in regno Draconis magni, *Apoc.*20. vel denique in regno Locustarum, *Apoc.*19.

36. *Atq; ita initia primatus Romani Pontificis ostendimus: Subjiciemus pauca de origine doctrinæ pontificæ.* Quare notamus Satanam exercuisse mysterium hoc iniquitatis non apertè, sed occultè, non mutatione subitaneâ, sed lentâ Apostolus Paulus 2.*Thes.*2.*v.* 7. docet, quod mysterium iniquitatis suo egerit tempore. Distinguimus igitur *inter ipsa semina, & ipsum complementum.* Semina sparsit tempore Apostoli, quæ lentè accrescere fecit, dum per suos satellites novas abominationes indies excogitavit, ut suis ostendemus locis. Referuntur eæ ad scopum, quem Pontificii sibi habent propositum, qui est ditescere, & regnare. Inde dogmata ab eis finguntur, quæ referuntur ad culinam & ad curiam.

37. Illustrabimus hæc ipsa quæstionum quarundam cõtroversarum brevissimis decisionibus, in primis earum, quas, Pontificii non erubescunt, nominare indissolubiles, licet vel centies sint solutæ, & fundamentaliter ipsis sit responsum. Enarrabimus quasdam ex libello Georgii ab Ende Jesuitæ, qui hisce nundinis Coloniæ est recusus, & Nobili Johanni Bartholdo à Wonsheim inscriptus.

38. Quæstio prima: *Si Papa à veritate defecit, quæritur, quomodo, quando, & quo in loco hæc defectio sit facta?* p.22.

39. Resp.1. Circumstantiæ rem non constituunt, sed cõsequuntur, & præter essentiam rei accedunt. Sufficit igitur, si evicerimus, aliam fuisse doctrinam Apostolorum, & aliam esse modernorum Pontificiorum, idque ordine studebimus. 2. Christus docet *Matth.*13.*v.*24. hominibus non observantibus, nec animadvertentibus à diabolo zizania superseminari. Illustrari id potest

variis exemplis & similibus, ex scripturâ, Physicis, Medicis, & Politicis desumptis. Cum Josias, 2. *Reg.* 23. *vers.* 4. Judaicam Ecclesiam reformaret, & statuas idololatricas confringeret, de circumstantiis illis, quo authore, quando, quibus reclamantibus, &c. cultus ille idololatricus cœperit, non fuit solicitus. 3. Introductio novi dogmatis alia est subita, alia occulta & lenta: Illa sæpe fit ab uno, uno tempore, & Ecclesiâ observante, atque reclamante: hæc non fit ab uno, nec tempore uno, neque hominibus vigilantibus, sed dormientibus. In hac attendendum est *ad modum*, & *ad causas*. *In modo* hæc observamus: A certis ad dubia, & incerta à dubiis ad opiniones, ab opinionibus ad errores, ab erroribus ad hæreses temporis progressu devenitur, videatur Dn. Chemnicij in Exam. Concil. Trident. caput de origine, & progressu erroris in singulis controversis articulis. Ubi & hoc notamus, *aliud esse errorum semina: & aliud ipsam errorum segetem*: Illa in dubitante sunt nævi, & stipulæ: Hæc in repugnante est ipsa hæresis. Cyprianus in Epistola ad Julianum: *Ignosci, inquit, potest simpliciter erranti, post inspirationem verò, & revelationem veritatis factam, qui in eodem, quod erraverat, perseverat prudens, & sciens, jam non in veniâ ignorantiæ peccat: præsumptione enim, atque obstinatione quadam nititur, cum ratione superetur.* Causæ hujus à veritate defectionis hæ à nostris traduntur: Nimia Patrum veneratio: Romanorum Episcoporum ficta in spiritualibus jurisdictio: scholasticorum philosophica speculatio: scripturarum rarissima lectio: Et orthodoxorum violenta oppressio: videatur de his Dn. B. Meisnerus in Antilessio p. 296. 297.

41. Quæstio secunda: *In continua successione post Apostolum Petrum plurimi vixerunt Papæ: ex quorum numero multi fuerunt martyres, quæritur autem, quis ex his primus à veritate Apostolica defecerit, & eam oppugnaverit?* pag. 23.

42. Resp. 1. A successione locali & personali ad successionem doctrinalem non valet consequentia, cum illa absque hac esse possit: accidit enim huic. De Antichristo prædicit Apostolus, quod in templo Dei sit sessurus, 2. *Thess.* 2. *vers.* 4. hoc est, quod in Ecclesiâ pertextu successionis dominiũ sibi sit arrogatur?

Et.

Et quòd localis succeſſio doctrinali ſæpe deſtituatur, innumerabilia arguunt exempla: *In Alexandrina Eccleſia*, quæ ab Apoſtolis, & quidem à Marco creditur plantata, ſucceſſerunt ex Arianis, Gregorius & Lucius, ex Eutychianis Dioſcorus, ex Monothelitis Cyrus. *In Conſtantinopolitana Eccleſia* ſucceſſerunt Andreæ inſignes hæreſiarchæ, ut ſunt: Macedonius, Neſtorius, Eutyches. *In Eccleſia Antiochena* à Petro fundata ſucceſſit ipſe Samoſatenus, & ex Eutychianis, Petrus Graphæus, ex Monotheletis Macarius. Quare abſque doctrina Apoſtolica, nulla eſt verè Apoſtolica ſucceſſio. Tertullianus libro de præſcript. adver. hæres. *Illæ Eccleſiæ, inquit, ſunt ſoboles Apoſtolicarum Eccleſiarum, quæ conſeruant traducem fidei, & ſemina doctrinæ.* Epiphanius hæres. 55. *Non quærenda, ait, eſt perſonarum, ſed doctrinæ ſucceſsio.* Ambroſius libro primo de pœnitent. cap. 6. pag. 156. *Non habent, inquit, hæreditatem Petri, qui fidem Petri non habent.* 2. Inter ipſos Pontificios non convenit, quo tempore Petrus Romam ſit ingreſſus, nec tamen propterea Pontificij permittunt, ut inde quis inferat, Petrum nunquam fuiſſe Romam ingreſſum. Ergo ſi vel maximè defectionis tempus non poſſemus determinare, non tamen ex eo licet concludere eam nunquam eſſe factam. *Euſebius* libro tertiò capite primo Petrum ſub finem vitæ Romam veniſſe ſtatuit; At in papali ſede 25. annos ſediſſe, negat. Onuphrius cenſet, Petrum ante nonum annum poſt Chriſti reſurrectionem non exceſſiſſe ex Judæâ, additque poſt hoc novennium Romam adijſſe. *Bellarminus* libro ſecundo de Pontif. Roman. capit. 6. opinatur, Petrum ante quintum annum à Chriſti reſurrectione exceſſiſſe ex Judæâ, & ſeptem annos ſediſſe Antiochiæ, atque ita duodecimo anno à Chriſti reſurrectione veniſſe Romam. *Paſsionale* dicit, ipſum proximo poſt Chriſti reſurrectionem anno Romam adijſſe. Alij aliter. 3. Apoſtaſia & defectio illa à veritate Apoſtolica non eſt ſubito, & uno tempore facta: (Docet enim Apoſtolus 2. *Theſ.* 2. myſterium hoc iniquitatis ſuo tempore cepiſſe) Sed paulatim & pedetentim. Inſignem mutationem eſſe factam tempore Bonifacij tertij in præcedentibus oſtendimus.

44. Quæ-

42. Quæstio tertia: *Si populus à verâ Ecclesiâ, & puro verbo defecit: ubi igitur intereà vera Ecclesia, & verum Evangelium permansit? Quinam ejus fuerunt assertores & confessores? Quinam doctores verbum tunc temporis prædicarunt? Vbi? in quo regno, terrâ, civitate?* Ibid. p. 23.

43. Resp. 1. Locum defectionis ostendunt Propheta Daniel, & Evangelista Johannes in Apocalypsi docentes, quod sit urbs septicolis inter duo maria imperium habens in Reges terræ: Et ex Româ prodierunt jubilæus, iudulgentiæ, decreta papalia, ac ipsa Antichristianæ doctrinæ sentina. 2. Distinguimus *inter ipsum papatum, & quod fuit sub papatu & durante papatu*: Ipse papatus non fuit vera Ecclesia. Nam vera Ecclesia est illa, quæ est ædificata super ipso summo angulari lapide Iesu Christo, *Ephes. 2. v. 20.* Quæ non adinventionibus hominum indulget, sed præceptis Domini invigilat: Quæ non, quod sibi, sed quod Jehovæ rectum videtur, facit, ut passim in veteri testamento docet Jehova. Hæc est sapientia vestra coram populis, inquit Jehova *Deut. 4. v. 6.* ut audientes universa præcepta hæc dicant: en populus sapiens, & intelligens, gens magna: neque est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos sibi appropinquantes, sicut Deus adest cunctis obsecrationibus nostris. Quæ manet in sermone Christi, *Ioh. 8. v. 31.* Quæ audit vocem Pastoris sui, & vocem peregrini non agnoscit, *Ioh. 10. v. 5. 16.* Quæ legitimè utitur sacramentis à Christo institutis, quæ sunt verbi divini sigillum. Jam verò Papatum non esse ædificatum super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, indulgere adinventionibus hominum, non manere in sermone Christi; patet ex Pontificiorum praxi: Nam scribunt, scripturam esse mutilam, mancam, imperfectam, & instar nasi cerei, & flexibilis, materiam litis, atramentum sutorium, regulam plumbeam, sphyngis ænigma, Sybillæ folium: Apostolos interdum errasse, & dormitasse, obiter scripsisse, & scripturas suas ad tempus adaptasse. *Hermannus* quidam blasphemus papista, affirmat, scripturas, nisi accedat Ecclesiæ authoritas, tantum valere, quantum fabulæ valent Æsopicæ, idque ut piè dictum, defendere studet Hosius. Papæ & Ecclesiæ authoritatem scripturæ præferunt, verbum Dei non scriptum penes se esse fingunt. Sacramentum cœnæ mutilant. Quinque Sacramenta, quæ institutione Christi earent, Eccle-

Ecclesiæ obtrudunt. Ergo. Qua de re suo loco plura.

44. *Sub Papatu verò, & durante papatu fuit vera Ecclesia.* Nam primò caput mysticũ non est absque mysticis suis membris. Christus verò sub ipso etiam papatu erat Ecclesiæ caput mysticum. Ergo. Secundò, arguunt id promissiones: Nam portæ inferorum nõ prævalebunt adversus ipsam, *Matth.16.v.18.* Ubi duo, vel tres sunt congregati in nomine ipsius, in eorum promisit, se medio futurũ *Matt. 18.v.20.* Nobiscum se futurum promisit, usque ad consummationem sæculi, *Matth.28.v.20.* Tertiò docet, Articulorum fidei veritas: Credimus enim Ecclesiam veram sanctam, Catholicam, & Apostolicam. At fides labascit Ecclesiâ sublatâ. Quartò. Prædixit Apostolus Antichristum in templo Dei sessurum. Regno igitur Antichristi durante, vera est Ecclesia. *2.Thes.2.v.4. In templo Dei sedet ostentans, se esse Deum.* Nomine templi non intelligimus cũ Bellarmino lib.3.de Rom. Pont. cap.12. templum Hierosolymitanum: Sed Ecclesiam, quæ est domus Dei viventis, *1.Tim.3.v.15. Theodoretus super hunc locum commentans, Dei templum, inquit, Apostolus appellavit Ecclesias, in quibus primam sedem arripiet Antichristus.*

45. 3 Facies Ecclesiæ non semper est una, & eadem. Unde rectè cum Lunâ confertur. Durante Papatu partim latuit, partim manifesta fuit. Latuit non Deum, sed homines, & quidem primò respectu publici ministerii, seu verbi interpretationis, quæ non omninò fuit pura, & incorrupta. Secundò respectu personarum, quæ licet abominationibus papisticis non apertè contradixerint, non tamen assenserunt eis. 4. Membra Ecclesiæ durante Papatu fuerunt partim in cœtu pontificiorum, partim extra eum. In cœtu ipso fuerunt, *infantes, assertores seu confessores, Martyres, moribundi.* Quando distinguimus cõfessores â martyribus intelligimus nomine *confessorum* eos, qui sese corruptelis pontificiis sine vitæ dispendio opposuerunt, licet non absq; ullo periculo, ut: Bernhardus Cluniacensis, Taulerus cõcionator Colonienſis, Franciscus Petrarcha, Johannes Muntzinger Rector scholæ Ulmensis, Nicolaus de Lyra, &c. Consulatur Catalogus testium veritatis. Extra cœtum Pontificiorum ostendimus, Ecclesias ab Apostolis fundatas, cum quibus Ecclesiarum nostrarum doctrina ex asse congruit. Ostendimus Ecclesiam Græcorum: Nam Patriarcha

Constantinopolitanus Romanum Pontificem quotannis Dominicâ invocavit inter alios hæreticos excommunicat. Tacemus Waldenses, de quibus legi potest Catalogus testium veritatis *part.2.lib.15.*

46. Si igitur petiveris, *ut tibi ostendatur Ecclesia, quæ idem docuerit, quod Lutherus docuit*: Ostendimus Ecclesiam primævâ Propheticam, Apostolicam, & ab Apostolis fundatam, cum quâ per omnia idem docet Ecclesia Lutherana. Deinde sangùine martyrum meretricem babylonicam ebriam factam esse, ex Apocal. Johannis docemus. Atque aliud esse officium fidei, & aliud officiũ historicæ observationis asserimus. Sufficit nobis quosdam fuisse, qui veritatem Apostolicam nobiscum propugnarunt, licet eos omnes historicè enumerare & nominare in individuo non possemus: Credimus enim Ecclesiam Catholicam, & Apostolicam. Fidei igitur illud est, non sensuum. Et sufficienter satis constat, singulari fraude, & astutiâ Romanenses laborasse, ut nomina, libros, & monumenta eorum, qui sese Romanæ sedi opposuerunt, supprimere potuerint.

47. Quæris, *Quo medio homines sub Papatu* sint conversi, & vera Ecclesiæ membra facta? Resp. Sub Papatu manserunt verbũ, & Sacramenta licet corrupta, & mutila: Retentæ sunt in Ecclesiâ prælectiones, epistolarum, & Evangeliorum Dominicalium, historiæque passionis dominicæ: Retentæ sunt Catechismi partes vulgò notæ, Decalogus, Symbolum Apostolicum, Oratio Dominica: Mansit Hortulus animæ. Ex his igitur credimus, homines istos Christum cognovisse, & conversos esse.

48. Inquis, *quomodo ex corrupto, utpote verbo Dei depravato, & Sacramentis mutilis potest gigni Ecclesia incorrupta*? Resp. 1. Donatistarum est hæresis ex impuro ministerio totam Ecclesiam arguere impuritatis. 2. Tempore Eliæ sub Achabo cum ministerium Ecclesiæ esset corruptissimum, altaria destructa, Prophetæ Domini occisi, soluſque videretur superstes esse Elias, Dominus disertè testatur. 1. *Reg.19.v.10.* Reliqua sibi esse septẽ millia. 3. Aliud est ipsum verbum, ejusque prædicato, & aliud ejus interpretatio: Etiamsi interpretatio verbi pura non sit, ipsum tamen verbũ purum esse, & purè prædicari potest. Nam Evangelium etiam quã-

do

do legitur ab hæreticis, prædicatur, videantur exempla. *Matth.23. v.3. Luc.8.v.1. Act.15.v.21. Apoc.5.v.2.* Quamvis igitur interpretes biblici fuerint corrupti, textus tamen biblicus permansit sincerus: Hic igitur quando legebatur in pericopis Evangeliorum & Epistolarum Dominicalium, in historia passionis Dominicæ, in textibus funebribus, tunc verbum purè prædicabatur.

49. Quæstio quarta: *Nullus hæreticus tam clanculariè Ecclesiam est ingressus, ut author ignoretur, & nemo ejus hæresin observarit, &c. Si igitur Papa est hæreticus, quis hæreseos hujus author, quæ eam ante Lutherum notavit,* quis Papæ ante Lutherum se opposuit? p.24.

50. Resp. Ad quæstionem hanc in præcedentibus est responsum. Addimus pauca. 1. Potius cogitandum est, quomodo huic malo remedium inveniatur, tenebræ pontificiæ discutiantur, corruptelæ illæ ex verbo Dei tollantur, quam anxiè disputare, quo authore, & quomodo doctrinæ Apostolicæ in Ecclesiâ Romanâ sit facta mutatio. Augustinus Epist.29. jucundâ quadâ Historiâ illorum refellit temeritatem, qui peccati originalis propagationem nolebant credere, nisi exactè constaret de propagationis modo. *Eleganter dictum esse narratur, aut quod huic rei satis aptè convenit. Cum quidam corruisset in puteum, ubi aqua tanta erat, ut eum magis exciperet, ne moreretur, quam suffocaret, ne loqueretur: accessit alius & eo viso admirans ait. Quomodo huc cecidisti? At ille obsecro, inquit cogita, quomodo hinc me liberes, ne, dum quæris, quomodo huc ceciderim, limo suffocer.* 2. Autor defectionis hujus est primarius, vel secundarius. Primarius est ipse Satanas, 2. *Thes.2.v.9. Antichristi adventus est secundum operationem Satanæ in omni virtute, & signis & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis. 1. Tim. 4. v.1. In novissimis temporibus discedent quidam à fide attendentes spiritibus impostoribus, & doctrinis dæmoniorum.* Secundarii defectionis hujus authores sunt Pontifices Romani, qui, cum hunc sibi proposuissent scopum, ut opes corraderent, ut primatum obtinerent, fraudulenter, & studiosè ea excogitarunt, quæ ad hunc scopum deducerent. Accuratè verò annotârunt Platina, & Polydorus virgilius quis Pontifex, cuiusq; dogmatis & constitutionis sit author. Consulantur etiam recensiores, qui studiosè idem ostendunt, ut Chemnitius in examine, Mornæus de eucharistia, & Szegedinus.

51. Quod

51. 5. Quod quovis seculo tyrannidi & abominationibus Pontificiorum eruditi & pii viri sese opposuerint, fideliter passim narratur in Catalogo testium verit. videatur part. 1. lib. 8. p. 755. Tertullianus lib. cõtra Judæos, Babylon, inquit, apud Johannem nostrum *Romanæ urbis* figuram portat. Refert Aventinus lib. 4. Annalium, quod Episcopus Colonienſis, & Trevirensis Papam Nicolaum primum his verbis sit allocutus: *Tu pontificis quidem personam præ te fers: At Tyrannum agitas. Sub habitu & cultu pastoris LVPVM sentimus. Titulus parentem mentitur, tu te factis IOVEM ostentas: Cum sis servus servorũ, DOMINVS DOMINORVM ESSE contendis, &c. Dionysius* missas privatas, & communionis signorum mutilationem, & transsubstantiationem damnat. *Ignatius* errorem transsubstantiationis, & cõmunionis sub una, missasque privatas refutat. Canones Apostolorum æqualitatem faciunt inter Archiepiscopum, & Episcopum, Papæ primatum non agnoscunt, uxores sacerdotibus permittunt, eos, qui religionis causa carnes edere volunt, anathematizant. Verùm patrum sententiæ de papalibus dogmatibus videantur in Catalogo test.

Ver. in quo diligenter sunt consignatæ.

Finis Disputationis primæ.

DE PAPISMO

DISPVTATIO II.

DE

ORIGINE JESVITARVM,

ATQVE DE LIBRIS CANONICIS & Apocryphis,

IN QUA

Christo Duce, & Auspice Christo

SUB PRÆSIDIO

IOHANNIS GISENII,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS,

ET ORDINARII IN INCLY-

ta Academiâ Giessenâ

Professoris.

RESPONDEBIT

ÆGIDIUS CONRADUS GUALTPERIUS

Marpurgo-Cattus.

In Auditorio Theologico ad diem 25. Octob. horis antemeridianis, & pomeridianis.



GIESSÆ,

Ex Typographéo Casparis Chemlini.

Anno M. DCXVII.



DISPUTATIO SECUNDA
DE ORIGINE JESUITARUM, ATQUE DE LIBRIS CANONICIS & Apocryphis.

THESIS I.

OSTENDIMUS disputatione præcedente originem Papatus: Placet igitur breviter inquirere in originem Jesuitarum, cum hi sint quasi fulcrum Papatus, & horum doctrinam deinceps simus examinaturi. Fidelissimè verò *Dn. Chemnitius originem* Jesuitarum exposuit. Referemus nos pauca.

2. Post *Franciscum* igitur, & *Dominicum*, cum indies novæ sectæ orirentur, extiterunt quidam, qui statuerunt, regulam potius *Iesu*, quàm *Francisci*, vel *Dominici* esse sectandam.

3. Docet enim *Platina* circa annum Christi 1326. in Lusitania ortos fuisse, qui sese appellari voluerunt *milites Iesu*. Et mox anno 1366. Jesuatorum devotio *Senis* est orta.

4. De his scribit *Sabellicus*: Colligebantur ab initio domesticatim, simplici habitu amicti multâ innocentiâ, & pietate viri victum sibi labore, & opera quæritantes, Apostolici ab initio clerici nuncupati. Hi neque sacris initiantur, neque celebrant Missarum solemnia, tantum orationi vacant Jesuati ab eo dicti, quod Jesu Regis summi nomen sit frequens in illorum ore.

5. Jesuwitarum verò, de quorum doctrina & opinionibus collationes deinceps instituemus, nova planè est origo & religio: Et ut de novitate constaret, studiosè vitarunt Jesuatorum appellationem.

6. Fundamenta verò prima ordinis hujus novi Venetiis jecisse refertur *Iohannes Petrus Carapha*, qui posteà Cardinalis, & tandem anno Christi 1555. Pontifex factus, Paulus Quartus est dictus.

7. Verùm fundamenta, & initia hæc fuerunt admodum obscura, inde communiter sectæ hujus author constituitur *Ignatius Loiola*. Fuit is genere nobilis, patriâ Hispanus, affectione homo superbiæ, & corporis voluptatibus deditissimus, qui ex ephębis egressus non veritus est dicere se manu suâ dextrâ, quâ gladiũ tenebat, vel invitis Diis hostes suos omnes comminuturum. Naturâ ipsum fuisse ferocem, sævum, durum, truculentum, ipsi fatentur Pontificii: Quod fuerit miles vanis jactatus in armis, testatur carmen, quod ipsius effigiei subijcitur. Qualis per totam fuerit vitam, propria ipsi conscientia dictavit, quæ narrante vitæ Ignatii decantatore ipsum adegit, ut semetipsum detestabilem dixerit, & professus fuerit, se indignum, qui honestè sepeliretur.

8. Ferox igitur iste homo in obsidione arcis Pompelopolitanæ dextro crure bombardæ ictu læso, sinistro etiam lapide de muro excusso graviter vulnerato, vindictam divinam sensit.

9. Divinitus verò Pœnâ illa affectus, & jam ad negotia militaria politica cum gravitate perficienda ineptus, de aliâ cœpit cogitare vitæ ratione. Desperatio fecit Monachum.

10. Primùm temporis fallendi causa lectioni profanorũ librorum totum sese tradidit. At à nobilibus ridebatur jam claudicans, hostes ipsi insultabant, ad res politicas perficiendas ineptum se esse, ipse intelligebat. Legendas igitur sanctorum singulari studio evolvere cœpit, unde ipsum superstitiosa religio incessit. Cœpit agere vitam duram & rigidam, devotionis singularis ergò Hierosolymam proficiscitur. Quia verò ad illam vitæ rationem, quam inire cogitabat, literatum cognitionem plurimũ conducere intelligebat, primùm in Hispaniâ Compluti, & Salamăticæ literis incubuit: Post Lutetiam Parisiorum se contulit, ubi per decẽ annos in studiis versatus decem novæ suæ religionis socios sibi ascivit. Exacto verò decennio cum novis suæ religionis sodalibus anno Christi 1536. in Hispaniam rediit. Anno verò 1537. Romam accesserunt, impetraruntque potestatem Hierosolymæ loca peragrandi. Sed ob turcicum bellum mutarunt consilium, & institutum suum ad docendas Ecclesias converterunt. Venetiis igitur septem ex illis sacris sunt initiati, qui istis in locis prædicare cæperunt.

11. Dein-

11. Deinde anno 1538. Romam conjunctim se contulerunt, & de novi ordinis confirmatione solicitarunt. Narrat *Hasenmullerus* multos eruditos viros ipsis restitisse, & judicasse, innumeros Monachorum ordines potius vel partim abolendos, vel ad minimũ reformandos, q̃ orbem novo ordine aggravandũ esse : *Bartholomæus Guidiccionus Cardinalis* ferre noluit, ut miles adeò impius, & profanus novum ordinem inchoaret, apertè cõtra eum scribens, ac decernens, pristinam religionem potiùs in ordinem esse revocandam, quàm novas religiones instituendas. Verùm nihil ipse obtinuit.

12. Nam Ignatius de reliquorum clericorum negligentiâ conqueritur, de suâ diligentiâ, & obedientiâ amplissimas promissiones facit, se cum sociis suis Ecclesiam Romanam pro virili consiliis & scriptis adjuturum jurat. Quare anno 1540. intercedente Cardinali Contareno à Paulo III. institutum ipsorum est confirmatum; Sed hac cum conditione, ne plures, quàm 60. viri societati adscriberentur.

13. Verùm animadvertens ipse vel solum hanc societatem ob maximam astutiam labascenti pontificiæ Ecclesiæ mederi posse decrevit anno 1543. ne ullis vel locorum terminis, vel personarum numero societas hæc circumscriberetur, idque confirmatum est à Julio III. Paulo IV. Pio IV. Et Tridentino Concilio.

14. Ortum igitur suum Jesuitæ trahunt non à Jesu, sed ab Ignatio Loiolâ. Ne autem socii Ignatii ab homine, sed à Deo denominarentur, eos Jesuitas dici voluit, cumque hujus nominis ratio ab eo postularetur, respondit : Mei socii nequaquam à meo nomine vel *Ignatiani*, vel *Loiolitæ* dicantur; Sed titulus illorum sit societas Jesu : Cum enim Romam pergerem, in viâ mihi apparuit Jesus cum beatâ matre suâ, mihique dixit, ut socios sibi conscriberem, quia paucos haberet inter clericos fideles servos, velle igitur se, ut hic meus ordo dicatur: *Societas Iesu*.

15. Appellationis hujus, quam sibi Jesuitæ arrogant novas scriptiones nominis, & quidem festivas alii indagant, quæ sunt Hebraicæ, Latinæ & Germanicæ : Quidam eos dictos putãt Jesuitas quasi *Esauitas*, vel *Iebusitas*, vel *Gezitas*. Alii dictos censent

Jesuitas à vero ipsorum symbolo, & professionis summâ, quã esse ajunt *Iesum vita*, vel *à Iesu ite*. Quidam ex germanicâ lingua appellationis rationem petunt. Secundum idioma enim inferioris Germaniæ **Jesuwiter** dicitur, quasi à **Jesu wilt** / quod longè sint à Jesu, & alios ab ipso abducant, vel secundum idioma Germaniæ superioris **Jesuwitters** dicitur, quasi **Jesuwieder** vel **Jesuzuwieder** vel primâ ablatâ syllabâ suitas, vel sauitas, quos Horatius nominat Epicuri de grege porcos: Sed de his festivis, quæ nos tantum referimus, videantur alii ut *Chemnitius* de Origine Jesuitarum, & *Hasenmullerus* cap. 2.

16. Tantum de origine Jesuitarum: Doctrinam ipsorum deinceps breviter examinabimus. Scopus igitur Pontificiorum non infimus est ut seculariter diteſcant, otientur, regnent, & turpissimum quæstũ in Ecclesiâ faciant: Inde disputant de indulgẽtiis, de Sanctorũ meritis, de satisfactione, de purgatorio, de potestate Papæ &c. Hujus respectu scopi non incõmodè Papismus distribui posset. Nã ad hunc scopũ nonnulla deducunt directè & principaliter nõnulla indirectè, & minus principaliter. Alii cum Papismus sit Antichristianismus, eum respectu Christi distribuũt. Licet enim Christum nominetenus profiteatur, reverâ tamen ei adversatur tum quoad ea, quæ ipsius nominibus, Christi & Jesu, significantur, tum quoad ea, quæ ejus personam cõcernunt: Nos verò Bellarmini methodum, quantum fieri potest servabimus. A scriptura igitur sacra, quæ est ipsum Articulorum fidei fundamentum initium facimus.

17. Innumerabilia ferè sunt, de quibus inter protestantes, & Pontificios in loco de sacrâ scripturâ disceptatur. Revocabimus illa ad sequẽtia capita. Primò igitur quæritur, *de distinctione librorũ Biblicorum*, utpote quinam & quot sint canonici, qui leguntur ad cõfirmationẽ fidei; Quinam & quot sint Apocryphi, qui legũtur ad morũ cõformationẽ, & ædificationẽ populi. Secũdò, *de editione authenticâ: & trãslatione in linguas vernaculas*. Tertiò, *de scripturæ authoritate*. Quartò *de scripturæ perspicuitate*. Quintò, *de ejus interpretatione, & judice controversiarum*. Sextò, *de scripturæ perfectione*. Septimò *de traditionibus humanis*. Conferemus de his ordine.

18. Libri igitur biblici alii sunt Canonici, alii Apocryphi. *Libri Canonici sunt libri Biblici divinitus Prophetis & Apostolis inspirati*

& ab

& ab illis Ecclesiæ Dei traditi, ut ex illis veritas theologica cognoscatur, & quævis dogmata iudicentur.

19. Vocabuli, *Canonici*, usus est duplex: Generalis, & specialis. Generaliter usurpatur ab Augustino, qui oēs libros Biblicos respectu librorū suppositiorū, qui in volumine biblico nō extant nominat Canonicos. Specialiter ab Hieronymo, & hodiernis Theologis, qui libros tantum biblicos considerantes, & inter se conferentes, nonnullos docēt esse canonicos, nempe quos divinitus inspiratos esse, exploratè constat; nonnullos Apocryphos.

20. Dicuntur verò libri Canonici vel Veteris, vel Novi esse Testamenti, seu instrumenti: *Libri canonici V. instrumenti sunt quotquot in hebræo codice continētur 2. quotquot à Christo, & Apostolis passim pro confirmatione fidei sunt allegati. 3. Quotquot universali primitivæ Ecclesiæ consensu citra omnem contradictionem sunt recepti, & approbati.* Hujusmodi libri sunt: Pentateuchus Mosis, liber Josuæ, Judicū, Ruth, libri duo Samuelis, duo Regum, duo Paralipomenon, duo Esdræ, Esther, Job, Psalterium, proverbia Salomonis, Ecclesiastes, canticum canticorum, quatuor Prophetæ majores, & duodecim minores.


21. Libri *canonici* N. *Instrumenti sunt, qui habent testimoniū ab Ecclesiâ primitivâ, quod ab ipsis Apostolis sint scripti*, ut sunt: Quatuor Evangelistarum Evangelia, Acta Apostolorum, Epistolæ Pauli, ad Romanos una, ad Corinthios duæ, ad Galatas una, ad Ephesios una, ad Philippenses una, ad Colossenses una, ad Thessalonicēses duæ, ad Timotheum duæ, ad Titum una, ad Philemonem una, prima Petri, prima Johannis, Apocalypsis Johannis.

22. *Libri Apocryphi sunt libri biblici vel ob occultā originē in sublimi canonicæ authoritatis sede nō collocati vel de quorū authoribus est dubitatū.* Suntq; vel Veteris, vel N. Instrumēti. *Libri Apocryphi V. Instrumēti sunt. 1. qui ne quidē in Iudaicâ Ecclesiâ p. authenticis sunt habiti, cū nō linguâ hebræâ populo Dei propriâ sint scripti. 2. quibus deest Christi, & Apostolorū testimoniū. 3. qui Ecclesiæ primitivæ universali destituūtur cōsensu.* Hujusmodi libri sunt: Tertius & Quartus liber Esdræ: Supplementū Esther: Oratio Manassis: Tobias: Judith: Baruch: Epistola Jeremiæ: Liber sapientię: Syracides: Supplementū Danielis: Libri Maccabæorū. Hi leguntur primariò non ad confirmationē fidei, sed ad conformationē morum, seu ad ędificationē populi.

23. *Libri*

23. *Libri Apocryphi N. Instrumenti sunt libri Biblici, de quorum authore aliquando fuit dubitatum.* Dicuntur illi Apocryphi non tam respectu authoritatis, quàm secundarii authoris seu scriptoris. Authoritatem enim ferè eandem cum Canonicis obtinent. In eorum numerum referuntur: Epistola ad Hebræos : Secunda Petri : secunda & tertia Johannis: Iacobi: Judæ. Quidam addunt Apocalypsin Johannis.

TABELLA DISTINCTIONEM LIBRORUM sacrorum continens.



24. Quæ verò de distinctione librorũ biblicorũ Pontificiorũ sit opinio, exponitur *in Concilio Tridentino, sess. 4. Decret. 1.* his verbis: Si quis libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata latina editatione habẽtur, pro sacris & canonicis non susceperit, & traditiones prædictas sciens, & prudens contempserit, anathema sit. *Costerus* in loco de sacra scriptura pag. 66. statuit solius Ecclesiæ (subintellige pontificiæ) de librorum canonicorum numero, intelligentia, & judicio esse standum: sanctos Patres non decreviſſe, ne libri Maccabæorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Tobias & Judith sint Canonici, sed propter Judæos ad fidem nuper conversos, quos irritare noluerunt, non numerasse inter illos, qui in Ecclesia essent legendi.

25. Prius quàm ea examinemus, generalem aliquã quæstionem præmittimus, ad eamque respõdemus. Sit igitur quęstio prima: *An Evangelici seu protestantes suos liberos Iesuitarum institutioni illæsa conscientia committere possint?*

26. Credimus omninò, profitemur & docemus, verorũ Christianorum, Evãgelicorum, seu protestantium liberos Jesuitarum institutioni non posse committi, & gravissimè ab iis peccari parentibus, qui liberos suos Jesuitis informandos tradunt.

27. Confirmamus assertionem hanc primò à fidei confessione: *Quicunq; enim negaverit Christum coram hominibus, eundem negabit ipse coram Patre cœlesti. Atqui isti Christiani, qui Iesuitarum improbant fidei doctrinam & nihilominus eorum informationi committunt liberos suos, negant Christum coram hominibus. Ergo.* Vera confessio non debet esse fucata, sed sincera: corde creditur, ore fit confessio ad salutem: Verus Christianus non debet esse similis arundini, quæ à quovis vento circumfertur: Non debet in utrumque crus claudicare: Non tepidus esse: Non jugum ducere cum infidelibus. Nulla enim proportio justitiæ cum injustitia, nulla communicatio lucis cum tenebris; 2. *Cor. 6. v. 14.*

28. Quamvis verò parentes ejusmodi non verbis, attamen factis Christum coram hominibus, negant: Siquidem istis, qui Christi personam & officium oppugnant, ejus merito derogant, Antichristi illius magni, meretricis babylonicæ sunt

satellites, defensores, cultores, suum optimum thesaurum, filiolos nimirum suos committunt, & informandos tradunt.

29. Secundò à fine Jesuitarum, qui est Ecclesiis, in primis Germaniæ lucem, quæ affulsit, eripere, & sub jugum pontificium reducere: *Quicunq; igitur id unicè student, & agunt, ut Germaniæ Ecclesias ab erroribus Pontificiorum purgatas, iterum his inficiant, illis salvâ conscientia & pietate veri Christiani, seu protestantes suos liberos nequeũt informandos tradere. Atqui Iesuitæ id unicè student & agunt. Ergo*

30. Propositio est certissima: Christus dicit *Matth. 7. v. 15.* cavete vobis à Pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Et *cap. 24. v. 24.* Surgent Pseudochristi & Pseudoprophetæ, qui dabunt signa magna, & prodigia, verum nolite credere. Apostolus Paulus monet, hæreticum fugiendum esse, *Tit. 3. v. 10.* Johannes 1. *Epist. c. 4. v. 1.* Nolite, ait, omni spiritui credere, sed probate spiritus, num ex Deo sint. Quoniam verò hæreticos fugere debent adulti, multò magis eos fugiant pueri, & juvenes oportet. Nam verum est illud Virgilii: *A teneris assuescere multum est.* Et illud Terentii: *Si quis Magistrum ad eam rem cœperit improbum, ipsum animum ægrotum facilè ad deteriorem partem applicat.* Et sicut ceræ quævis facile possunt imprimi imagines: ita pueris facile quidvis potest persuaderi. In trito dicitur proverbio: Qui picem tangit, maculatur ab ea.

31. Assumptionis veritatem ostendit ipsa Jesuitarum praxis. Et, annón Loiola, cum ipsius petitioni de ordinis confirmatione resisteret Cardinalis Guidiccionus, Papæ se, suosq; devovit, absolutam obedientiam in omnibus est pollicitus, se cum suis Ecclesiam Romanam, ac sedem pontificiam pro virili consiliis, & scriptis adjuturum juravit? Annón cum anno 1540. decretum esset, ne plus quàm 60. viri ad eam societatem adscriberentur, & posteà animadverteretur, eos ob astutiam ad resarciendã labascentem Ecclesiam pontificiam maximè idoneos esse, decretum est anno 1543. ne ullis locorum terminis, vel personarum numero societas hæc circumscriberetur? Annón Jesuitæ Romæ anno 1553. amplissimum constituerunt collegium, in quo adolescentes Germanorum sumptibus Pontificiorum in literis, & religione instituerentur, ut ad suos redeuntes pontificiam religionem instaurare possent?

32. Ter-

32. Tertiò à sedulâ parentum cura în instituendis,&educandis liberis adhibenda: *Quicunq; parentes liberos suos non piè educandos & erudiendos curant, gravissimam Dei pœnam incurrunt,* Ephes. 6.v.4. Vos parentes nolite ad iram provocare filios vestros: Sed educate illos in disciplina,& correptione Domini. Arguunt exempla,utpote sacerdotis Eli 1. *Sam.* 2. & 4. *Atqui isti parentes veræ doctrinæ de Deo addicti, qui liberos suos Iesuitarum disciplinæ subiiciunt, non piè eos erudiendos curant:* Siquidem tradunt eos illorum institutioni,quos à veritate esse alienos,non ignorant.Ergo.

33. Quartò à sanguinario Judæorum facto tanquam à Minori:Nam idololatrici Judæi in valle Behinnoth idolum nomine Moloch erexerunt,illudque calefecerunt, & ejus candentis imaginis brachiis suos liberos affixerunt,atque concremarũt, *Ier.*7.& 19.Idem testatur scriptura de Achaz Rege in Israël 4.*Reg.* 16.Et de Manasse Rege in Juda,4.*Reg.*21.Hi consecrantes liberos suos idolo,& statuentes se cultum singularem præstare Jehovæ, Diabolo dicuntur suos obtulisse liberos: Et propterea Deo gravissimas dederunt pœnas.Certè non minus,imò gravius peccant isti Evangelici,qui Jesuitarum veram fidem oppugnantium fidei liberos suos committunt,& erudiendos tradunt: Siquidem diabolo non tantum corpus , sed etiam animam liberorum offerunt.

34. Quintò à calumniatoribus fugiendis: *Quibus id unicè est curæ,ut maledictis monstrosis,impiis, Evangelicos proscindant, obtrectent:illis erudiendos tradere nequeunt liberos suos Evangelici*: Nam calumnias,& calumniatores nos fugere oportet,*Levit.*19.*v.*16.*Syr.* 5.*v.*16.17.*Proverb.*18.*v.*8. *Atqui Iesuitis id unicè est curæ*, idque sufficientissimè ipsorum testantur scripta, in quibus in primis contrà B.Lutherum, ejusque discipulos edita , sæpius nil nisi meras calumnias effundunt.Ergo.

35. At sunt,qui moventur sumptuum paucitate, ut filios suos concredant potius Jesuitis , apud quos ob institutionem sumptus sumunt nullos , quam suæ religionis informatoribus, cum ad hos alendos sumptus sæpe oporteat facere non exiguos.

36. Resp.1. Num dona caduca, temporalia,& fortunæ

sunt præferenda bonis animi, & sempiternis? Servator dicit, quærite primùm regnum Dei, & cætera adjicientur vobis. 2. Si ulli homines sciunt modum corradendorum temporalium bonorũ, homines pecunia emungendi, eamque ad se transferendi: certè Jesuitæ norunt. Testantur pallatia, & ampliſſimæ, quas passim inhabitant, domicilia, quæ non suis à se acquisitis, sed aliorum hominum opibus ædificarunt, & ædificant. Testatur pecuniæ copia, quam dant mutuam non sine immenso lucro Comitibus, aliisque Rebus pub. testatur vita, quam agunt, lautissima. Unde illis hæc bona? Taceo alia.

37. Instant, apud Jesuitas liberos suos omnium optimè informari in linguis, in variis artibus, quibus bene cognitis apud alios institui posse in fidei principiis, & vera religione.

38. Resp. 1. Filios hujus seculi esse prudentiores filiis lucis in generatione sua, docet Servator, *Luc.16.* 2. Deplorandum est juventutis Institutores non suo sæpe fungi officio, & juventutem negligere: Quod cùm non sit verum de omnibus, fiat de facto, non de jure, cum displicentia Magistratus, & piorum hominum: ideò negligentia illa est corripienda & emendanda, ut & emendatur, & liberi meretrici Babylonicæ non offerendi. 3. Quomodo spes hæc de filiis, aliis, apud quos Religionis cognoscant capita, tradendis, indies multos decipiat parentes, quotidiana docet experientia: Nam cum Artium initiis ipsum apud Jesuitas imbibunt venenum, quo inficiuntur.

39. Sed pergimus ad specialiora. Sit igitur quæstio secunda: *An omnes libri Biblici sint Canonici, & ejusdem authoritatis?*

40. Quod inter libros Biblicos nullam Pontificii admittant distinctionem, imprimis si sit quæstio de fidei principio, ejusq; confirmatione, ostendimus ex sess. 4. Decr. 1. Concilii Tridentini. Opponimus assertioni huic pauca, præmittentes. 1. Scripturam dici, divinam, dici & Canonicam. Divina dicitur respectu authoris: Canonica respectu normæ, & finis. 2. Appellationem *Canonis* desumptam esse ex scriptura, & quidem ex *Psal.19.v.15. Rom.10.v.17. Gal.6. Phil.3.v.16.* 3. Scripturam dici canonicam, non

quasi

quasi illa authoritas per alicujus concilii canonem ipsi sit attributa, ut alibi est ostendendum : Sed quod sit certa & infallibilis fidei regula. 4. Canonem alium esse Ecclesiasticæ lectionis, & alium fidei confirmationis : Priori modo legantur omnes libri Biblici: sed posteriori libri specialiter, & exquisitè dicti Canonici. Hi enim sunt regula, secundum quam de omnium scriptis liberè judicatur, ipsos verò libros aliunde judicare, fas non est, Chrysost. Homil. 13. in 1. ad Corinth. idque facile colligitur ex Luc. 24. v. 27. 1. Joh. 1. v. 3.

41. His præmissis distinctionem libri biblici in Canonicos & Apocryphos confirmabimus. Libri igitur biblici sunt V. & N. Instrumenti.

42. Libri V. Instrumenti non omnes sunt Canonici, nec ejusdem authoritatis. Nam. 1. *Omnes libri Canonici V. Instrumenti sunt scripti à Prophetis*, 2. Pet. 1. v. 19. Rom. 16. v. 26. Luc. 1. v. 70. c. 16. v. 39. c. 24. v. 44. *Atqui non omnes libri V. Instrumenti sunt scripti à Prophetis, utpote illi, qui sunt scripti post Malachiam, qui fuit postremus Prophetarum.* Eusebius lib. 3. c. 10. Ab Artaxerxe, inquit, ad nostra usque tempora sunt quidem singula scripta, non tamen ita fide digna, sicut præcedentia, propterea, quod non est habita accurata prophetarum successio. Videatur etiam Josephus lib. 1. contra Appionem Augustinus lib. 17. de civit. Dei c. 24. Toto illo tempore, ait, ex quo redierunt de Babylonia post Malachiam, Aggeum, & Zachariam, qui tunc prophetaverunt, & Esdram: non habuerunt Prophetas usque ad Salvatoris adventum &c. Idque de scriptore Ecclesiastico, & libris Macchabæorum est certissimum. Ecclesiasticus in prologo dicit, se anno 38. temporibus Regis Ptolomæi Evergetis pervenisse in Ægyptum, & tunc cæpisse scribere librum istum. Mortuus autem est Ptolomæus iste circiter annum 219. ante natum Christum. Authorem librorum Maccabæorum non esse Prophetam, patet ex 1. *Macc. 9. v. 27. c. 4. v. 46. c. 14. v. 41.* Ergo.

43. 2 *Qui libri V. T. Prophetico sermone, seu Hebræo non sunt scripti, illi non sunt canonici* : Nam Judæis concredita fuerunt oracula Dei, *Rom. 3. v. 2.* Qui annunciavit verbum suum Jacob, justitias & judicia sua Israel non fecit taliter ulli nationi, *Psal. 147.*

v. 8. 9. *Atqui nonnulli V. T. libri prophetico seu hebræo sermone non sunt scripti*, ut patet vel ex inspectione præfationum Hieronymi libris istis præmissarum. Ergo.

44. 3. *Qui liber V. Instrumenti à Propheta est conscriptus, continet testimonium quoddam de Christo*, ejusque Evangelio, Luc. 24. v. 27. Act. 3. v. 21. 24. c. 10. v. 43. Atqui libri nonnulli V. T. non continent tale vaticinium. Ergo.

45. 4. *Quicunq; libri abhorrent à natura & tenore spiritus prophetici, illi non sunt canonici, h. e. regula fidei. Atqui nonnulli V. Instrumenti libri abhorrent à naturâ, & tenore spiritus prophetici. Ergo.*

46. Nam *nonnulli libri proponunt ea, quæ repugnant libris canonicis*, ut liber Tob. c. 15. v. 18. Judith c. 9. v. 2. Supplementum Esther c. 11. v. 2. c. 12. v. 5. 6. c. 14. v. 10. liber Baruch c. 1. v. 2. lib. 2. Maccab. c. 14. v. 31. 41. *Nonnulli in veritatem historicam vehementer impingunt*, ut liber Tobiæ c. 14. v. 6. Supplementum Esther c. 16. v. 14. lib. 1. Maccab. c. 1. v. 7. lib. 2. Maccab. c. 1. v. 7. *Nonnulli sibi ipsis contradicunt*, ut liber Tobiæ c. 3. v. 7. c. 9. v. 3. lib. 1. Maccab. c. 6. v. 6. 2. Maccab. c. 1. v. 16. 2. Maccab. c. 9. v. 28. Et 1. Maccab. c. 9. v. 3. 2. Maccab. c. 1. v. 10. *Quidam scriptores ob rei difficultatem petũt veniam*, ut Syracides in Prologo. Author libr. 2. Maccab. c. 2. v. 27. & seqq. Affirmari id nequit de istis, qui divinitus inspirati scripserunt.

47. 5. Christus igitur & Apostoli quosdam V. J. libros allegarunt; quosdam allegatione indignos judicarunt. Ergo hoc ipso docuerunt non ejusdem eos esse authoritatis. Passim enim commendarunt libros Mosis, & Prophetarum, ut Matth. 5. v. 17. c. 11. v. 13. Luc. 16. v. 29. c. 24. v. 27. Act. 23. v. 22.

48. 6. Et Ecclesia Hebræorum teste Josepho lib. 1. contrà Apionem quosdam libros Canoni non annumeravit. Unde antiquissimi patres distinctionem inter libros biblicos agnoverunt ut: Eusebius lib. 3. c. 20. Histor. Eccles. Hieronymus in Proleg. Galeat.

49. Quamvis libri N. Test. omnes ad fidei confirmationem, adhibeantur distinctio tamen quædam inter eos est admittenda. Nam in prima & Veteri Ecclesia quidam libri non habuerunt satis firma, & consentientia testimonia, cum non indubitatò constaret, an isti libri ab illis essent conscripti, sub quorum nominibus

nibus sunt editi, ut videre est apud Euseb. lib. 2. c. 23. lib. 3. c. 3. c. 25. cap. 29. Hieronymum in Cathalogo script. Origenem lib. 6. c. 25. Magdeburgenses centur. 2. c. 4. p. 71. Cum igitur quidem ex vetustissimis aliquos ex libris illis adscriberent Apostolis, & quidē eis, quorum nomina sunt præscripta: quidam verò contradicerent: res ista tota, quia non erat indubitatò certa, in dubio est relicta. Ecclesia igitur sequens ex dubiis non potuit facere certa, cum res hæc tota pendeat à firmis & consentientibus primitivæ & veteris Ecclesiæ testificationibus. Conferatur Dn. Chemnitius in exam. Concil. Trident.

50. Quæstio tertia: *An liber Esther sit Canonicus.* Resp. His ita expositis de libris Apocryphis V. Instrum. facile ferri potest judicium de quolibet libro Apocrypho. Quod attinet librum Esther, distinguimus inter duo priora decem capita: & posteriora, septem quæ supplementum appellantur: Illa Canonica gaudent authoritate: hæc non item.

51. Nam. 1. non Hebraica, sed græca sunt scripta lingua. 2. Post ætatem Artaxerxis demum sunt scripta teste Joseph. libr. 1. contra Apionem. Idem ex 11. cap. v. 1. manifestè colligitur. Nam mentio fit Ptolomæi & Cleopatræ, quos ex historiis constat post Artaxerxem vixisse. 3. Unde sunt, qui ea capita cēsent à Josepho, & aliis scriptoribus esse conscripta, & posteà editioni vulgatæ inserta. 4. Multa in his capitibus sunt ἀσύμφωνα. & pugnantia cum scriptura canonica, & historica veritate, ut th. 46. est ostensum. 5. Multi igitur ex patribus docuerunt, capita hæc non esse vera libri membra, sed ab illo resecanda, tanquam adulterina, & aliena, idque fatetur ipse Bellarminus, ut sunt: Origenes, Athanasius Hieronymus. Melito, Nicolaus Lyranus, Sixtus senensis, quorū quidam alioqui Papismo adhæserunt. Falsum igitur est, quod scribit *Bellarminus lib. 1. de verb. Dei c. 7* Omnes patres, exceptis tantum tribus librum hunc in canone habuisse. Et non sequitur, quidam patres librum Esther nominarunt Canonicum. Ergò & ipsum supplementum. Narramus verba Lyrani super hunc librū in finem commentarii: Cætera, inquit, quæ sequuntur, non intendo exponere, quia non in Hebræo sunt, nec de scriptura canonica: Sed videntur à Josepho, & aliis scriptoribus conficta, & postea editioni vulgatæ inserta.

52. At

52. At inquit Bellarminus: Patres citant ex his capitibus testimonia. Ergo ipsis fuerunt canonica.

53. Resp. 1. Citant ea ad ædificationem populi: Non statim ad stabilienda dogmata fidei: Citant ea ad morum conformationem: non ad fidei confirmationem. 2. Et ex libro apocrypho allegari potest testimonium non sub authoritate canonica: Sed uberioris testimonii gratia. 3. Et ipsi Apostoli quædã ex scriptoribus citarunt Ethnicis, sed allegationibus suis eos non fecerunt canonicos.

54. Quæstio quarta: *An liber Baruch* sit Canonicus? Bellarminus lib. 1. c. 8. librum hunc scriptis Canonicis annumerat.

55. Verum opponimus opinioni ejus sequentia 1. liber iste in primitiva Ecclesia semper fuit suspectæ fidei. Unde Pontificius *Iohannes Driedo*, eum non esse canonicum scribit: Inde Bellarminus lib. 1. c. 8. De libro Baruch, inquit, controversia fuit, & est, tum quia non invenitur in Hebræis codicibus, tum etiam quia nec concilia antiqua, neque pontifices, neque Patres, quos supra citavimus, qui catalogum librorum sacrorum texunt, hujus Prophetæ disertis verbis meminerunt. Itaque ex Catholicis Romanis *Iohannes Driedo* hunc librum negat esse catholicum. 2. Teste Hieronymo in præfat. non habetur in hebræo Canone, nec scriptus est hebraicè, sed græcè. In N. Testamento nunquam à Christo fuit citatus, seu commendatus. 4. Continet quædam, quæ libris canonicis repugnant. Nam *c. 1. v. 2.* Baruch dicitur fuisse in Babylonia eo tempore, quo Chaldæi cæperunt Hierosolymam: *At Ier. 43 v. 6.* dicitur de Jeremia quod capta urbe sint ingressi terram Ægypti. Deinde *Baruch. 1. v. 2.* dicitur eo ipso tempore Chaldæos superasse Ierusalem, & incendisse eam igne: At 2. Reg. 25. v. 7. Urbis expugnatio narratur accidisse Anno 11. Sedechię, Mense 4. die 9. Et v. 12. & 13. incensio domus Domini, domus Regis, & urbis dicitur accidisse anno 19. Nabuchdonosoris. Quare inter scripta canonica librum Baruch non habemus.

56. Argumenta, quibus pugnant Pontificii, nullius sunt valoris: Concilium Tridentinum ob plurimas causas apud nos nullam habet authoritatem. Nec sequitur, Baruch fuit scriba Jeremiæ. Ergo liber ejus est canonicus, vel est Ieremiæ.

57. Quæ-

58. Quæstio quinta: *An fragmenta Danielis sint in Canone?* Resp. Fragmenta Danielis sunt, *precatio Assariæ, hymnus trium puerorum in fornace, historia de Susanna, narratio de Belo & Dracone Babylonico, & de Habacuc. Item supplicatio Manassis.* Fragmenta hæc Canoni non sunt annumeranda. 1. Quia Hieronymo teste tempore primitivæ Ecclesiæ nunquam fuerunt in Canone. Hęc inquit ille in præfat. in Danielem: idcircò refero, ut difficultatem Danielis vobis ostenderem, qui apud Hebræos nec Susannæ habet historiam, nec hymnum trium puerorum, nec Belis Draconis fabulas: quas nos, quia in toto orbe dispersæ sunt, veru antepositio, easque jugulante subjecimus, ne videremur apud imperitos magnam partem voluminis detruncasse.

59. Opinatur quidem *Bellarminus pag.* 36. Hieronymum cum dicit fabulas, velle dicere historiàs, quas Judæi fabulas vocant. Addo, inquit interdum veteres nomine fabularum non res fictas, sed veras narrationes appellare.

60. 1. Verùm Hieronymum hæc non ex aliorum, sed ex suo judicio pronunciare, & fabulę nomine fabulosum commentum intellige indicat, cum inquit, se fabulas illas prioribus capitibus ita subjicere, ut tamen antepositio veru jugulentur, h.e. præfixâ censurâ pro adulterinis declarentur.

61. 2. Quia fragmenta illa non hebraicè, sed græcè sunt scripta, ut patet ex allusione vocabulorum in responsione Danielis, ἀπὸ τῦ σχίνυ σχίσει, ἀπὸ τῦ πρίνυ πρίσει: Notatio enim talis dari nequit in lingua hebræa. Imò Spiritus S. hujusmodi nominum novitatem non affectat.

62. 3. Quia continent nonnulla cum scriptura, & historica veritate pugnantia. Nam Daniel in Historia Susannæ v. 45. introducitur ut puer. At Babylonem venit captivus sub Joachin *Dan.* 1. 2. *Reg.* 24. 14 & 18. Exorsus verò est Ezechiel quinto anno transmigrationis suam Prophetiam, *Ezech.* 1. *v.* 2. facitque ibidem mentionem Danielis non pueri, sed viri, qui filios, filiasque habere possit: Si essent, inquit *c.* 14. *v.* 14. tres viri isti in medio ejus Noë, Daniel, & Job, nec filios nec filias liberarēt. Deinde accidit historia tempore Cyri Perfidis, ut patet ex verbis finalib. decimi tertii capitis. At tēpore Cyri nō fuit Daniel puer, quia trāslatus est

à Nabuchodonosore cum Rege Jechonia ex Jerusalem in Babylonem Dan. 1. v. 6. Ab hoc vero tempore usque ad Cyrum fluxerunt anni 70. 1. Esd. 3. Non potuit igitur tunc temporis Daniel esse puer. Accedit, quod fragmentis illis de Dracone Babyl. v. 30. dicatur Daniel fuisse in lacu leonum sex dies : At Daniel. 6. v. 18. 19. docetur, quod in eo per unam tantum fuerit noctem.

63. Quæstio sexta: *An liber Tobiæ sit Canonicus?* Resp. librum Tobiæ non esse unum ex scriptis Canonicis, iisdem ferè probamus fundamentis, quibus in præcedentibus sumus usi. Addimus nonnulla à re ipsa tractata desumpta, *quia non constat sibi Tobias in vaticinio de domo Domini jam tum cum adhuc viveret Tobias incensa*, quando dicit capite ultimo, in propinquo esse, ut Israëlitę dispersi revertantur in terram, & domus Dei, quæ incensa erat, reædificetur. At domus Domini tunc nondum erat incensa: Nam primò Tobias senior cap. 1. à Salmanassare Rege Assyriorum fuit abductus ex terrâ Israël. Secundò scribitur de eo, quod licet cæteris fuerit junior, nihil tamen puerile gesserit in opere. Tertiò, vixisse scribitur annos 102. Tob. 4. Quartò, eversio templi anno 133. post 10. tribuum in Assyrium abductionem. Ergò licet Tobias senior in prima infantia fuisset abductus non tamen attigisset tempus eversi templi.

64. 2. *Quia manifestam continet ἀνλλογίαν*: Nam Sara Raguelis filia, & Gabel in Rages Medorum dicuntur habitasse: Et tamen nihilominus Angelus ex eo loco, ubi habitabat Sara, scribitur ablegatus in Rages ad Gabelum ad efflagitandam pecuniam Tobiæ seniori debitam *c. 9. v. 1. 2. 3.*

65. Opinatur quidem *Michael Medina lib. 6. de rectâ fide c. 14.* vitium esse typographicum, & legi in Rages cum legi debeat in Ecbatana: verum respondet ipse *Bellarminus p. 43.* vix credibile esse, talem errorē contingere potuisse, cum nulla sit inter Rages, & Ecbatana similitudo. *Lyranus* censet duas fuisse Rages in Media. Resp. Repugnat Topographia, quæ unam tantū agnoscit. *Bellarminus lib. 1. c. 11.* Vocatur, inquit Rages non ipsa civitas, sed locus aliquis vicinus: Dicitur enim habitare Romæ, qui Tusculi vel alibi in agro Romano habitat Resp. 1. Si locus fuisset vicinus, quid opus tanto fuisset apparatu? 2. Refutat eandem opinionem periphrasis, cum dicitur in Rages Medorum *c. 9. v. 2.* 66. 3.

66. 3. *Quia liber iste mendacium tribuit Angelo.* Non igitur est in Canone. Nam *cap.* 5. *v.* 19. fingitur Angelus dixisse, se esse Azaniam, filium Ananiæ. Deinde *c.* 12. *v.* 15. introducitur Angelus dicens se esse Raphaëlem, unum ex septem, qui astant ante Dominum: At *Daniel* 7. *v.* 10. dicuntur decies millies centena millia coram Domino stare. Denique *c.* 6. *v.* 9. introducitur dare medicamentum omne genus dæmoniorum fugans.

67. 4. *Quia inter editionem græcam & latinam maxima reperiuntur pugnantia:* Nam primò latina *cap.* 14. *v.* 4. narrat Tobiam lumen oculorum amisisse anno ætatis 56. At græca c. 14. anno 58. Deinde latina *c.* 14. *v.* 4. annos quatuor cæcum fuisse Tobiam refert: At græca *c.* 14. octo numerat annos. Tertiò, latina *c.* 14. *v.* 6. septem numerat Tobiæ filios: At græca *c.* 14. sex tantum agnoscit. Quartò latina *cap.* 14. *v.* 2. seniorem Tobiam ait annos centum & duos: At græca c. 14. obiisse Tobiam ait, cum esset annorum centum quinquaginta octo. Quintò, latina *c.* 14. *v.* 13. juniorem Tobiam completis annis nonaginta novem mortuum, & sepultum esse refert: At græca *c.* 14. obiisse ipsum, inquit, annorum centum viginti septem. Denique latina *c.* 1. *v.* 24. Sennacheribum interfectum esse post dies 45. testatur: At græca post dies quinquaginta quinque.

68. Quare pii patres librum Tobiæ non in totum contempserunt, cum sua non careat utilitate: At canonicum eum esse negarunt, ut: Athanasius, Hieronymus & alii. His addimus Cajetanum Cardinalem in fine Comment. in histor. V. Testamenti, Glossa decreti Gratiani dist. 16. c. 1. Hugonem Cardinalem in Prologo Josuæ, cujus hi sunt versiculi:

Restant Apocryphi, Ihesus, Sapientia, Pastor.
Et Macchabæorum libri, Iudith, atq; Tobias
Hi quod sunt dubii sub Canone non numerantur.

69. Quæstio septima: *Num liber Iudith sit Canonicus?* Resp. sunt authores non contemnendi, qui librum Judith non historiam, sed Tragædiam esse statuunt ab aliquo pio, & ingenioso homine propositam, ut moneret, Ecclesiam Dei mirabiliter cõtra Tyrannorum furores defendi, & servari, idque, inquiunt, significari nominibus personarum, & locorum. Nam Bethulia

significat, dolētem domum Dei, vel virginem Dei, h.e. Ecclesiam quæ tanquam casta virgo Deo est desponsata, Juditha habet nomen à confessione, ut indicetur pios ob confessionem nominis divini esse obnoxios persecutionibus. Utut sit, non esse scriptum Canonicum ostendimus his fundamentis. 1. Quia quod Simeon & Levi ob stupratam Dinam sororem olim occiderunt Sichemitas, quorum maxima pars fuit innocens, præsertim miseri infantes, quodque hoc latrocinium exercuerunt contra datam fidem: Id S. Patriarcha, ut abominandum scelus reprehendit Gen. 49. At Judith hoc factum in sua precatione approbat, & ad authorem Deum refert, *c.9.v.2.*

70. 2. Quia Bethuliæ, quæ hic obsessa dicitur, nulla fit mentio vel in V. vel in N. Testam. ne quidem in distributione terræ per Canaan factæ. 3. Quia tota historia nullis temporibus potest accommodari, qua de re videatur *Bellarminus lib.1. c.12.* qui principales, inquit sententias esse duas, quarum unam, historiam Judith, contigisse inquit post Babylonicam captivitatem: Alterā ante eam, de utraque conjectura variæ speciales sunt opiniones, quæ l.d. à Bellarmino refutantur. Opinatur verò ipse, bellum hoc gestum esse anno 16. tempore gubernationis Manassis Regis Judæ.

71. Resp. Labitur *Bellarminus* gravissimè: Nam 2. *Paral.33. v.6.* De Manasse dicitur, quod filios suos transire fecerit per ignē: At si abductus fuit in Babylonem sedecim annorum puer, quomodo ante captivitatem hanc filios habere potuit?

72. 4. Quia *c.4.v.10.* dicitur Eliachim Sacerdos Domini circumivisse omnem Israël: At decem tribus abductæ erant in captivitatem. Quomodo igitur Sacerdos ille omnem circumire potuit Israël? 5. Quia *Iudith 16.v.30.* dicitur, in omni vita Judith non fuit, qui perturbaret Israël. At sub Manasse de Israëlitis decem tribus erant in servitute. Ergo erat Israël turbatus. 6. Quia inter editionem latinam & græcam dissensio est non exigua: Nam latina *cap. 2. vers.* 1. dicit anno 13. Nabuchdonosor Regis, vicesima & secunda die mensis primi factum est verbum in domo Nabuchdonosor Regis Assyriorum, ut defenderet se: At in græca dicitur, anno octavo & decimo &c. latina *cap.7.vers.11.* habet,

cum-

cumque custodia per dies viginti fuisset expleta : At græca dies habet triginta quatuor. Quamvis igitur liber Judith non profanis, sed libris biblicis, & sacris annumeretur & in Ecclesia prælegatur, non tamen est Canonicus, cum non sit in canone Hebræo, cum impingat in veritatem , cumque ejus authoritas ad roboranda ea, quæ in contentionem veniunt, minus sit idonea, ut dicitur in præfat.

73. Quæstio octava: *An liber sapientiæ sit Canonicus*: Resp. Quamvis protestantes apertè doceant , librum sapientiæ inter omnes libros Apocryphos V. Testam. meritò palmam obtinere: Negant tamen canonicis scriptis eum esse adscribendum. 1. quia in Hebræo Canone non comprehenditur , idque ipsi fatentur Pontificii. 2. Quia non hebraicè, sed græcè est scriptus. Salomon v. non nisi hebraicè scripsit. 3. Quia negari non potest de authore semper disputatum, & dubitatum fuisse. Si verò certò constaret, scriptum hunc esse librum à Salomone, decisa jam esset quæstio, dicit *Hunnius in exam. lib. 1. c. 13.* & non minor esset illius , quàm proverbiorum authoritas.

74. Excipit *Bellarminus lib. 1. c. 13.* Salomonem introduci loquentè *c. 7. v. 5. & c. 9. v. 7.* Proinde librum hunc esse Salomonis.

75. Respondet verò pro nobis Johannes Driedo *lib. 1. c. 4.* Morem esse in scriptura, ut is, qui loquitur in alterius persona loquatur. Figura igitur est Rhetorica, quam Prosopopæian nominamus. *Augustinus lib. 17. de civit. Dei c. 20.* Alii duo, inquit, quorum unus Sapientia, alter Ecclesiasticus dicitur, propter eloquii nonnullam similitudinem, ut Salomonis dicantur, obtinuit consuetudo. Non autem esse ipsius non dubitant doctores , eos tamen in autoritatem maximè occidentalis antiquitas recepit Ecclesia.

76. 4. Quia docti plerique, ut & ipse Hieronymus in præfat. censent Philonem quendam authorem esse hujus libelli, qui vixit post Christum tempore Caligulæ , apud quem pro Judæis legatione est functus, nec legitur , Christianam religionem amplexus. Ergo nequivit ipse scribere librum Canonicum V. Testamenti.

77. *Bellarminus lib. 1. c. 13.* non fuit, inquit, Philo ille, qui vixit post natum Christum, sed alius antiquior, qui verbis græcis

Salomonis sententias complexus est. Resp. 1. Quod dicit Bellarminus non probat. 2. Meminit quidem Josephus lib. 1. contra Appionem alterius Philonis, sed & ille gentilis & Philosophus fuit. Non igitur canonicum scribere potuit scriptum V. Testamenti. 3. Rejicitur opinio illa à Sixto Senensi lib. 8. hæres. 9. 4. L. Vives in commentariis lib. 17. c. 20. Augustin. de civit. Dei dicit: Hic liber creditur Philonis Judæi Alexandrini, qui vixit temporibus Apostolorum, quibus & amicus fuit.

78. Instat *Bellarminus lib. 1. c.* 13. Melito inquiens, apud Euseb. lib. 4. c. 26. librum Sapientiæ canonicis annumerat scriptis. Ergo. Resp. constat ex antiquitate, quæ ad Melitonem istum provocat, ipsum sub libro sapientiæ intellexisse proverbia Salomonis, quæ codice hebræo continentur, idque manifestè colligitur ex *Nicephoro lib. 4. c. 10.* ubi verba Nicephori referuntur, quæ hæc sunt: *Quinq; sunt Mosis libri* (subintellige Canonici) *Iesus Nave, Iudicum, Ruth, Regum quatuor, Paralipomenon duo, Psalmorum Davidis liber Salomonis proverbia, sive Sapientia*, Ecclesiastes &c. Nec alia est sententia *Eusebii lib. 4. c. 26.*

79. Sed & alii provocant ad Apostolum Paulum, qui *Rom. 11. v. 34.* Quis novit, inquit, sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit: Quæ verba sunt sumpta ex cap. 9. Sap. ubi sic legitur: Quis hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus?

80. Resp. 1. Apostolus non talibus utitur vocabulis, seu modo loquendi, quo judicet sese aliunde testimonium hoc sumpsisse. 2. Posito Apostolũ testimonium hoc aliunde allegasse, respondemus, quod verba ea legantur *Esa. 40. v. 13.* Quis erudivit spiritum Domini? aut quis cõsiliarius ejus fuit, aut instruxit eum?

81. Quæstio nona: *An liber Ecclesiasticus sit Canonicus?* Resp. Canonicũ non esse probamus 1. *à lingua*: Scriptus enim nõ est lingua hebraica, sed græca, Syracidis avum, patremq; nonnulla collectanea hebraicè collegisse patet ex Prologo: sed transtulit illa in linguam græcam filius. 2. *ab interpretis assertione*: Hic enim in Prologo testatur hebræa, cujusmodi nonnulla avus scripserat, non posse commodè in linguam græcam verti. Ergo hoc ipso indicat, se nec Prophetam esse, nec spiritu Prophetico præditum: Nam author Ca-

Canonici scripti est spiritus S. 2. Petr. 1. A qua est alienum, posse deficere. 3. *A veniæ petitione*: Author enim hujus scripti petit veniã in Prologo. Non congruit verò id Spiritui S. in scripturis Canonicis nobiscum loquenti, quia mutari, & fallere nequit, *Mal.3. Tit.1. Hebr.6.*

82. 4. *A manifestis erroribus*: Erroneum enim planè est primò, quod *c.46.v.22.* scribitur de Samuele, nimirum quod post obitum suum sit vaticinatus. Sanctorum enim animæ sunt in manu Dei *Sap.3.v.1.* Ergo nequit Diabolus per Pythonicas mulieres istas sistere. Ne dixeris, *permittente Deo id factum esse*: Siquidē Deus noluit Sauli respondere vel per Prophetas, vel per Sacerdotes, vel per somnia. Et Deus prohibuit scitari veritatē ex mortuis, *Deut.18.v.11. Esa.8.v.19.20.* Deinde prædixit Dominus per *Malachiam c.4.v.8.* Velle se mittere Prophetam Eliam, ut convertat cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres eorum. Vaticinium hoc ad impletum iri in persona Thesbitæ Eliæ, qui olim curru igneo in cœlum est raptus putarunt Judæi. Idem opinatur hic author *c.48.* Errorem hunc refutat Christus, *Matth.17.v.10.* Et vaticinium hoc in Johanne Baptista complendum fuisse declarat.

83. Quæstio decima: *Num libri Macchabæorum sint Canonici?* Resp. 1. Non sunt in Hebræo Canone, sed describunt res post 200. annos à morte Esdræ gestas. 2. Hieronymus in Catal. virorũ Illustrium Josephum horum librorum authorem esse dicit. Ergo non sunt Canonici. 3. A Gregorio Magno Pontifice Romano lib.19.c.16. Moral. Apocryphi vocantur. 4. Continent superstitiosa: Nam 2. *Macc.12.v.43.* Laudatur superstitiosum factum Judæ Macchabæi jubentis sacrificia offerri pro mortuis. 5. Pro illis hominibus oblatum est hoc sacrificium, qui sese idololatria, & sacrilegio obstrinxerant, & in illo scelere perierant, ut legitur *lib.2.c.12.v.40.* 6. Author furiosum illud factum Raziæ laudat *lib.2.c.14.v.4.* 7. Multa in libris his sunt pugnantia, Et historica sphalmata, ut patet ex inspectione librorum. *Primò 2. Macc.c.1.v.19. Secundò lib.1.Mac.c.1.v.7. Cujus contrarium legitur Daniel.11.v.4. Tertiò lib.1.Mac.6.v.8.16. contrarium ejus legitur lib.2.Mac.c.1.v.16.c.9.v.28. Quartò lib.1.Mac.c.8.v.16. Quintò lib.1.Mac.c.3.v.3. cui repugnat locus lib.2.Mac.c.1.v.10. Sextò 2.Mac.2.v.13.* 8. Author in fine libri

bri veniam petit à lectoribus, quod à Spiritu S. est alienum. 9. Laborem, ait, hujus Epitomæ conficiendæ sibi fuisse molestum *lib. 2. cap. 2.* Humano igitur spiritu liber hic est scriptus.

84. Quæstio undecima: *Quid de libris Apocryphis, quos vocant, N. Instrumenti censendum?* Resp. 1. Libri Apocryphi N. Instrumenti dicuntur, quod de scriptoribus ipsorum fuerit dubitatum. Itaque leguntur nō tantum ad ædificationē populi, sed etiam ad confirmationem fidei, & ad fidei dogmata probanda adhibentur. Itaque dicuntur Apocryphi non simpliciter & absolutè, sed limitatè. Itaque communis librorum Apocryphorum descriptio sobrio sensu & particulariter ipsis competit. 2. Distinctio inter libellos hos admittitur: Præfertur. n. Epistola ad Hebræos, secunda D. Petri, secunda & tertia Johānis, Epistolis Jacobi & Judæ. Licet enim de scriptoribus illarum Epistolarum in primitiva Ecclesia fuerit dubitatum. Plura tamen non tantum habuerunt suffragia, quàm V. Instrumenti scripta Apocrypha, sed etiam quàm Epistolæ Jacobi & Judæ, conferatur centuria Magdeburg. 2. c. 4. p. 71.

85. *De Apocalypsi Iohannis* testimonia quidem non omnia concordant: Sed plerique qui ultra annum 60. post obitum Johannis vitam nō protraxisse narrantur, Johanni adscribunt, ut Melito Episcopus Sardensis apud Euseb. lib. 4. c. 23. Theophilus Antiochenus apud eundem lib. 4. c. 27. Justinus Martyr in dialogo eū Tryphone. & apud Euseb. lib. 4. c. 18. His addunt nonnulli eruditi viri. 1. Libri inscriptionē. 2. Loci circumstantiam, ut q sit editus in Pathmo, & ad Asiaticos Episcopos scriptus. 3. Cognomen: Author enim Apocalypseos dicitur Theologus, quo nomine solum, ajunt, appellatum fuisse Johannem, eò quòd de divinitate Christi ex professo scripserit, & propterea Aquilæ sit assimilatus. 4. Sicut præ omnibus Evangelistis & Apostolis Johannes filium nominat λόγου Joh. 1. 1. Joh. 1. Ita & Apoc. 19.

Et ex his colligunt, Johannem Evangelistam esse authorem. Sed de his in collatione.

Finis Disputationis Secundæ.

DE PAPISMO

DISPVTATIO III.

Et quidem in ſpecie

DE

AVTHORITATE LIBRORVM CANONICORVM, EDITIONE authentica, & in vernaculam linguam translationibus.

IN QUA

Chriſto Duce, & Auſpice Chriſto

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS GISENII,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS,

ET ORDINARII IN INCLYta Academiâ Gieſſenâ

Profeſſoris.

RESPONDEBIT

LIBORIUS HOYSENIUS BORSTELICO-Neoburgicus.

In Auditorio Theologico ad Diem 12. Novemb. horis antemeridianis, & pomeridianis.

GIESSÆ,

Ex Typographéo Caſparis Chemlini.

Anno M. DCXVII.

DISPUTATIO TERTIA
DE AUTHORITATE LIBRORUM CANONICORUM, EDITIONE authenticâ, & in vernaculam linguam translationibus.

THESIS I.

DISTINCTIONEM librorum sacrorum ostendimus, de quorundam disputari authore secundario, seu scriptore, de quorundam, authoritate simul, exposuimus. Unde ejus sit & dependeat authoritas jam placidè indagabimus.

2. Docent igitur *Protestantes*, quod Scriptura tam respectu sui, quàm respectu nostri suam habeat authoritatem, non ab Ecclesia; sed à suo authore Deo: Est enim Divinitus inspirata. Et *Spiritus S.* in Scriptura, & per Scripturam nobiscum loquitur, 2. *Tim.* 3. *v.* 16. 1. *Pet.* 1. *v.* 21. Hæc igitur ex ipsâ petenda est Scriptura, *Ioh.* 5. *vers.* 34. 39. 1. *Ioh.* 5. *vers.* 6. 1. *Thess.* 2. *v.* 13.

3. Editio authentica in V. Testamento est editio Hebræa; Nam populo Judaico commissa sunt oracula Dei, *Rom.* 3. Ut igitur ab ipso intelligerentur, hebraicè sunt scripta. In N. Test. editio Græca; Deus enim voluit in lingua communissima N. T. extare. Græca verè legebantur tunc temporis in omnibus ferè gentibus teste Cicerone pro Archia, idque propter imperium Græcorum, quod Romanorum proximè antecesserat.

4. Quamvis editiones illæ sint authenticæ, nihil tamen obstat, quò minus Scriptura Sacra transferatur in linguam cuilibet populo vernaculam, ut ab omnibus Christianis tam indoctis, quam doctis legi possit.

5. Pontificii in definienda controversia de Scripturarum authoritate, non satis sunt aperti, nec satis sibi constant. Nam 1. Patres Tridentini Concilii nihil quicquam de hac quæstione definivere. 2. Bellarminus libris quatuor de Scriptura sacra disputans hanc controversiam intactam relinquit. 3. Qui ex Pontificiis hanc sibi quæstionem tractandam sumpserunt, non unam, eandemque tenent sententiam.

6. Papista quidam nomine *Hermannus* affirmabat, Scripturas tantum valere, quantum valent Æsopi fabulæ, nisi accedat Ecclesiæ testimonium. Quod cum à *Brentio* in Confessione Wirtenbergica objectum esset, defendebatur ab *Hosio* libr. 3. de authoritate Scripturæ, ut piè dictum. *Pighius libr. 1. de Hierar. Eccles. cap. 2.* disputat contra Scripturarios (sic vocat Lutheranos) Scripturæ authoritatem non posse defendi sine traditione Ecclesiæ: Omnis, inquit, quæ nunc apud nos est Scripturarum authoritas, ab Ecclesiæ authoritate dependet necessariò. Recentiores verò Pontificii distinguunt inter authoritatem Scripturæ secundum se, & respectu nostri: Authoritas, inquiunt, Scripturæ respectu nostri, & quoad explicationem dependet ab Ecclesia, videatur *Bellarminus lib. 2. de Conciliis c. 12. Canisius in Catechismo c. 3. sect. 16. Canus in L. Com. lib. 2. c. 8.*

7. Status igitur est controversiæ, *num authoritas Scripturæ respectu nostri dependeat ab Ecclesia?* Affirmant Pontificii; Negant protestantes. Hinc aliæ moventur quæstiones, de quibus ordine. *Costerus in Enchir. pag. 44.* Scriptura sacra, inquit, respectu nostri, & respectu certæ explicationis est litera mortua scripta atramento in membrana. *pag. 43.* Christus Ecclesiam suam, ait, à chartaceis noluit pendere scriptis, nec membranis mysteria sua committere voluit (quod Moses olim magna ex parte fecerat carnali populo) sed cum spiritualem constitueret Ecclesiam suo Spiritu informatam usus est sublimiori charactere scribens digito Dei in corde Ecclesiæ. *Ibidem*: Scriptura chartæ inscripta non est data, ut esset canon, aut regula fidei, neque etiam digito Dei est exarata, neque quicquam divinitatis in se habet, quod nos ad credendum illi constringere possit.

8. Sit igitur quæstio prima: *Num scripturæ authoritas respectu* nostri

nostri dependeat ab Ecclesia ? Resp. Aliud est quærere de authoritate scripturæ & aliud de authoritatis scripturæ agnitione: Aliud est asserere scripturæ aliquid conferri ab homine, & aliud homini conferri aliquid ab homine: aliud est scripturæ authoritatem esse ab Ecclesia tanquam ab efficiente, & aliud Ecclesiam de scriptura tanquam de subjecto ferre testimonium: Ecclesia de scriptura testimonium quidem perhibet, atque scriptura extrinsecus agnoscitur quidem ex testimonio Ecclesiæ, sed Ecclesia nullam authoritatem scripturæ propriè confert. Scriptura igitur neque respectu sui, neque respectu nostri, seu quoad nos, neque à priori, neque à posteriori, neque immediatè, neque mediatè ullam mutuatur authoritatem ab Ecclesia, sed eam habet ab authore suo Deo divinam. Evincimus id scripturæ dictis, rationibus, patrum testimoniis, & declaramus similibus, præmittentes nomine scripturæ sacræ authoritatis intelligi dignitatem, majestatem, & reverentiam, quæ ipsi unicè debetur.

9. Testimonium scripturæ primum legitur *Iohan. 5. v. 34. Ego ita propria authoritate excello, ut nullius prorsus hominis testimonio indigeam. Vt se igitur habet Christi authoritas respectu nostri, ita se habet etiam scriptura canonica.* Est enim scriptura canonica vox ipsius Christi, & Spiritum S. in scriptura nobiscum loquentem misit Christus à Patre. Scriptura igitur canonica est Ecclesiæ fundamentum instrumentale, sicut Christus principale. *Atqui Christus etiam respectu nostri habet authoritatem ex seipso, & non ex cujusquam vel hominis, vel Ecclesiæ, vel concilii judicio. Ergo & scriptura.*

10. Secundum legitur *1. Ioh. 5. v. 6.* Spiritus est, qui testatur spiritum esse veritatem. Dicitur spiritus in scriptura nobiscum loquens non modò verax, quod in teste omninò requiritur, sed etiam veritas ipsa. Contra hunc igitur testem per doctrinam propheticam, & apostolicam in nobis testantem nulla ratione excipere possumus. Tertium legitur, *1. Thess. 2. v. 13.* Gratias agimus Deo indesinenter, quod acceptum de Deo sermonem, quem audivistis ex nobis exceperitis, non ut sermonem hominum, sed ut Dei sermonẽ Sic igitur indè colligimus, Thessalonicenses audito tantum Apostolo Paulo Scripturam acceperunt, ut divinam, cum ipsis nullius Ecclesiæ judicium innotuisset. Scriptura igitur authoritatem apud nos etiam sine Ecclesiæ testimonio obtineat. 11. Addi-

11. Addimus rationes, seu legitimas consequentias. 1. Nullum merè divinum authoritatem, & dignitatem accipit ab hominibus, tanquam se longè inferioribus: Effectus enim nullus sua causa est præstantior. Atqui scriptura sacra est res merè divina, & continet res merè divinas: Unde Apostolus Petrus explicationem ejus esse ait non humanæ voluntatis, 2. *Epistol.* 1. *v.* 20. Ergo. 2. Effectum quodlibet præstantiam, dignitatem, & authoritatem suam habet à causa. Atqui non Ecclesia, sed Deus est author scripturæ. Ergo.

12. 3. Scriptura tantæ est authoritatis, ut quirilli non credit, nec fidem ipsi Christo coram prædicanti sit adhibiturus. Multò igitur minus authoritatem suam divinam habet ab hominibus. Antecedens legitur *Ioh. 5. v.* 46. 47. Si crederetis Mosi, crederetis mihi. Nam ille de me scripsit. Quod si scriptis illius non creditis, quomodo verbis meis credetis. Quare qui scripturæ authoritatem non admittit, ille & Christi coram concionantis authoritatem respuit. 4. Divinitas, Majestas, & authoritas scripturæ sacræ est interna. Ergo non dependet, à testimonio Ecclesiæ, quippe quod est non ἐνπεχνον, sed ἄπεχνον, non internum, sed externum, non insitum, sed assumptum.

13. Hisce non impertinenter adduntur rationes. 1. *à causa efficiente* scripturæ & Ecclesiæ, quæ non est ratio speculans, sed Spiritus Sanctus in scriptura loquens. 2. *à fine*, qui est spiritualis restitutio, & ad vitam æternam informatio. 3. Ab effectis: Rerum enim divinarum cognitione nos perficit, ad Deum convertit, & æternam beatitudinem præstat, *Psalm.* 19. 4. à subjecta materia. Agit enim scriptura de rebus divinis, de mysteriis, & de iis, quæ transcendunt captum humanum. Authoritas igitur ipsi nulla conciliari potest ab homine, quâ homo est. 5. Ab adjuncta perfectione: Est enim ita perfecta ut nec additionem, nec detractionem patiatur.

14. Scribit igitur *Augustinus de Gen. ad literam*: Major est scripturæ authoritas, quàm omnis humani ingenii capacitas comprehendere potest. *Iustinus Martyr in paræneſi. 1. ad Græcos.* Quod etiamnum, inquit, apud Judæos pietatis nostræ libri asservantur, divinæ id de nobis opus est providentiæ. Ne ex Ecclesia

sia eos proferentes, occasionem quasi suppositi à nobis, aut corrupti sint, maledictis nos incessere volentibus præbeamus, ex illorum synagoga producimus: Ut ex ipsis huc usque apud eos conservatis libris, ad nos nostramque doctrinam à sanctis viris edita jura liquidè & manifestè pertinere appareat.

15. Illustramus rem totam similibus ut: Aurifaber testatur de gemma, de auro, de argento, & similibus, sed sua testificatione auro nullam authoritatem conciliat, nec aurum facit, neque nobilius illud reddit, sed in cognitionem ejus deducit. Sic testatur Mathematicus de Ecclipsi, & Planetarum oppositionibus: Medicus de morbo & similibus. Quare testimonium Ecclesiæ de scripturæ authoritate non respuimus. Quinimò officium ejus multiplex admittimus, & commendamus. Fungitur enim Ecclesia officio custodis, testis, interpretis, præconis, & vindicis. Unde 1. *Tim.* 3. *v.* 15. Ecclesia dicitur columna, & stabilimentum veritatis, non respectu causæ procreantis, quasi ex proprio arbitrio veritatem definiat, ac sanciat: Sed respectu multiplicis, quo fungitur, officii, utpote ratione conservationis, promulgationis, defensionis, atque ad posteros transmissionis.

16. At provocant Pontificii ad communem praxin. Nam infidelis ab Ecclesia adducitur, ut credat hanc scripturam esse sacram, & divinam. Authoritas igitur scripturæ respectu nostri dependet ab Ecclesia.

17. Respondemus distinguendo inter Christianum, qui est in Ecclesia, & paganum, qui est extra Ecclesiam: Ille scripturam agnoscit pro verbo Dei. Ad hanc igitur tanquam ad infallibilem fidei normam in cõtroversiis decidendis debet confugere, 2. *Pet.* 1. *v.* 19. Paganus verò ex voce, & interpretatione Ecclesiæ aliquatenus addiscere potest, quænam sit scriptura divina. Ad Christianismum enim est convertendus quibusdam etiam remotis mediis, utpote quod ex libro naturæ constet, esse Deum, eumque colendum. 2. quod Ethnici veram cultus rationem ignorarint. 3. Quod ipsam cultus rationem Deus patefecerit hominibus, & patefactionis summam consignandam curarit in libro, quem scripturam sacram nuncupamus. His adduntur rectè ipsorum etiam hostium veritatis testimonia.

18. Quæ-

18. Quæstio secunda: *Vtrum Apostoli scripserint tantum incidenter: An verò ex proposito, & Dei mandato?* Pontificii scriptitant, falsum esse, quod Deus Apostolis mandarit, ut scriberent, sed eos scripsisse pro nacta occasione, & propter incidentem casum: Proinde in scripturis non contineri expresse totam doctrinam necessariam sive de fide, sive de moribus, videatur *Pighius de Ecclesiast. Hierarch. lib. 1. c. 3. Bellarminus lib. 4. de verbo Dei non scripto cap. 3. 4. Costerus p. 43. Enchir.*

19. Verùm aliud est occasio, & aliud occasionis oblatæ ultimus finis & scopus: sumpserunt quidem Apostoli sæpè occasionem scribendi ab incidente casu, & tum proximus ipsorum fuit finis, ut occurrerent incidenti casui; At ultimus fuit finis, ut extaret certa fidei regula, idque vel inscriptio epistolæ prioris ad Corinthios docet, quippe quæ non solis Corinthiis, sed omnibus, qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi in omni loco est inscripta.

20. Confirmamus sententiam ipsam. 1. *A prima verbi scripti origine, occasione, & consilio, seu fine:* Origo scripturæ sacræ est divina, occasio Deum movens est malitia hominum sermonibus, & moribus suis Ecclesiam turbantium, consilium seu finis est, ut hominum malitiæ occurratur, doctrina sacra purè servetur, & certa extet fidei regula. Scripserunt igitur Prophetæ, & Apostoli Deo volente, & mandante. Antecedentis declaratio, & ratio hæc est: Patefecit se Deus Adamo, ipsique longævam concessit vitam, ut puritatem doctrinæ testimonio suo conservaret. Cum autem Cain cũ suo cœtu, Filii Dei, & alii à puritate verbi Dei discederent, subinde Deus per novas, & peculiares revelationes puritatem verbi sui instauravit, confirmavit, & conservavit, uti factum est tempore Noë, Abrahami, Isaaci, & Jacobi. Ne autem ad instaurandam doctrinam sacram nobis semper opus esset revelationibus, Mosi & Prophetis mandavit, ut doctrinam verbi sui scripto comprehenderent, *Exod. 17. v. 14. c. 34. v. 27. Ier. 30. v. 2. Ezech. 43. v. 11.* Ipse verò Jehova initium scribendi fecit. Scriptura igitur sacra est dogmatum, & controversiarum decidendarum norma, ut arguunt exempla, 2. *Par.* 17. & 31. Quare ad legem & ad testimonium, *Esa.* 8. *vers.* 20.

21. Ea-

21. Eadem est conditio scripturæ N. T. idque colligitur ex Apostolico Concilio. *Act.* 15. Nam *v.* 24. dicitur, quia quidem ex nobis exeuntes turbaverunt vos verbis. *v.* 28. Visum igitur est Spiritui S. & nobis. Judas igitur, & Silas mittuntur, non ut vivâ tantum voce annuncient, sed scriptum ipsis exhibetur, ex quo Ecclesiam informent. Scripserunt igitur & Apostoli Spiritu S. approbante. Itaq; omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, 2. *Tim.* 3. *v.* 16.

22. 2. *A generali mandato*: Mandat n. Christus *Matt.* 28. Ut Apostoli omnes doceant gentes. Ergo consequenter, & implicitè mandat, ut doctrinam salvificam scriptis comprehendant: Nam hodie non aliter nos docent ad finem usque mundi, quàm suis scriptis.

23. 3. *A mandato explicito*: Expressè enim Evangelistæ Johanni mandatur ut scribat, *Apoc.* 1. *v.* 11. Scribe, quæ vidisti *c.* 14. *v.* 13. Audivi vocem dicentem scribe. 4. *A modo testificationis apostolicæ*: Apostoli mandatum habuerunt, ut scribendo testarētur, *Act.* 1. *v.* 8. Eritis mihi testes. *Ioh.* 21. *v.* 24. Hic est discipulus ille, qui testatur de his, & hæc scripsit. *Apoc.* 1. *v.* 2. 3. Johannes testificatus est: Beatus est, qui legit, & audit verba Prophetiæ, & servat ea, quæ in eâ scripta sunt. Ergo & mandatum habuerunt, ut scriberent. 5. *A scripturæ commendatione*: Et Christus scripturam commendat, *Ioh.* 5. *v.* 39. Et Apostolus 1. *Tim.* 4. *v.* 13. Ergo non contra mandatum divinum & Apostolicum propositum nobis est præscripta.

24. 6. *A salutis medio*: Est enim scriptura sacra salutis mediū, *Ioh.* 20. *v.* 31. *Luc.* 1. *v.* 3. *Psal.* 3. *v.* 1. 1. *Ioh.* 1. *v.* 4. 1 *Ioh.* 2. *v.* 12. Ergo non ex incidenti casu, non præter nec contra mandatum divinum, & propositum apostolicum est proposita. His rectè adduntur fundamenta à necessitate, & variis utilitatibus petita: Facilimè enim verbum Dei corrumperetur, si literis non esset consignatum.

25. At, *inquis*, si Apostoli scribendi habuissent mandatum primo statim anno scripsissent. Resp. Causa, quod Apostoli non primo statim anno scripserint, & omnia consignarint, non est, quasi scribendi mandatum non habuerint, & quasi omnia scribere noluerint: Sed ut doctrinam divinam prius signis & miraculis contra calumnias Judæorum, & gentium confirmarent.

26. Quæstio tertia: *Num verbum Dei prædicatum differat à*

verbo Dei scripto essentialiter ? Resp. Differentiam inter verbum Dei prædicatum & scriptum admittimus, verùm non essentialem, sed accidentalem: Nam verbo Dei accidit prædicari & scribi. Prædicatione igitur & scriptione non mutatur ipsa verbi Dei essentia: Accidens enim non mutat rei essentiam, cum primis quando rei subjectæ non contrariatur. 2. Quæ conveniunt efficiente, subjecta materia, & fine, illa non differunt essentialiter. Atqui verbum Dei prædicatum, & scriptum conveniunt efficiente, nempe authore Deo: Unde etiam scriptura sacra dicitur θεόπνευστος, 2. *Tim.* 3. *v.* 16. Conveniunt subjecta materia: Apostoli enim eadem, quæ docuerunt, scripserunt, 2. *Cor.* 1. *v.* 13. Non alia scribimus vobis, quàm quæ legistis & cognovistis. *c.* 10. *v.* 11. Quales sumus verbo per epistolas, absentes, & præsentes in facto. Proinde scrutari jubemur scripturã, *Ioh.* 5. *v.* 39. Et Ecclesia est superstructa super fundamentũ Prophetarum, & Apostolorũ, *Eph.* 2. *v.* 20. Erudit enim scriptura ad vitam æternã, *Ioh.* 5. *v.* 39. Ergo nõ differunt essentialiter, sed accidẽtaliter.

27. Quare fœdior opinionum Pontificiarum est abominatio, quàm ut verbis satis exaggerari queat: Hic enim scopus Jesuitis est propositus, ut deducant nos ad Concilii Tridentini decreta, ad responsa Pontificum, atque sic Pontificibus Romanis ex quolibet quidlibet confingendi potestatem asserant. Scripturis sacris *nihil divinitatis* inesse scribunt Pontificii, nisi quantum accipit ab Ecclesia, ut *Andradius lib.* 2. Defensi. Non minus impius est *Eccius*, qui in *Enchirid. c.* 4. *p.* 41. nominat Theologiã in sacro codice Theologiam atramentariã, Evangelium nigrum, & protestantes Theologos atramentales, *Pighius lib.* 1. *Hierar. Eccle. c.* 2. Protestantes vocat scripturarios, eò quòd scripturæ authoritate nitantur, *Costerus. p.* 43. *Ench.* Christus, inquit, nec Ecclesiam suam à chartaceis scriptis pendere, nec membranis mysteria sua committere voluit. (Quod Moses olim magna ex parte fecerat carnali populo,) sed cum spiritualem constitueret Ecclesiam suo spiritu S. informatam, usus est sublimiore charactere scribens digito Dei in corde Ecclesiæ.

28. Quæstio quarta: *Num Ecclesia verbo Dei sit prior, & antiquior* ? Resp. scribit *Eckius in Enchir. Tit.* 1. *pag.* 6. Ecclesia est antiquior scriptura. Rationem addit hanc pag. 7. Quando enim Apostoli inceperunt prædicare, nulla erat scriptura Evangelii, nulla epistola Pau-

Pauli, & tamen erat Ecclesia sanguine Christi dedicata. Subscribit *Costerus pag.* 44. Constat, inquiens, totis 12. annis sine scriptis Apostolicis fuisse Ecclesiam.

29. Verùm distinguendum esse censemus inter verbum Dei essentialiter & accidentaliter consideratum: Accidit ei, quod vel viva voce proponatur, vel literis consignetur. Seu Ecclesia est prior verbo Dei, si pro literarum sumatur notis: At posterior eodē, si pro re sumatur contenta, & perpetua Dei volūtate erga Ecclesiā, & genus humanum. Nam 1. Omne fundamentum prius est fundamentato, & omnis mensura prior est mensurato. Atqui verbū Dei & sic scriptura sacra est fundamentū Ecclesiæ, & mēsura omnis doctrinæ Ecclesiasticæ, *Eph. 2. v. 20. 21.* Superstructi estis super fundamentum Prophetarum, & Apostolorum, *1. Cor. 3. v. 10.* Juxta gratiā Dei, quę data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui. Ergò verbum Dei, atque ita scriptura sacra prior est Ecclesia: Et per consequens Ecclesiæ authoritas innititur verbo Dei. Verbi igitur Dei authoritas non dependet ab Ecclesia.

30. 2. Ecclesia ex verbo Dei tanquam ex semine incorruptibili nascitur. Ergo fieri aliter non potest, quin verbum Dei sit prius Ecclesia: Et per consequens scripturæ sacræ authoritas præcedit Ecclesiam, & omne ejus judicium. Antecedens probamus: Fundatio enim Ecclesiæ originalis Eccles æ post lapsum protoplastorū hominibus innotuit, non nisi per verbum promissionis de semine contrituro caput serpentis, *Gen. 3. v. 15.* Et si scripturam sacram quoad nostram etiam approbationem posteriorem dixeris Ecclesia, concedas oportet, Ecclesiam illam extra scripturas esse quērēdam, ac proinde non Christi esse Ecclesiam: sed nescio, cujus alterius sive hominis, sive Diaboli synagogam. Annón enim Ecclesia est ovile Christi? Num Christus oves suas alloquitur extra scripturam? Deinde Ecclesia est cœtus fidelium. Fides verò nascitur ex audito verbo. Ergo verbum Ecclesiæ est principium. Apostolus Petrus dicit *1. Epist. c. 1. v. 23.* Regeniti estis, non ex semine corruptibili sed incorruptibili per verbum Dei viventis, & manentis in seculum.

31. Dicit igitur *Beda in Psal. 8.* Scripta divinorum librorum sunt fundamentum & Catholicæ Ecclesiæ, & singularum Ecclesiarum, quibus ipsæ roborantur, & sustentantur, velut ædificium à fundamento.

32. Quæstio quinta: *An testificatio Ecclesiæ authoritatem libris canonicis respectu nostri conciliet?* Resp. Ad quæstionem hanc ex parte respondimus in præcedentibus. Addimus pauca: Canonem igitur Deus ipse, in primis si authoritatem ejus spectes, servat. Dedit Deus canonem cùm communiter spiritus testimonio, tum singulariter manifestationibus, visionibus, sermone, signis, miraculis, & vaticiniis eventu ipso completis E.g. libros prophetales ante deportationem populi judaici dedit Deus, eosdem sanctificavit signis, nubis & fumi in templo *Levit.16.v.2.1.Reg.8.v.20.* Et responsis per Ephod Urim & Thumim; *Exo.28.v.30.* Post deportationem, vaticiniorum complemento. Libros canonicos N.T. dedit Deus & sanctificavit singulariter per Filium in carne patefactum, perque ejus dicta, & facta, *Heb.1.v.2.* Et per Apostolorum ministerium signis & miraculis confirmatum, *Matth.3.v.5.* Ecclesia verò libros canonicos diligentissimè conservavit: Quem in finem Moses librum suum sacerdotibus tradidisset in latere arcę fœderis deposuisse legitur *Deut.31. v.26.* Mandavitq; ut Reges exemplar ex *αὐτόγραφῳ* Mosis codice: scriptum penes se haberent, & inde omnia dijudicarent, *Deut.17. v.18.* Pari ratione canonici libri N.T. ipsis ēt Apostolorū temporib. sunt confirmati, qua de re videatur *Augustinus lib.11.cōtra Manichæos c.5.* Et studiū *Melitois apud Eusebiū lib.4.c.25.* Et *Nicephorus lib.4.c.10.*

33. Ecclesia autem est alia primitiva temporibus Apostolorum proxima, & alia hodierna, seu præsens: Illa testimoniū perhibet de libris canonicis & testimonium ejus ratum habetur, quia partim ipsos Apostolos docentes audivit, partim ipsorum *αὐτογραφα* ad manus habuit. Præsentis Ecclesiæ testimonium admittimus quatenus ex asse cū testificatione Ecclesiæ primitivæ cōgruit.

34. Aliud deinde est historicum, & aliud dogmaticum, aliud est quærere de authore secundario, seu scriptionis, & aliud de re subjecta seu ejus authoritate. v.g. Aliud est quærere, an Evangelium Matthæi sit Matthæi, & aliud, an sit canonicum: Illud est historicum, & dependet etiam à testificatione Ecclesiæ primitivæ: Hoc est dogmaticum, & petitur ex ipsa scriptura, & quidem ex argumentis intrinsecis seu internis, ut sunt, rerum Majestas, *συμφωνία* inter se librorum diversis seculis editorum, prædictiones eventu completæ, doctrinę antiquitas, sanctitas, efficacia, &c. Itaque testificatio

ficatio illa Ecclesiæ testimonium quidem perhibet de scriptura canonica, sed authoritas hujus ab ea non dependet.

35. Quæstio sexta: *An editio authentica V. T. sit editio hebræa, & N. T. editio græca?* Respondemus affirmatè: Nam. 1. illæ editiones divinitus sunt inspiratæ, & ab ipsis Prophetis & Apostolis scriptæ atque editæ. Reliquæ verò editiones ex his sunt versæ. Ergo reliquas ex his examinamus, & propter has fidem habemus. Aliud igitur est Propheta & Apostolus, & aliud Metaphrastes, non hujus, sed illorum libri sunt authentici. 2. Itaque ante natum Christum editio hebræa: Post natum Christum primis sex seculis editiones hebræa & græca fuerunt authenticæ. 3. Si quid anceps aut erroneum in reliquis versionibus occurrit, recurrendum est ad fontes h. e. ad editiones hebræam & græcam. 4. *In jure canonico dict. 9. c. 6.* legimus: Ut veterum librorum fides de hebræis voluminibus examinanda est, ita novorum, græci sermonis normam desiderat, *Hieronymus in commentariis in Zachariam c.* 8. Cogimur, inquit, ad Hebræos recurrere, & scientię veritatem de fonte magis, quàm de rivulis querere.

36. Verùm Pontificii, editiones hebræam & græcam adeò esse corruptas, prætendunt, ut amplius authenticæ esse nequeant: Inde *Lindanus in lib. 1. de optimo genere interpretandi*, latinam editionē hebraicæ, & græcæ anteponendam esse asserit *Andradius lib. 4. defens. Concilii Trident.* ferendum esse negat, ut cuivis liceat, illius editionis, qua Ecclesia utitur authoritatem aspernari, atque ad hebræa, & græca liberè provocare. *Christophorus à Tacroboſco pag.* 17. Sunt, inquit, qui vehementissimè contendunt, in iis, quæ ad fidei nostræ mysteria pertinent, Judæos variis in locis corrupisse V. T. partim alienas vocales, sive puncta, quæ ipsis vocalium loco sunt, substituendo, partim perversis distinctionibus ea quæ oporteret esse conjuncta distrahendo, partim ex textu aliqua eradendo, partim etiā de suo adjiciendo &c. *pag.* 18. Si hebraica, inquit, aut græca exemplaria, quæ modò habentur uspiam in iis, quæ ad fidem, aut mores Ecclesiæ attinent, dissideant à vulgata editione latina, tunc ea postponi oportet vulgatæ editioni. Videatur etiam *Canus lib. 2. c. 13. Bellarminus lib. 2. de verbo Dei c.* 2. Hæretici, inquit, odio editionis vulgatæ nimium tribuunt editioni Hebraicæ; *Et lib. 2. c.* 7. Licet codices Græci, ait, non sint generaliter corrupti, non tamen sunt fon-

tes purissimi, ut necessariò, quicquid ab illis dissentit, sit corrigendum.

37. Opponimus verò disputatoribus istis sequentia: Si fontes sunt turbidi redditi, factum illud est, aut ante, aut post natum Christum. At neutrum dari & probari potest. Ergo. *Non ante natum Christum*; 1. Quia id alicubi aut Christus, & Apostoli monuissent, testimonia V.T. allegantes. 2. Quia Christus & Apostoli ad scripturam V. Testamenti provocarunt, & ex ea doctrinam suam confirmarunt, *Matth.22.v.37.42.43. Ioh.19.v.24.36.* 3. Quia Christus auditores suos ad V. Testamenti lectionem, & auscultationem amandat, *Ioh.5.v.39. Luc.16.v.29.* 4. Quia Æthiops Eunuchus, præfectus Reginæ Candaces, incorrupta habuit Biblia, *Act.8.v.30.* 5. Apostolus Paulus omnibus credit, quæ sunt scripta in Mose & Prophetis, *Act.24.v.14.* Ergo ante ipsum Biblia non fuerunt depravata. 6. Idem Apostolus nihil dicit extra ea, quæ sunt in Prophetis & Psalmis, *Act.26.v.22.* Doctrina igitur N. Testamenti etiam temporibus Apostolorum fuisset falsa, si V. Testamentum ante tempora Apostolorum fuisset depravatum. 7. Fideles igitur Christiani pio, & laudabili studio evolvere potuerunt scripturam biblicam, & cum ea conferre, quæ à Paulo dicebantur, *Act.17.v.11.*

38. *Neque fontes turbidi sunt redditi post natum Christum.* Nam factum illud esset aut à Judæis, aut ab aliis. *Non à Iudæis.* 1. Illi enim depravassent præcipua de Christo vaticinia. 1. Tanta non dico religione, sed superstitione incredibili ad hanc usque ætatem scripturam Hebræam conservant, ut jejunium indicant publicum, ex cujus manu liber biblicus fortuito ceciderit, teste *Isaaco in respon. ad libros Lindani.* Teste etiã *Bellarmino lib.2.c.2.* Imò tanta fide, tantaque religione scripturam Hebræam conservant Judæi, ut mortem centies malint subire, quàm quicquam in ea mutare. Inde *Iosephus lib.1.contra Appionem*, cum tot secula, inquit, intercesserint, nemo tamen quicquam abolere, vel auferre, vel permutare ausus fuit. Omnibus enim nostræ gentis hominibus insita quodammodo, atque ingenita fides est, credere hæc Dei esse consulta, & his acquiescere, ac pro ipsis, si res ita popposcerit, libenter animam ponere. Et *Eusebius lib.8.Præpar.Evangel.* Mirabile mihi videtur, inquit, duobus annorum millibus, imò majore tempore, jam fere transacto, nec vet-

verbum unum in lege illius esse immutatum, sed centies unusquisque Judæorum morietur, quàm Legi Mosaicæ derogabit.

39. *Neque ab aliis.* 1. Observassent enim illud Judæi, qui nobiscum eosdem textus agnoscunt. 2. Per totum orbem dispersa erant exemplaria. Absit igitur, ut prudens quispiam cogitet, in codicib. tàm multis tã longè, latéq; dispersis fieri potuisse. 3. Per totũ orbem dispersit Deus Judæos, *Psal.* 59. *v.* 12. Hi veritati divinæ testimonium perhibent. *Augustinus lib.* 2. *contra Faustum Manichæum.* Quid est aliud hodie gens ipsa, inquit, nisi quædam scrinaria Christianorũ bajulans legẽ, & prophetas testimonium assertionis Ecclesiæ? Et in Psal. 56. Proferimus codices ab inimicis, ut confundamus alios inimicos: Codicem portat Judæus, unde credit Christianus: Itaque librarii nostri facti sunt. 4. Hieronymi tempore textus Hebræus aut fuit idem cum originali, aut diversus. Si diversus, vera esse nequit ejus versio, si idem, utimur & nos hodie eodem. 5. Quando V. T. testimonia allegantur in Novo, aut eadem sunt, aut mutata. Si mutata, non convenient scripturæ Apostolicæ cum Propheticis, si eadem, nulla ipsis depravatio accidit.

40. Quare si forsan injuria & errore librariorum, & typographorum litera, vel dictio in hoc vel illo exemplari est omissa, transposita, immutata, illa emendari ex aliis exemplaribus & potuit, & necessitate urgente potest.

41. Quæstio septima: *Num editio latina* vulgata sit authentic.? Resp. Verba *Concilii Tridentini sess.* 4. *hæc sunt:* Sacrosancta synodus statuit, & declarat, ut hæc ipsa vetus, & vulgata editio, quæ longo tot seculorum usu in Ecclesiâ ipsa probata est in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, aut expositionibus, pro authentica habeatur, & quod nemo eam reijcere quovis prætextu audeat, vel præsumat. Videatur etiam *Bellarm. lib.* 2. *c.* 10.

42. Revocabimus verò controversiã illam ad duo capita: Disceptatur. n. vel de authore, vel de authoritate editionis vulgatę. Author ejus non est Hieron. licet id statuant adversarii. 1. Editio. n. Hieronymi congruebat cũ editione Hebræa, & Græca. Atqui editio vulgata in infinitis locis non congruit, ut *Gen.* 3. *v.* 15. *c.* 6. *v.* 5. *c.* 8. *v.* 25. 1. *Cor.* 15. *v.* 51. 1. *Pet.* 2. *v.* 23. 1. *Ioh.* 5. *v.* 16. &c. Ergo. 2. Translationẽ editionis vulgatæ multis in locis reprehendit Hieron. in interpretationi-

tationibus suis, *Gen.* 1. *v.* 2. *c.* 4. *v.* 1. *Eccl.* 2. *v.* 3. *c.* 9. *v.* 1. *Gal.* 5. *v.* 9. 2. *Cor.* 1. *v.* 22. *Eph.* 1. *v.* 3. Ergo ejus non est author. Nemo enim reprehendit opus suum. Editio vulgata infinitis in locis est barbara & ab authenticis editionibus discrepat. 4. videatur *Iohannes Driedo lib.* 2. *c.* 1. Paginus in præfatione Biblio. Sixtus senens. lib. 8. Biblioth.

42. Authoritas editionis hujus non est authentica. 1. Nam multis scatet erroribus: Primum Evangelium *Gen.* 3. *v.* 15. refert non ad Christum, sed ad Mariã: Iosa conteret caput serpentis. Et *Gen.* 8. *v.* 21. favet pontificiis liberi arbitrii vires propugnantibus. Nam omittit particulam *tantum*, & pro actu ponit δύναμιν. &c. 2. Aliud est Propheta, & Apostolus, & aliud Metaphrastes, non hujus, sed illorum libri sunt authentici, videatur Hieronymus in Pentateuchum. 3. Etiamsi Hieronymus ejus esset author necdum esset authentica, quia ipse non tantum errare potuit, sed etiam multis in locis erravit. 4. Unde apud veteres orthodoxam authoritatem nunquam habuit.

42. Quæstio octava: *An scriptura in vernaculã linguam rectè & utiliter transferatur?* Resp. 1. Omnes homines sunt erudiendi ad vitã æternam, *Matt.* 28. *v.* 19. *Act.* 17. *v.* 30. Ergo omnib. ut eam cognoscãt, est proponenda. Atqui in linguis alienis eã non cognoscunt. In linguã igitur est transferenda vernaculam. 2. Ex lectione scripturæ in ignota lingua nullã utilitatẽ capit populus, 1. *Cor.* 14. *v.* 6. 3. Apostolos igitur Sp. S. variarũ linguarum cognitione donavit. 4. Et ipsi annunciarũt Evangeliũ in lingua nata, ac cuilibet populo familiari. Si igitur scriptura nõ contaminatur, quãdo in lingua vernacula annunciatur, nec contaminatur, quãdo in vernacula lingua scribitur.

44. Quæstio nona: *An scripturæ lectio in linguã notã laicis rectè concedatur?* Resp. 1. Rectè in linguã cuilibet populo vernaculã transfertur. E. & laicis ejus lectio rectæ permittitur. 2. Deus mandavit, ut omnes legerent, ut scrutarentur scripturas, *Deut.* 31. *v.* 10. *c.* 17. *v.* 19. *c.* 6. *v.* 7. 3. Christus promiscuam Judæorũ turbam ablegat ad scripturã, *Ioh.* 5. *v.* 19. 4. Apostolus *Col.* 4. *v.* 16. præcipit, ut epistola ad coll. scripta legatur etiam à Laodicensibus: Et vicissim ea, quæ scripta est ex Laodicea legatur à Colossensibus. 5. Thessalonicenses hortatur, ut omnia probent, quod bonum est teneant, 1. *Thess.* 5. *v.* 21. 6. Et deniq; Beroenses ob id commendantur, quod scrutati fuerint scripturas & ex illis veritatem inquisiverint, *Act.* 17. *v.* 11. Finis.

DE PAPISMO

DISPVTATIO IV.

Et quidem in ſpecie

DE

SCRIPTVRÆ PERSPICVITATE, INTERPRETATIONE, ET Iudice controverſiarum.

IN QUA

Chriſto Duce & auſpice Chriſto

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS GISENII,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS,
ET ORDINARII IN INCLY.
ta Academiâ Giſſenâ
Profeſſoris,

RESPONDEBIT

BOETHIUS PETRI DIETHMARSUS
Auſtralis.

In Auditorio Theologico ad diem 19. Novemb. horis antemeridianis & promeridianis.

GIESSÆ
Ex Typographéo Caſparis Chemlini.

ANNO M. DCXVII.

DISPUTATIO QUARTA.

DE SCRIPTURÆ PERSPICUITATE, INTERPRETATIONE ET Iudice controversiarum.

THESIS I.

OSTENDIMUS Disputatione præcedente, Scripturæ sacræ lectionem non esse ita uni hominum generi, sive Ordini demandandam, ut ab ea reliqui homines omnes nempe Laici arceantur.

2. Opponunt verò sese huic thesi Pontificii statuentes, Scripturæ lectionem Laicis concedi non posse, idque ob obscuritatem. Hinc igitur disputari cœptum est, de Scripturæ sacræ perspicuitate, de difficiliorum testimoniorum Scripturæ interpretatione, atque de controversiarum Judice. Quæstiones de his ordine proponemus, & veram sententiam, vero statu expositio, confirmabimus.

3. Quæstio prima: *An scriptura sacra ingenitam habeat lucem, adeò ut sit perspicua, & manifesta? seu: An Scriptura canonica dogmata ad fidem, & ad salutem necessaria adeò perspicuè proponat, ut ab iis* qui per fidem sunt illuminati, & primitias Spiritus S. acceperunt, etiam sine Ecclesiæ testimonio possit intelligi?

4. Pontificii tantam Scripturæ inesse scribunt obscuritatem, etiam in dogmatibus salutem concernentibus, ut verus ejus sensus aliundè, nimirum ex Conciliis, Patribus, & mente Papę sit mutuandus. *Eckius in Enchir. Tit. 4. pag. 39.* Lutherani, inquit, contendunt, scripturas sacras esse claras, ideò Laici & deliræ anus eas rractant imperiosè: *Iesuitæ Colonienses pag. 117. censuræ,* omnia, & singula, inquiunt, quæ in scriptura comprehensa sunt, tantis involuta sunt obscuritatibus, ut ne doctissimi qui-

dem certam cognitionem inde colligere possint, nisi illam aliunde mutuentur. Videatur etiam *Bellarminus libr. 3. de verb. Dei cap. 1. Camisius in opere Catech. pag. 44. Costerus in Enchir. pag. 52.*

5. Protestantes verò ad unum omnes profitentur, & docent, Scripturam sacram in iis, quæ ad salutem, & modum piè vivendi sunt necessaria, esse claram & perspicuam.

6. Ubi ante omnia observandum est, non hoc doceri à nostris, quod Scriptura sit natura nota, ut cuivis pateat, non regenerato: Animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Nec quæritur, annón Scriptura per se perspicua, per accidens evadat obscura, nimirum propter præconceptas opiniones? His enim corruptis accidit idem, quod noctuis & vespertilionibus ad claram lucem cœcutientibus. Neque in quæstione est, num Scriptura omnibus suis partibus adeò sit perspicua, ut primo intuitu à quovis percipiatur? Quin potius fatemur, quædam in Scripturis, Deo sic volente esse difficiliora, potissimum ideò, ut nos ad preces, & diligentiam excitemur, dies & noctes obsecremus, ut Leo de tribu Juda dignetur nobis aperire librum signatum, ut origines loquitur, cum Hieropsalte devotè dicamus, Doce me Jehova vitam tuam, da mihi intellectum, ut discam mandata tua, *Psal. 119. v. 33.*

7. Sed tantum quæritur, *an tanta Scripturæ insit perspicuitas, ut dogmatum, quorum cognitio ad salutem est necessaria, ex eâ certa aliqua & constans sententia haberi possit?* Id ostensuri præmittimus 1. communem distinctionem, qua distinguitur inter elementaria, sublimia, mystica, onomastica, & historica, Elementaria sunt testimonia summa religionis capita continentia, in quibus Scriptura est perspicua. 2. Aliud est, obscurum esse, & aliud obscurè dici: Res sunt difficiles in scripturâ, ut Articulus de Trinitate, de Resurrectione &c. Sed non obscurè proponuntur. B. Lutherus dicit: dogmata quidem ea in se obscura sunt, sed quatenus in scriptura proponuntur manifesta sunt, si contenti esse velimus illâ cognitione, quam Deus Ecclesiæ concessit. 3. Distinguimus igitur inter res ipsas, & modum dicendi, Res quædam in scriptura Majestate sua sunt difficiles; sed modo dicendi faciles. Apostolus dicit: Si Evangelium nostrum velatum est, tum his, qui pereunt, velatum est, in quibus Deus hujus seculi excœcavit sensus incredulorũ, ne illis illucescat Evan-

Evangelium gloriæ Christi, 2. *Cor.* 3. *v.* 14. 15. 16. *c.* 4. *v.* 3. 4. Aliud est ipsa scriptura, qua hæreticus abutitur, & aliud, quod committit hæreticus circa scripturam, ut est detorsio, coactio, & depravatio. B. *Lutherus Tom.* 3. *Ien. pag.* 163. Si de Sophistarum, inquit, quæstionibus circa has res agitatis intelligis, quid tibi fecit innocentissima scriptura, ut abusum sceleratorum hominũ objicias illius puritati?

8. Inquis, *si obscura sunt in Scriptura. Ergo & Scriptura est obscura.* Resp. 1. Non sequitur id: Nam licet scriptura in nonnullis sit obscura: Absolutè tamen spectata est perspicua, quia illa difficiliora, alibi clarius traduntur, & ex contextu verborum, ex proprietate linguæ, ex scopo Spiritus S. ex collatione aliorum locorum sunt explicanda. 2. Itaque scriptura non opus habet aliqua extrinsecus accedente luce, quâ, quæ obscuriora sunt, illustrentur. Imò obscuriora reddentur clariora, si accesseris ad lectionem scripturæ ornatus adminiculis necessariis, & afferas pium meditandi studium: *Assiduâ oratio, meditatio, & tentatio faciunt Theologum.* 3. Gravissima est sententia *Augustini*, quam habet *lib.* 2. *de Doctri. Christ. c.* 6. Nemo ambigit, & per similitudines libentiùs quæque cognosci, & cum aliqua difficultate quæsita multò gravius inveniri. Qui enim prorsùs non inveniunt, quod quærunt, fame laborant: Qui autem non quærunt, quia in promptu habent, fastidio sæpe marcescunt. In utroque autem languor cavendus est. Magnificè igitur, & salubriter Spiritus S. ita scripturas sanctas modificavit, ut locis apertioribus, fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim ferè de obscuritatibus eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperiatur. 4. Obscuriorum quorundam cognitio aut non est ad salutem necessaria, aut non æquè omnibus. 5. Aut, si quæ alia sit obscuritas, illa hæret in nonnullis verbis, phrasibus ac sententiis, ita, ut nullam interim dogma ad salutem necessarium incertum relinquatur: Res ipsa est in luce, licet signum aliquod ejus sit in tenebris.

9. Denique de eadem materia egregiè differit B. *Lutherus Tom.* 3. *Ien. lat. in Tract. de Servo arbit. p.* 163. Hoc sanè fateor, inquit, esse multa loca in scripturis obscura & abstrusa, non ob Majestatem rerum, sed ob ignorantiam vocabulorum, & Grammaticæ, sed quæ nihil impediant scientiam omnium rerum in scripturis.

Ibidem: Stultum est, & impium, scire, res scripturæ esse omnes in luce positas clarissima, & propter pauca verba, res obscuras dictare. Si uno loco obscura sunt verba, at alio sunt clara. Eadem verò res, manifestissimè toti mundo declarata, dicitur in scripturis tum verbis claris, tum adhuc latet verbis obscuris. Jam nihil refert, si res sit in luce, an aliquod ejus signum sit in tenebris, cum interim multa alia ejusdem signa sint in luce. Quis dicet fontem publicum non esse in luce, quod hi, qui in angiporto sunt, illum non vident cum omnes, qui sunt in foro videant? *Ibidem fac. b.* Duplex est claritas scripturæ, sicut & duplex obscuritas: Una externa in verbi ministerio posita; altera in cordis cognitione sita. Si de internâ claritate dixeris, nullus homo unum jota in Scripturis videt, nisi qui Spiritum Dei habet, omnes habent obscuratum cor, ita, ut si etiam dicant, & norint, proferre omnia scripturæ, nihil tamen horum sentiant, ut verè cognoscant, neque credunt Deum, neque sese esse creaturas Dei, nec quicquam juxta illud *Psal.* 14. *Dixit insipiens in corde suo, Deus nihil est.* Spiritus enim requiritur ad totam Scripturam, & ad quamlibet ejus partem intelligendam. Si de externa claritate dixeris, nihil prorsus relictum est obscurum aut ambiguum, sed omnia sunt per verbum in lucem producta certissimam, & declarata toti orbi, quæcunque sunt in scripturis.

10. His præmissis scripturæ perspicuitatem probamus. 1. A Verbi Dei authore: Traditum enim est à Deo sapientissimo. *Exo.* 20. *vers.* 1. *cap.* 24. *vers.* 4. *Act.* 15. *vers.* 28. 2. *Tim.* 3. *vers.* 31. Ergo est clarum & perspicuum: Siquidem Deus non obscuritate, sed claritate delectatur: Nobiscum condescendit, ut nos cum ipso consurgamus: Humanâ nobiscum loquitur linguâ, ut capere possimus.

11. 2. *A scripturæ affectione, quæ habet se instar principii*: In omnibus scientiis ea principiorum est natura, ut sint perspicua, & αὐτόπιστα, quippe quæ probationes externas nullas requirunt, sed ex quibus tanquam notioribus reliqua omnia probantur. Jam verò Scriptura sacra, propter authorem Deum, est principium principiorum, imò regula reliquorum principiorum rectè & verissimè est, ac dicitur. Ergo si quicquam est in univer-

universa rerum natura tam certum, ac perspicuum, ut probatione nulla indigeat, ut suâ luce luceat, talis inprimis Scriptura sacra est.

12. Verùm insurgit *Stapletonus* in hunc modum: Quemadmodum scientiarum principia & axiomata demonstrantur demonstratione Magistrorum, qui sua voce efficiunt, ut principia illa à nobis vera credantur: Sic scripturæ per Ecclesiam demonstrantur, ut à nobis credantur.

13. Resp. 1. Similitudo hæc omni prorsus caret elencho: Non enim est quæstio de hominis infirmitate, sed de ipsius scripturæ perspicuitate. Neque quæritur de ejusmodi hominibus, qui habent se instar tyronum; sed de illis potius, qui jam fide in Christum sunt donati, de his affirmamus, quod scripturarum, tanquam divinorum principiorum intelligentiam, ex ipsa scriptura sacra, ejus diligenti lectione, & testimoniorum scripturæ collatione petere possint. 2. Per inversionem respondemus: Quemadmodum illis qui scientiarum notitiam perceperunt, credunt principiis illarum, non propter vocem Præceptorum, sed propter ipsorum axiomatum apertam, ac necessariam veritatem, quam principia illa in se habent, & ex se proferunt: Sic etsi Ecclesia tyronibus, & nondum illuminatis commendat scripturam, eosque sua commendatione ad scripturam adducit: Attamen postquam Spiritus Sanctus ex his ipsis scripturis illorum mentes illuminavit, tùm sanè credunt scripturis, non propter testimonium Ecclesiæ; Sed quia principia illa in se αὐτόπιστα certa, atque firma esse deprehenderunt.

14. 3. *Ab adiunctâ luce scripturæ*: Est enim præclara lux & lucerna, *Psal.* 119. *vers.* 105. Mandatum Domini est lucidum, *Psal.* 19. *vers.* 9. Mandatum lucerna est, & lex lux, *Proverb.* 6. *vers.* 23. Comparatur scriptura cum lucerna, quia in se habet lucem, quâ illuminat, nisi homines planè cœci fuerint. Perspicua igitur est.

15. Obstrepit *Bellarminus libr.* 3. *de Verbo Dei capit.* 2. Scribens. In dictis istis non agi de universis scripturis, sed tantum de præceptis Dominicis. Deinde agi quidem de Scripturis omni-

ris omnibus, sed dici illas dilucidas, non quod facilè intelligantur, sed quod intellectæ cum fuerint, mentem nostram illustrent.

16. Resp. 1. De universis scripturis agere testimonia illa, vel ipsa litera evincit. 2. Scriptura hæc dicitur, cor lætificare, oculos illuminare, adeoque lætitiam spiritualem excitare: Quod nemo de præceptis Decalogi affirmabit, quæ terrent, damnationem prædicant, & spiritualiter occidunt, 2. *Cor.*3. *Rom.*7. 3. Inde Apostolus *Rom.*10. *v.*18. Psalmum decimum nonum accommodat ad doctrinam evangelicam. 4. Meminisse igitur debebat Bellarminus vocem hebræam *thorah* in Psalmis, & Prophetis non notare tantum legem specialiter sic dictam, sed universam doctrinam Ecclesiæ tam Evangelium, quam legem. 3. Ecquid quæso est, quod intellectum non illuminet? Nihil certè. Quicquid igitur est, hac ratione posset dici lux in Domino. 4. Psalmista manifestè ostendit, quare præceptum Domini sit lucidum, dum illud comparat cum lucerna, & docet quod sapientiam afferat parvulis, seu illis, qui patiuntur sibi persuaderi.

17. 4. *Ab effectis Scripturæ*: Splendet in tenebris: Habemus enim firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris, 2. *Pet.*1. *v.*19. Illuminat tenebricosos hominum animos, *Eph.*4. *v.*18. 1. *Cor.*3. *v.*15. Prębet lumẽ cognitionis, & discutit ignorantiam, *Psal.*19. *v.*5. 9. *Psal.*119. *v.*3. Infundit sapientiam, & intelligentiam. Ergo scriptura, quæ hac in re est instar lucernæ, luce, quam in se habet, omnes illuminat, nisi quidam oculos ab ea avertant.

18. 5. *A mandato Christi*: Præcipit enim *Ioh.*5. *v.*38. ut scrutemur Scripturas. Ergo hoc ipso esse eas perspicuas docet, ut non sit opus, ut illustrentur luce aliena. Si enim, tam essent obscuræ ut ex iis in dogmatibus fidei constans sententia non posset hauriri, non mandasset ut eas scrutemur.

19. Quare *Deut.*30. *v.*11. legimus: Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie non est occultum, neque longinquum. Apostolus dicit, *Rom.*10. *v.*8. Propè est verbum in ore, & in corde tuo: Non opus igitur est ut in Cœlum aliquis ascendat, & verbum illud enunciet, vel ut mare propterea transfretandũ sit, ut verbum illud

affera-

afferatur, *Deut.*30.*v.*12.13. Denique si Scripturæ tanta inest obscuritas, ut aliunde lumen ei sit inferendum, tum Spiritus S. apertius scribere aut noluit, aut non potuit. Neutrum affirmari potest.

20. Verum clamitas, si scripturæ non sunt obscuræ, ecquid opus est tot commentariis Biblicis, tot explicationibus, tot Postillis.

21. Resp. 1. Aliud est, quærere de Scripturæ perspicuitate, & aliud de hominis imbecillitate seu infirmitate: commentariorum usus arguit non scripturæ obscuritatem, sed hominis infirmitatem, & hebetudinem, quæ ex scripturarum meditatione, locorum collatione, linguarum cognitione, controversiarum dilucidatione, & commentariorum lectione tollitur. 2. In commentariis istis scriptura per scripturam, explicatur. Interpretatio enim ex scriptura debet efferri, & non ex hujus vel illius hominis cerebro, ipsi inferri. Ergo lumine mutuatitio scriptura non illustratur, sed quod splendet in ea in commentariis istis sobriis ostenditur.

22. Quæstio secunda: *Qua in re consistat vera interpretandi Scripturas ratio.* Resp. 1. Exponit hac de re sententiam suam *Concilium Tridentinum sess.*4. *Decret.* 2. verbis generalibus decernens, quod sanctæ matris Ecclesiæ sit judicare de vero sensu & interpretatione sanctarum scripturarum. Quod verò insidiosè in decreto hoc dicitur, hoc manifestius alii explicant. *Bellarminus libr.*3. *de Verbo Dei scripto c.*3. Scripturæ, inquit, interpretatio est penes unum Pontificem Romanum sine cujus approbatione nec Conciliorum valet interpretatio. *Ibidem*: Nos, ait, existimamus, hunc Spiritum, etsi multis privatis hominibus sæpè conceditur, tamen certò inveniri in Ecclesiâ, id est, in concilio Episcoporum confirmato à summo Ecclesiæ totius Pastore, sive in summo Pastore cum Concilio aliorum Pastorum. *Lib.*4. *de Pontifice Romano.c.*2. scribit: Ipsa infallibilitas non est in cœtu consiliariorum, vel in concilio Episcoporum, sed in solo Pontifice. *Ibidem*: Omnes Catholici, ait, in hoc conveniunt, Pontificem solum vel cum suo particulari concilio, aliquid in re dubiâ statuentem sive errare possit, sive non, esse ab omnibus fidelibus obedienter audiendum. *Nicolaus Cusanus Cardinalis in suis contra Bohemos Epistolis*: Intellectus, inquit, qui cum praxi concurrit est Spiritus vivificans: Ecclesiæ igitur sicut recipit

scripturam, ita & interpretatur: Sequuntur igitur scripturæ Ecclesiam, quæ prior est, & propter quam scripturæ, & non è converso. *Hosius Cardinalis in lib. de expresso Dei verbo scribit*: Si quis habet interpretationem Romanæ Ecclesiæ, etiamsi nec scit, nec intelligit, an & quomodo cum scripturæ verbis conveniat, is tamen habet ipsissimum verbum Dei. *Thyræus Iesuita Moguntinus partis tertiæ Disput. de potestate Ecclesiastica cap.* 15. Sacra scriptura, inquit, hanc potestatem non habet, quam habet Pontifex Romanus, ut ab ipso definitionem & sententiam petamus, non fuit semper in Ecclesia Catholica, Scriptura: Et tamen fuit semper de fidei controversiis quid sit sentiendum, facultas statuendi.

23. Sententia igitur Pontificiorum, ad quam per multas ambages nos deducunt, hæc est: *Vera scripturæ interpretatio ex solo Papalis pectoris scrinio est petenda*: Nam Papa habet omnia jura in scrinio pectoris sui, etiamsi sit idiota, & tam oblivioſus, ut immemor sit etiam sui. Potest formam Sacramentorum ab Apostolis traditam immutare. Potest contra Epistolas Pauli statuere. Potest dispensare contra prima quatuor Concilia, & contra verba Evangelii. Idem docet modus ipsorum scripturam interpretandi: Hanc enim pro lubitu interpretantur.

24. Verùm sententiam veram seu protestantium ostensuri, eamque confirmaturi, nonnulla præmittimus. Primò igitur largimur in scriptura tradi intellectu difficilia, ut & in præcedente quæstione exposuimus. *Augustinus scribit in Psal.* 140. Sunt in scripturis profunda mysteria, quæ ad hoc absconduntur, ne vilescant, ad hoc quæruntur, ut exerceant, ad hoc aperiuntur, ut pascant. Secundò, in quæstione non est, an donum interpretandi scripturas sit commune omnibus fidem Christi profitentibus? Negativam & nos tenemus, statuentes, donum interpretationis eorum tantum esse, qui divinitus ita sunt Spiritu Sancto illuminati, ut phrasium & verborum emphasin investigare possint.

25. Sententia verò protestantium hæc est: *Scriptura per Scripturam secundum analogiam fidei est explicanda: Siquidem Scriptura ubi obscurius loquitur sese aliquando in eodem, aliquando in aliis explicat locis cumulatè. Itaque obscuri, & difficilis cuiusdam dicti interpretatio ex ipsa est petenda scriptura.*

26. Con-

26. Confirmamus assertionem hanc 1. *Ab apertis scripturæ testimoniis*: Nulla enim Scripturæ interpretatio est propriæ explicationis, 2. *Pet.* 1. *v.* 20. 21. Ergo abjicientes proprias interpretationes Scripturæ fundamento nitamur. Testimoniorum istorum allegatorum tanta est evidentia, ut *Gratianus dist.* 37. *Can.* 14. canonem nostræ assertioni per omnia ὁμόψηφον Juri Canonico inseruerit: Sunt, inquit, multa verba in scripturis divinis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quem sibi unusquisque sponte præsumpsit; sed fieri non oportet. Non enim sensum, quem extrinsecus adulteretis, alienum, & extraneum debetis quærere: aut quoquo modo ipsum scripturarum authoritate confirmare; Sed ex ipsis scripturis sensum capere veritatis.

27. 2. *A scripturæ authore, & vulgaribus testimoniis*: Optimus interpres verborum est quisque suorum: Cujus enim est condere legem, illius etiam est eam interpretari. Et scripturæ non alio possunt, multò minus alio debent intelligi sensu sive Spiritu, quàm quo scriptæ sunt. Atqui scriptura est vox Spiritus Sancti per Prophetas, & Apostolos promulgata, *Matth.* 10. *vers.* 20. Ergo. Solus igitur Spiritus Sanctus habet summum jus interpretandi Scripturas, quia solus earum est author. Præstat verò hoc non immediatè, sed mediatè in scriptura, & per Scripturam, quæ non sunt verba nuda, sed significantia, & certum sensum indicantia.

28. 3. *A causa fidei*: Cujus solius est operari in cordibus nostris fidem, penes ipsum etiam est summum jus, & authoritas Scripturas interpretandi. Atqui solius Spiritus Sancti quatenus in scripturis nobiscum loquitur, proprium est munus, in cordibus nostris fidem operari. Ergo penes solum etiam Spiritum S. quatenus in scripturis loquitur, est summũ jus & authoritas scripturas interpretandi. Connexio Propositionis patet ex natura Relatorum: Fides enim habet se ad sensum scripturæ propriũ, ac genuinum, tanquam Relatũ ad suum correlatum: Siquidem fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei, *Rom.* 10. *v.* 17. Ergo consequens est, quod fides respiciat verum ac genuinum scripturæ sensum tanquam objectum, quod credendum in scripturis proponitur. Jam

verò si fides virtute Spiritus S. ab homine concipitur, tunc, quando verum scripturæ sensum per ipsam scripturam idem Spiritus aperit, & confirmat; Stabit & ipsius majoris propositionis evidentia. Assumptionis veritatem agnoscit ipse *Bellarminus libr. 1. de Grat. & Libero arbitrio scribens* : Semen, ex quo regeneramur est verbum Dei, 1. *Pet.* 1. *v.* 23. Renati non ex semine corruptibili, sed ex incorruptibili per verbum Dei vivum. Et *Iacobi* 1. *v.* 18. Genuit vos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus. Verbum autem propriè fidem in nobis gignit, eamq; vivam. Sic igitur colligimus: Si verbum Dei sive scriptura sacra propriè fidem in cordibus nostris gignit; Utique Ecclesiæ hoc propriè adscribi non poterit: Ac proinde neque summum jus scripturas interpretandi ei convenit.

29. 4. *A fundamento, & in quod fides nostra ultimò resolvitur principio* : Quicquid se habet ad fidem nostram tanquam principium primum, in quod ea postremo resolvitur, hoc est, in quo unicè acquiescit, & firmiter innititur, illud summum jus, summamq; scripturas interpretandi authoritatem obtinet. Atqui solius Spiritus S. in scripturis loquentis vox, atque sententia est primum illud principium, in quod fides nostra postremò resolvitur. Ergo.

30. 5. *A Scripturæ perspicuitate* : Est enim per se perspicua. Alienâ igitur & mutuatitiâ luce non indiget: Difficilia dicta potius per clariora, quàm aliundè sunt explicanda.

31. 6. *Ab exemplis scripturæ*: Nam Esdras cum suo Symmystâ *Neh.* 8. *v.* 9. librum legis explanatè legebant, & sensum exponendo dabant intelligentiam per scripturam. *Christus Matth.* 4. Diabolum scripturas depravantem scripturarum authoritatibus refutat. Docet igitur suo exemplo adversarios scripturarum testimoniis inter se collatis, & rectè adhibitis esse comprimendos.

32. 7 *A consensu Patrum*: *Hilarius lib.* 1. *de Trinit.* Optimus, inquit, scripturæ lector est, qui dictorum intelligentiam expectet potius, quàm imponat, & retulerit magis, quàm attulerit, neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum. *Irenæus lib.* 4. *adver. hæres. c.* 63. Legitima & sine periculo est expositio scripturæ secundum ipsas scripturas. *Ambrosius Ser.* 8. *in Psal.* 118. Multa obscuritas est in scripturis Propheticis; sed si manu quadam mentis tuæ scripturarum januam pulses, & ea, quæ occulta sunt, diligenter examines paulatim incipies rationem

colligere dictorum: Et aperietur tibi non ab alio, sed à solo Dei verbo. Plura videantur Patrum testimonia in Protocollo Colloquii Ratisbonensis pag. 381.

33. 8. Quare in ore semper habeamus illud *Esa.* 8. *v.* 20. Ad legem & testimonium. Et hoc *Matth.* 17. *v.* 5. Christum attendite. Nusquam verò dicitur ad Papam & Cardinales. Conciliis à Papa approbatis attendite. Itaque missis Papæ verbis scripturæ rectè inhæremus.

34. Quamobrem improbamus opinionem adversariorum somniantium difficilis cujusdam dicti interpretationem petendam esse ex Pontificis Romani decisione ex Patribus, & Conciliis à Papâ approbatis. *Stapletonus lib.* 11. quatuor interpretationis enumerat media, ut sunt I. Regula fidei cap. 1. & 3. II. Praxis Ecclesiæ *cap.* 4. III. Patrum consentiens interpretatio cap. 5. IV. Conciliorum præscripta, & decreta interpretatio. In omnibus verò his mediis Papa implicitè intelligitur: Regula enim fidei est, quam Papa approbat: Praxis Ecclesiæ est, quam Papa servat: Patrum interpretatio est, quam Papa sequitur, & eo ipso authenticam facit: Conciliorum decreta sunt, quæ Papa confirmat.

35. Verùm 1. Omnis homo mendax, *Psal.* 116. *v.* 1. *Rom.* 3. *v.* 4. Papam verò & Patres nemo sanus ex hominum numero eximet. Ergo. Ecquis igitur in Papæ & Patrum interpretatione certò poterit acquiescere?

36. 2. Expiscari licebit ex adversariis, Ecclesia Romana, quando interpretatur scripturam, unde hunc ipsum scripturæ sensum didicerit? Utrum ex ipsa scriptura; An verò ex aliquo sine scriptura spiritu, si ex ipsâ scriptura dixerint, nobiscum fateantur, necesse est, ex sola scriptura sacra explicanda esse testimonia difficiliora; sin ex suo Spiritu dixerint, nihil aliud faciunt, quàm quòd Enthusiasmos jam pridem in Ecclesia Romana damnatos ex orco quasi revocant.

37. 3. Unius hominis interpretatio non modò potest esse suspecta, sed multis etiam modis erronea, imò etiam hæretica. Quales sunt plæræque interpretationes Pontificum Romanorum, ut: Nolite Sanctum dare canibus. Ergo à scripturæ lectione arcendi sunt Laici. Bibite ex hoc omnes, hoc est, soli sacrificuli, &c.

38. 4. Papa, Patres, & Concilia audiuntur propter ſcripturas, ex quibus ſententiam ſuam declarare, & cõfirmare debent. Ergo ſcripturæ magis ſunt audiendæ: Propter quod enim unumquodque eſt tale, illud magis eſt tale, *Auguſt. docet Epiſt.112. ad Paulinum*: Ipſos Patres nolle Lectorem ita ſibi alligatum, ut putent, neceſſe ſibi eſſe, aliquid ideò credere, quoniam à Patribus dicitur: Sed quia dicta ſua vel per ſcripturas Canonicas, vel per alias probabiles rationes, quod à veritate non abhorreant perſuadere poterint.

39. 5. Regula interpretandi Scripturas eſt una, certa, & perpetua. Atqui Patrum expoſitio non eſt una, quia unius dicti contrarias ſæpe exhibent diverſi interpretationes: Non eſt certa, quia nullus hominum erroris eſt expers, idque ipſi Patres tum de ſe tum de aliis ingenuè fatentur. *Auguſtinus lib.2. ad Vincentium*: Negare, inquit, nec poſſum, nec debeo, ſicut in ipſis majoribus, ita multa eſſe in tam multis meis opuſculis, quæ poſſunt juſto judicio, & nulla temeritate culpari. Non eſt perpetua, quia aliquando nulla fuerunt Patrum ſcripta: Plærique Patres quadringentis poſt natum Chriſtum ſcripſerunt annis.

40. *Panormitanus igitur Canoniſtâ* in capitulum, *ſignificaſti, extra de electione* pronunciat: In concernentibus fidem dictũ unius privati præferendum eſt dicto Papæ, ſi ille moveretur melioribus authoritatibus V. & N. Teſtamenti, quàm iſte: Plus enim credendum eſt vel ſimplici Laico ſcripturam proferenti, quàm toti ſimul Concilio loquenti ſine ſcriptura.

41. Interim media illa non ſimpliciter repudiamus, modò authoritati Scripturæ ſacræ ſubordinentur: ſi praxis Eccleſiæ, Patrum ſententiæ, conciliorum Decreta ſcripturis ſacris innitantur, & ex his confirmentur: Nam ſuper ædificati ſumus ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum, *Eph.2.verſ.20*. Itaque fides noſtra debet reſolvi non in dogma Patrum, & Decreta conciliorum, ſed in ſcripturam ſacram

42. Quæ cum ita ſint interpretationem obſcuri cujuſdam dicti ex ipsâ ſcripturâ petendam eſſe concludimus, & quidem ex contextu verborum, ex proprietate linguæ, ex ſcopo Spiritus S. ex collatione aliorum locorum.

43. *At inquiunt Pontificii*, media illa omnibus hæreticis eſſe commu-

communia, cum & illi scripturarum conferant loca, inspiciant fontes, & antecedentia, atq; cõsequentia cõsiderent. Resp. 1. Qui non acquiescit in scripturæ, h.e. vocis Spiritus S. sententia, num acquiescere putandus est in Põtificis, Patrũ aut conciliorũ sententia? 2. Et Diabolus provocabat ad scripturã, sed ex qua refutabatur, ita & hęretici. 3. Media illa de jure sunt cõmunia: Omnibus enim loquitur Deus in scripturis, & vult ut omnes eas scrutẽtur; Sed non de facto.

44. Quæstio tertia: *Num interpretatio Scripturæ certis hominibus, & successionibus sit astricta?* Resp. Supremum obscuri cujusdam dicti interpretem esse Spiritum Sanctum nolentes volentes admittunt Pontificii; Sed in quæstione esse, ajunt, penes quem sit Spiritus ille, & per quem loquatur, ut nullatenus dubitare amplius liceat, subinde veró Pontificem Romanum in Cathedra Petri sedentem ingeminant: Et donum interpretationis ordinariæ Episcoporum successioni ita esse alligatum contendunt, ut quicunque ad thronos illos evehatur, ejus qualescunq; interpretationes statim sint suscipiendæ & venerandæ tanquam infallibiles, & veræ, quæque authoritatẽ suam habeant ex privilegio loci, quem illi occupant. *Cusanus Cardinalis in suis contra Bohemos Epistolis dicit:* Veritas Cathedræ adhæret, quare membra cathedræ unita, & Pontifici conjuncta Ecclesiam efficiunt, videatur etiam *Bellarminus libr. 3. de Verb. Dei, c. 3. Stapletonus pag. 543. Doctrinal. princip. Bellarminus* igitur *lib. 2. de Concil. cap. 12.* contendit Pontificum decreta suo modo dici, & esse sacra, & Canonica.

45. Impiam hanc esse assertionem sequentibus ostendimus fundamentis 1. Moses optavit olim, ut omnes dono interpretationis, essent instructi. *Num. 11. v. 29,* Quis tribuat, ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum suum. Ergo noluit, ut donum hoc ad certam sedem, & hominem alligaretur. 2. Apostolus *1. Cor. 12. v. 4.* & seqq. in enumeratione donorum Spiritus Sancti, quibus scripturarum enumerationem annumerat, ostendit *v. 11.* distribuere Spiritum S. hoc etiam donum sicut vult. Conferatur & testimonium *Ioh. 17. v. 17.* Quare ita argumentatur: Quod distribuit Spiritus S. sicut vult, illud non uni homini, nec uni certæ sedi est alligatum. Atqui donum interpretationis distribuit Spiritus S. sicut vult. Ergo.

46. 3. Qui-

46. 3. Quicunque quod bonum est teneant, quod malum fugiant. Doctores probent, quique sciunt discernere vocem Pastoris à voce alienorum, illis non omnis Scripturæ interpretatio, neque omne judicium de Scripturæ interpretatione est deneganda. Atqui illud sciunt eruditi etiam Laici. Ergo. Nam Apostolus hortatur Thessalonicenses, ut omnia probent, quod bonum est teneant, 1. *Thess.* 5. *v.* 21. Romanis jubet, ut falsos Doctores fugiant, *Rom.* 16. Et Johannes quosvis fideles monet, ne omni Spiritui credant, sed potius probent Spiritus num ex Deo sint, 1. *Ioh.* 4. *v.* 1. Imò Christus ipse unumquemque Christianorum monet, ut ex fructibus Pseudoprophetas cognoscat, & fugiat, *Matth.* 7. Ut scrutetur scripturas, *Ioh.* 5. Oves suas, ait, nosse vocem Pastoris, eamque ab alienorum voce posse discernere, *Ioh.* 10.

47. 4. Imò tota Veteris Testamenti historia ostendit, Deum sæpe ordinariis Pontificibus & Sacerdotibus præteritis, ex aliis tribubus & aliunde excitasse Prophetas, qui erant voluntatis divinæ interpretes. Hoc ipso igitur docuit ordinariæ successioni, & cathedris scripturæ interpretationem non esse alligatam. 5. Quales hodierni apud Pontificios sint Episcopi, nihil attinet nos dicere, testatur ipsa experientia.

48. 6. Christus monet servanda esse, quæ scribæ & Pharisæi super cathedram Mosis sedentes dicebant, *Matth.* 23. *v.* 3. At ut doceret non absolutum aliquod scripturas interpretandi privilegium esse concessum, falsa ipsorum dogmata reprehendit hoc ipso capite, ut & *Matt.* 5. 6. 7. 16. Reduplicativè igitur illud intelligitur, quatenus nimirum super cathedram Mosis sedent, hoc est, quatenus docent legem, & legi conformia. *Gabriel Biel.* 4. *sentent. dist.* 1. *quæst.* 4. *Art.* 3. Non licet spernere consilium, inquit, Prælati, quod verum est, nisi contra legem divinam dixerit, quia sic præcipiendo non sedet super Cathndram Mosis non enim hæc præcedunt de Cathedra, id est, doctrina Mosis, sed de Cathedra pestilentiæ. *Wesseli qui vixit circa annum Christi* 1455. hoc narratur dictum: Oportet Prælatorum præcepta tamdiu servare, quamdiu in cathedra Mosis sedentes secundum Mosen docent, & si quid contra, vel extra statuunt, non ligamur: Dei enim servi sumus, non Papæ.

49. Quamobrem quemadmodum ordinem hactenus in Eccle-

Ecclesia Dei observatum commendamus, & proinde Laicis publicè Scripturas docere non permittimns: Ita abominamur assertionem Pontificiorum, qui scripturæ interpretationem ordinariæ Episcoporum successioni alligant, & ex dono interpretationis authoritatem faciunt prætoriam, adeò ut necessarium non sit interpretationem probare.

50. Quæstio quarta: *An iudex controversiarum supremus sit Spiritus S. in scripturâ, & per Scripturam nobiscum loquens? Seu, An Scriptura sacra, quatenus ea est nihil aliud, quam vox supremi iudicis, quem omnes agnoscere, timere, ac venerari convenit, sit iudex infallibilis omnium controversiarum, quæ circa religionis capita vel unquam sunt obortа, vel oboriri possunt.*

51. Pro negativa tanquam pro aris & focis pugnant Pontificii. *Negationi verò huic via iam olim est strata in colloquio VVormacienſi anno quinquagesimo septimo supra sesquimillesimum* celebrato, in quo blasphemam hanc vocem Romanenses primitus publicè effudêrunt: Scriptura sacra non est vox judicis, sed materia litis, est litera muta, quæ vivam Ecclesiæ vocem desiderat. Quo sensu Iesuitæ Colonienses scribere non exhorruerunt *pag.* 117. *censuræ*: sacra scriptura in illis ipsis sive dogmatibus, sive præceptis, quæ continet, & proponit, est veluti nasus cereus non præbens certam aliquam sententiam; sed in quamvis interpretationem flecti potest. *Eckius in Enchiridio De Scripturis Propos.* 3. *pag.* 40. Malè, inquit, hæretici nolunt alium judicem, quàm scripturam. In veteri Testamento Lex non fuit judex, sed summus Sacerdos. *Gretserus in Colloq. Ratisb. pag.* 251. Sumus hic in conspectu sacræ scripturæ, & Spiritus S. Pronunciet ergo sententiam si judex est; & dicat. Tu Gretsere malè sentis, cecidisti causa tua: Tu Heilbrunnere vicisti: Tunc ego statim transibo ad vestrum scamnum: *Adsit, adsit, adsit,* & condemnet me. *Bellarminus, lib.* 3. *de Verbo Dei cap.* 9. Non esse, inquit, judicem scripturam planum est, quia varios sensus recipit, nec potest ipsa dicere, quis sit verus sensus. *Becanus in sua Apologia pro iudice controversiarum fidei ac Religionis,* & quidem in præfatione, *pag.* 4. Ille, inquit, contendit, Scripturam; Ego Ecclesiam esse judicem controversiarum fidei ac Religionis. *cap.* 1. *p.* 11. Rotundè Pontificiorum sententiam exponit: Catholici, ait, distinguunt inter Judicem & Normam: Judicem

vocant, qui fert sententiam inter partes litigantes. Normam, secundum quam fertur sententia à Judice. Posita, inquit, hac distinctione tria docent. 1. Ecclesiam esse judicem controversiarum. 2. Normam, quam sequitur Ecclesia in ferenda sententia, non esse solam scripturam, sed scripturam, & traditionem simul. 3. Ecclesiam juxta hanc Normam, dupliciter sententiam pronunciare posse: vel per Pontificem, qui est Pastor Ecclesiæ: vel per Concilia à Pontifice approbata, quæ repræsentant Ecclesiam; Et utroque modo sententiam esse infallibilem.

52. Verùm quæstionis propositæ affirmativam confirmaturi, distinctiones quasdam ne distinguenda involvantur, notamus, cum quæstionis hujus decisio, & veræ sententiæ agnitio sit summè necessaria, sicut ipse fatetur *Bellarminus, lib.3.c.3.de ver.Dei,p.* 169. Hac de re agens, Quæ sanè, inquit, gravissima quæstio est, & ex ea quasi dependent omnes controversiæ.

53. Aliud igitur est judex, & aliud judicium. Judex notat ipsum, qui judicat. Judicium notat ipsum, qui exercetur actum. *Iudex est publicus vel privatus. Publicus est principalis, vel ministerialis. Principalis* ex quorundam sententia est Christus: ipse enim est sermo ille æternus Patris, inde ab initio sapientiam & veritatem cœlestem ex sinu æterni patris protulit. Ex sententia plærorumque est Spiritus S. ex cujus inspiratione locuti sunt sancti Dei homines, & qui in scriptura, & per scripturam nobiscum loquitur.

54. Sententias has ita conciliamus: *Distinguimus inter iudicium inchoatum & consummatum.* Illud extendit se usque ad novissimum diem. Exequebatur hocante ascensionem Christus ipse: Potestas enim data est ipsi judicium faciendi, quia filius hominis est, *Ioh.5.vers.*27. Huc pertinent hæc similia, *Ioh.*1.*vers.*10. *Matt.*17.*v.* 5.2.*Pet.*1.*vers.*17. *Matt.*23.*v.*8.10.*cap.*28.*vers.*18. *Act.*2.*vers.*36.1.*Cor.*3. *v.*11. Arguunt id exempla: Decidit enim controversiam de primatu, *Matt.*18.*vers.*13. De censu dando Cæsari, de mortuorum Resurrectione, de æterna Messiæ Deitate, *Matt.*22. *Mandavit* igitur Apostolis docere gentes, *Matth.*28.*vers.*19.20. Unde ipsi testabantur, se annunciare, quæ Christus etiam præcepit, *Act.*10.*vers.*42. Testabantur Christum etiam loqui in ipsis, 2. *Corint.* 13. *vers.* 3. Testa-

bantur

bantur, se à Christo accepisse, quæ docebant, *Gal.1.vers.11.12. 1. Cor.11.vers.23.* Unde quic quid docuerunt, nominatur verbum etiam Christi, *Coloss.3.vers.16. Ignatius in Epistola ad Philadelphenses* dicit: Ἐμοὶ ἀρχεῖα εἰσὶν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς, ἔστω δὲ ἄκριβεστον πρόσωπον ὁ ἀληθεῖς. Jesus mihi pro archivis est, quem nolle audire, manifesta pernicies est. Post ascensionem verò Christi rectè principalis controversiarum Judex constituitur Spiritus Sanctus. Quemadmodum enim Pater per Filium, ita Filius per Spiritum Sanctum agit, loquitur,& judicat, *Ioh.14.vers.26.cap.16.vers.8.13. Act.4.vers.35. cap. 22.vers.28. Matt.10.vers.20. 1.Cor.12.vers.7. 2.Pet.1.v.21.* Testatur id Christus ipse, *Ioh.16.vers.14.* Testantur ipsi Apostoli, *Act.10.vers.42. 1.Cor.11.vers.23. 2.Cor.13.vers.3. Gal.1.vers.11.12. Col.3.vers.16. Apoc.2. vers.6.* Consummatum judicium persequetur ipse Filius in die novissimo, *Ioh.12.v.48.*

55. *Judex Ministerialis est Scriptura sacra, & Ministerium* Ecclesiæ, quo Spiritus Sanctus in judicando apud homines utitur. *Norma est verbum Dei,* seu Scriptura sacra, quæ est fundamentum Ecclesiæ,& ad quam Spiritus S. ipse nos remittit, *Deut.17.v.18. Ios.1. v.7 c.23.v.6. 3.Reg.2.v.3. 4.Reg.17.v.37. Esa.8.v.20.*

56. Scriptura sacra dicitur à quibusdam summus judex, sed Metonymicè, quia est vox, seu sententia Spiritus S. nobiscum in scriptura loquentis. Est Ministerialis Judex, quia est ministra summi judicis, per quam nos alloquitur,& sententiam suam exponit. Est unica norma respectu hominum, quippe qui secundum eam de fidei quæstionibus debent judicare.

57. *Ecclesia igitur iudicatur Ministerialis controversiarum iudex,* quatenus vocem summi judicis quæ est scriptura, sequitur.

58. *Privatus Iudex* esse potest & debet quilibet, etiam Laicus, *1.Thess.5.v.21. 1.Cor.14.v.20. cap.10.v.15. 1.Ioh.4.v.1.*

59. His sic breviter expositis, *supremum interpretationum & controversiarum Theologicarum iudicem esse Spiritum Sanctum in Scriptura & per scripturam nobiscum loquentem,* probamus, 1. à requisitis supremi judicis, quorum communiter quinq; recensentur, ut sunt: *Primò,* ut judicando errare non possit, ac proinde, ut in ipsius sententia atq; judicio citra omnē hæsitationem partes litigantes possint

sint acquiescere. *Secundò*, ut ab ipsius sententia nemini provocare liceat. *Tertiò*, ut ipsemet non sit pars controversiæ. *Quartò*, ut nullo partium studio ducatur, & ab omni προσωποληψίᾳ sit alienissimus. *Quintò*, ut sua authoritate compellere possit transgressores ad jus, & fas, ut sententiam, sive decisionem admittant. Cuicunq; verò soli hæc competunt requisita, ille solus est supremus controversiarum judex. Atqui, requisita hæc competunt soli Spiritui S. per scripturas nobiscum loquenti. Ergo.

59. 2. *Ab adiunctâ Scripturæ perfectione*: In fidei, religionis, & cultuum rebus, illud tantum, non solum pro normâ est agnoscendum, sed etiam judicis partes rectissimè sustinet, quod nec additionem, nec detractionem patitur, *Exod.25.v.40*. Atqui scriptura sacra, quæ est vox Spiritus S. neque additionem, neque detractionem patitur, *Deut.4. vers.2.cap.5, vers.32.c.12.v.31. Proverb.30. vers.6. Ezech.20.v.18*. Ergo.

60. *Frivolum & planè nugatorium est*, quod Pontificii objiciunt, prohibitionem istam tantum populum, & personas privatas spectasse. Nam 1. Prohibitio est indefinita, quæ pro conditione subjectæ materiæ æquipollet universali. 2. Moses universum alloquitur Israel, & non tantum *h*omines privatos, ut patet ex *Deut.* 4. 3. Imò magis spectat personas publicas, quam privatas, quia illarum custodiæ & propagationi doctrina est commissa.

61. Cave etiam dixeris cum *Gretsero pag. 36. Colloq. Ratisb.* prohiberi quidem additiones verbo Dei repugnantes, sed non consentientes, ut perhibentur traditiones, Ecclesiæ definitiones, & Patrum consensus. Nam 1. Deus est solus Dominus doctrinæ, religionis, & cultus. 2. Quicquid igitur additur ab hominibus verbo Dei scripto, vel tanquam dogma divinum, vel tanquam Articulus fidei, vel tanquam Dei cultus licet bonâ videatur fieri intentione hominum, repugnat tamen prohibitioni divinæ, adeoq; verbo Dei est contrarium. 3. Exempla hujus rei in scriptura passim sunt obvia. Sufficiat vel unicum illud Israëlitarum quatuor jejunia propriâ intentione instituentium, *Ier.25.4.Reg.25. Ezech.33.* Cum non legatur in Mose, quod non liceat jejunium injungere præter illud, quod instituitur, *Levit.23.v.27*. Sed graviter propterea reprehenduntur, *Zach.7.v.5.6.*

62. 3. *Ab*

62. 3. *Ab ipsius Spiritus S. authoritate.* Ad quod in religionis & cultuum negotio Spiritus S. nos remittit, & astringit, illud est certa, vera, ac sola controversiarum norma: Siquidem ipse in omnem deducit veritatem, *Ioh.16.v.13.15. Rom.8.v.14. Act.15 vers.28.* Atqui Spiritus S. in religionis negotio ad solam nos remittit, & astringit scripturam, eamq; tanquam normam Regibus, & Principibus unicè, & solicitè in religionis, & cultuum negotio commendat, *Deut.17..v.18. Ios.1.v.7.c.23.v.6. 3.Reg.2.v.3. 4.Reg.17.v.37. Esai.8. v.20. Ier.36.v.2.* & Ergo.

63 4 *A regula, secundum quam errores iudicantur:* Nam secundum verbum Dei scriptum quando inceditur, non erratur, *Ps. 119.v.9. Gal.6.v.15.* Ab hoc quando receditur, erratur, quacunque etiam fiat bonâ intentione, ut ostendunt exempla Gedeonis, *Iud. 8.v.27. Matris Michæ, Iud.17.v.33.* Jeroboami, *1.Reg.12.v.28.* Ergo verbum Dei est unica, & sola in religionis & cultuum negotio norma.

64 5 *Ab exemplis Sanctorum:* Sancti quovis seculo Scripturam sacram in religionis, & cultuum definiendorum negotio tanquam infallibilem normam sunt secuti, & auditores suos semper ad scripturæ normam revocarunt, ut Moses *Deut.27. v.26.c.31. v.9.* Josua jam senex *cap.23. v.2.* Josias *2.Reg.22.v.8. 3. Paral.34.v.24.* Josaphat, *2.Par.17.v.9.* Ezechias, *2.Par.30.v.16.* Esdra, *Neh.8.vers.1.* Esaias, *cap.8.v.19.* Christus ipse, *Matt.22.v.29.cap.23. Mar.9.v.12. Ioh. 5. Luc.10.v.25.26.* Apostolus Petrus, *Act.2.vers.15.* Stephanus, *Act.7.* Paulus, *Act.24.v.14.cap.26.v.22.1.Cor.15.v.3.* Johannes, *Apoc.22. v.18.* Ergo & nos eam, tanquam infallibilem normam agnoscamus, oportet. Imò ipsi Pontificii ab Ecclesia in controversia de potestate Papæ, ejusq; infallibilitate provocant ad scripturam.

65 6 Nullum igitur fundamentum præter id, quod positũ est, poni potest, *1.Cor.3.v.11.* 7. Ecclesia est ædificata super fundamentum hoc est, doctrinam Prophetarum & Apostolorũ sacris Bibliis comprehensã, *Eph.2.* nõ super traditiones Pontificias. Unde illa regula dicitur, quæ exivit in totum terrarum orbem, *Ps.19.v.5. Rom.10.v.18.* 8. Verbum Domini, & præcepta ejus, non traditiones humanæ appellantur *iudicia Domini.* 9. Scripturæ sacræ, non traditionibus humanis, tribuit Spiritus S. officium, vim & facultatem judicandi in rebus fidei & religionis, *Esa.6.v.3. Iob.5. v.45.c.12. v.48.*

*Rom.*2.*v.*12.*Apoc.*20.*v.*12.*Heb.*4.*v.*12. 10. Verbum enim Dei est à Deo inspiratum, & dictatum, ut in controversiis fidei & religionis infallibilis judicis officio fungatur, *Ex.*24.*v.*12. *Deut.*17.*v.*18.*c.*31.*v.*24. 4. *Reg.*22.*v.*13. *Luc.*1.*v.*2. *Rom.*15.*v.*4. 11. His rectè annumerantur Patrum testimonia. *Irenæus lib.*2.*c.*47. Habemus, inquit, *regulam* ipsam veritatem, & in apertum positum de Deo testimonium. *Augustinus super Psal.*23 Undecunque prolatum est Testamentum legatur. Quare litigas? fratres sumus. Quare litigamus? Non intestatus mortuus est pater, fecit Testamentum, & sic mortuus est. Mortuus est, & resurrexit.

66. At *inquis*, aliud est judex, & aliud norma: Scriptura sacra est quidem norma, verum particularis, sed non judex.

67. Resp. 1. Petitur principium: Scripturam enim non esse mutilam, & mancam, sed perfectam in subsequenti evincemus Disputatione. 2. Scriptura & norma est, & suo modo judicat, ut th.56. exposuimus. 3. De fidei igitur quæstionibus judicandum est secundum scripturam, tanquam normam: Et scriptura judicat, quia est vox supremi judicis, nempe Spiritus S. 4. Scriptura loquitur, & dicit, quis sit verus sensus. Non igitur est mutus judex. Nõne scripturæ dicit, *Rom.*4.*v* 3. Quid dicit scriptura Pharaoni, &c. *Gal.*4.*v* 30. Dictum est à Domino per Prophetam dicentem, *Matt.* 22.*v.*22. Audiant Mosen, *Luc.*16.*v.*27. 5. Est igitur verbũ Dei: Quẽadmodum enim, qui literas amici alicujus legit, mentẽ ejus, & sententiam facile percipit, etiamsi ipsæ literæ articulatã vocem minimè emittant: ita etiam scriptura sacra Dei est epistola missa ad genus humanum, in qua mentẽ atq; voluntatem suam satis perspicuè proponit. *Augustinus super Psal.*96. Quid est scriptura, inquit, sacra, nisi quædam Epistola omnipotentis Dei ad creaturã suam, in qua verba Dei sonant, & cor Dei discitur? Christus dicit, *Ioh.*12.*v.*48. Sermo, quem locutus, judicabit homines in die novissimo. Pronũciabit sententiam juxta Evangelium, quod ipse & Apostoli prædicarunt, *Rom.*2.*v.*16. Et hi sunt illi libri, qui aperientur, juxta quos mortui judicabuntur, *Dan.*7.*v.*10. *Apoc.*20 *v.*21. Quod verò assignatur verbo Dei in augustissimo illo judicio, num illud ei in hac vita denegare poterit?

68. *At inquis*, In omni Repub. bene constituta lex, & judex distinctæ res sunt, & lex quidem docet, quid sit agendum, judex le-

gem interpretatur,& secundum eam homines informat. Par igitur debet esse ratio in Ecclesia. Resp. 1. A foro poli ad forum soli non licet argumentari,& quidem in hoc casu: Nam judex politicus est author legum politicarum. Pro varietate igitur circumstantiarum mutare aliquid in suo potest decreto,imò propter probabilem aliquam causam de summo jure remittere; De scriptura verò sacra, eiusque interpretatione habemus mandatum ut neque addamus, neque auferamus aliquid,neque vel tantillum mutemus, *Deut.12. v.32. Apoc.22.v.18.* 2. Imò posito parem utrobiq; esse rationem,sic inferimus:Quando de sententia legis est quæstio, cõstat ne forensi iudici licere interpretari eam contra seipsam, sed legis sententiam ex ipsis eius verbis explicare. Hoc respectu iudex politicus non est supra,sed infra legem,imò ipse non est propriè iudex,sed legis,quæ iudicis vices sustinet,mentem tantum aperit. Ita si scriptura lex est, uti est, certè vi similitudinis huius ipsamet iudex erit, atque Papa se ipsi subiicere,& legi huic consentanea pronunciare districtus tenetur.

69. *Quaris quid sit causæ,quod altera litigantium pars se damnatam esse fateri nolit?* Resp. imputandum illud est non scripturæ, sed vel malitiæ, vel præconceptæ opinioni, vel sæpe etiam hominum infirmitati. 2. Et Diabolus,& Pharisæi,atque scribæ ad scripturam, à qua,& in qua damnabantur,provocabant.

70 Quæstio quinta: *Num Pontifex Romanus sit iudex controversiarũ sive solus definiat aliquid, sive cum Concilio generali?* Resp. 1. Pontifex Romanus est pars controversiæ. Ergo hunc inter Romanenses & Protestantes supremum iudicem constituere, nihil est aliud, quàm lupo ovem committere. Sic igitur inferimus: In summo,& infallibili iudice requiritur ut non ipsemet sit pars controversiæ. Atqui omnes orthodoxi idololatriæ, & falsorum dogmatum faciunt reum. Ergo in propria causa ipsi ne quidem à iure pontificio permittitur, uti patet ex causa, 4. *quæst.2. capit.3.* Et *quæst.4.cap.1.*

71 2. Summus pontifex iudicando errare potest,imò sæpè erravit.Ergo non est pars cõtroversiæ: Aaron summus Pontifex à Deo constitutus erravit vitulum aureum erigendo, & in eius locũ alium substituẽdo. Tempore Hieremiæ Põtifices cum universo Sacerdotum

tum collegio in doctrina erraruntq, qui ipsi quoq; se errare non posse gloriabantur, *Hier.7.& 8.* Caiphas summus Pontifex erravit aliquoties de Christo consilia agitando, eumq; ad mortē condemnādo. De Ahazio propter hæresin à Gelasio excommunicato videatur jus canonicum causa.24.qu.1.cap. Achazius. De Anastasio, quomodo communicarit cum Arianis legitur *Dist.19.c.8.9.* De Marcellino idololatra facto cōsulatur jus Canonicū, *Dist.31.v.7.* Papa Honorius fuit Monotheleta, & ob id nominatim in cōsilio Constantinopolitano damnatus. Papa Liberius attestante Platina hæresin Arianam fovit, & cum hæreticis in rebus omnibus sensit. Innocentius primus Eucharistiæ Sacramentum infantibus ad salutem necessarium esse statuit.

72 3 Fides nostra in illo acquiescit, quod habet infallibilē scripturæ sensum. At non innititur Pontifici, nec postremò in ipsum resolvitur. 4. A summo, & infallibili judice provocare nō licet. Atqui à Pontifice Romano ad alium judicem cōsentiente ipsa Ecclesia Romana provocatum est sæpissimè, Donatus provocavit à Pontifice Meltiade ad cōcilium aliquod etiam provinciale. Et si Pontificiis permissum est, provocare à scriptuta ad Patres ab his ad concilia, à conciliis ad Pontificem. Quidni potiore jure liceret provocare à Pontifice tanquam ab homine ad Deum ipsum in scripturis loquentem? Ergo.

73 5 Si Pontifex Romanus est summus omnium controversiarum judex, neque judicando errare potest, opus non erit, ut Romanenses in evolvendis Patrum libris, in congregandis conciliis in legendis scripturis, in fundendis precibus aliquid laboris, sumptus, & temporis insumant.

74. 6. Num Pōtificis decreta scripturæ sunt præferenda? Num Pōtificis major, q̄ scripturæ est authoritas. 7. Annón Pōtifex alterius partis cōtrovertentis studio ducitur? 8. Num Pontifex Romanus suâ authoritate transgressores ad jus & fas potest compellere? Fides nō hominū, sed Dei donū est. Nō igitur vi externa, non tyrānide inseri potest. Quemadmodum solus Deus intimos cordis recessus scrutatur: ita etiam animorum, atque voluntatum solus est moderator, *Deut.29.v.4. Ier.31.v.33. Act.16.v.14.* Quare interna coactio, q̄ ipsarū animarū impulsu cōstat, hoc loco intelligatur, oportet. Quâ cum Pontifex destruatur Romanus, supremus controversiarū Iudex esse nequit. FINIS.

DE PAPISMO

DISPVTATIO V.

Et quidem in ſpecie

DE

SCRIPTVRÆ SACRÆ PERFECTIONE ET TRADITIONIBUS.

IN QUA

Chriſto Duce & auſpice Chriſto

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS GISENII,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS,
ET ORDINARII IN INCLYta Academiâ Giſſenâ
Profeſſoris,

RESPONDEBIT

HENRICUS HENEKIUS SCHAWENburgicus.

In Auditorio Theologico ad diem 26. Novemb. horis antemeridianis & pomeridianis.

GIESSÆ,
Typis Caſparis Chemlini.

ECCe annos CentVM LVCent bona sCrIpta LVtherI.

DISPUTATIO QUINTA.

DE SCRIPTVRÆ SACRÆ PERFECTIONE ET TRADITIO-nibus.

THESIS I.

SCRIPTURAM ſacram non eſſe judicem controverſiarum, vel inde ſtatuunt Pontificii, quod ſit mutila, & imperfecta, & non contineat omnia ad ſalutem neceſſaria. Itaque cum egerimus de controverſiarum judice; Scripturæ ſacræ perfectio eſt oſtendenda.

2 Statum verò Controverſiæ ad duo revocamus capita, ſeu ad duas quæſtiones, quarum prior eſt de Scripturæ perfectione; Poſterior de Traditionibus.

3 Quæſtio prima: *Vtrum Scriptura ſacra ſit mutila, manca, & imperfecta non continens omnia, quæ ad ſalutẽ, modumq; pie vivendi pertinent; an verò ita ſit perfecta, ut omnia contineat, quæ ad ſalutẽ, modũq; piè viuendi ſunt neceſſaria?* Reſp. *Bellarminus libr. 4. de verbo Dei non ſcripto c. 3.* Aſſerimus, inquit, in Scripturis non contineri expreſsè totam doctrinam neceſſariam ſive de fide, ſive de moribus: Et proinde præter verbum Dei ſcriptum requiri etiam verbum Dei non ſcriptum. *Eckius in Enchir. Tit. de ſcripturis Propoſ. 1. pag. 38.* Non omnia tradita ſunt manifeſtè in ſcripturis, ſed quàm plurima Eccleſiæ (quæ à Spiritu S. illuſtratur, & gubernatur, & ob id à veritatis tramite errare nequit) determinanda relicta ſunt. *Coſterus in Enchiridio pag. 47.* Dicendum, ait, omnia fidei myſteria cæteraque creditu, & ſcitu neceſſaria, in corde Eccleſiæ eſſe clariſſimè exarata, in membranis

branis tam Novi, quam Veteris Testamenti multa desiderari. Videatur etiam *Canisius in opere Catechet. pag. 126. 160. Theologi Bavarici per totum ferè Colloquium Ratisbonense. Iesuitæ Colonienses, pag. 220. Censuræ.*

4. Contrà docent Protestantes, *Scripturam sacram esse perfectam, omnibus numeris ita absolutam, ut contineat omnia, quæ ad salutem, fidem, & modum piè vivendi pertinent.*

5 Assertionem hanc confirmaturi hypotheses quasdam considerandas exhibemus. *Hypothesis prima*: Totum est vel integrale vel essentiale. Seu: Totum dicitur vel secundum perfectionem quantitatis integralis, vel secundum perfectionem essentiæ suæ: singuli libri canonici possunt quidem dici perfecti perfectione propriæ essentiæ, sed non perfectione quantitatis integralis. Quamvis enim habeant suam sufficientiam, non tamen habent totius sufficientiam.

6 *Hypothesis secunda*: Quando scripturam dicimus sufficientem, & omnibus numeris perfectam, intelligimus libros sacros non separatim, sed conjunctim sumptos, hoc est, intelligimus totum scripturæ Canonem, qui singulis temporibus pro statu Ecclesiæ fuit sufficiens. Canon igitur, qui extabat tempore Mosis, tunc temporis fuit sufficiens. Quando accessiones sunt factæ, potest dici plenius sufficiens: Et accessionum earum considerandus est & author, & materia. Factæ sunt voluntate Dei; & continent non novam doctrinam, non novum cultum, sed prioris uberiorem explicationem.

7 *Hypothesis tertia*: Sufficientia igitur sua est totius canonis, & sufficientia sua singulorum librorum in toto canone, sicut sua est sufficientia totius, & sua partium in toto. Sufficientia igitur est duplex, totius & partis: singuli libri habent sufficientiam non totius, sed partis, habēt sufficientiam nō integri canonis, sed suam. Sufficiunt igitur non quidem sufficientia essentiali totius, sed sua sufficientia particulari, ad quam sunt à Deo ordinati.

8 *Hypothesis quarta*: Qui libri perierunt, vel non fuerunt canonici, vel eorum doctrina, & substantia habetur in libris, qui jam extant: Nam Dei voluntate perierunt, quotquot perierunt. Si igitur Deus, cui nostra salus est curæ, prævidisset aliquam ex istis libris

libris ad nos utilitatem redundaturam interire eos non permisisset, cum sit summè misericors, omnipotens, & omniscius.

9 *Hypothesis quinta*: Quare Scripturam sacram dicimus esse perfectam non respectu omnium, & singularum concionum Apostolicarum, neque respectu omnium factorum Prophetarum, Christi & Apostolorum; sed respectu eorum omnium, quæ ad salutem, modumq; piè vivendi sunt necessaria.

10 Nam 1. Quæ scriptura ab ipso Domino nobis est proposita, ut eam unicè scrutemur, & in qua vitam habemus æternam ea est perfecta. Atqui scriptura sacra nobis ab ipso Domino est proposita, *Exod.20.v.1.cap.24.v.4.* Et passim alibi: Dei enim mandato & ex proposito, scripserunt Prophetæ, & Apostoli, ut Disp.3. ostendimus: Proinde ut eam unicè scrutemur, præcipitur, *Ioh.5. vers.39. Luc.16.v.29. Act.17.v.11.* Et in ea habemus vitam æternam, *Ioh.5.v.39 c.20.v.31.* Ergo ad vitam æternam est sufficiens: si quædam necessaria in ea desiderantur, nequit ad salutem esse sufficiens, & in ea non habemus vitam æternam.

11 2 Cui scripturæ nihil licet addere, nihil detrahere, ea est perfecta, & ad salutem æternam sufficiens. Atqui scripturæ sacræ nihil licet addere, nihil detrahere, *Deut.4.v.2.cap.12.v.32. Prov. 30.v.6. Apoc.22.v.18.* Ergo. Et si Judæis propria authoritate, etiamsi id bona fieret intentione, nihil licuit addere multò minus nobis, quippe qui universam salutis doctrinam longè habemus clariorē.

12 Insurgit *Bellarminus, pag.238. dictum, Deut.4.* & 12. intelligendum esse, inquiens, non de Verbo Dei scripto, sed de verbo viva voce ttadito: quia scripturæ tunc non extabant: Et Moses dicit, quod præcipio tibi, non quod scribo.

13 Resp. 1 *Exod.24.v.4.* legitur: Scripsit Moses omnia verba Jehovæ. Falsum igitur scripturas nondum fuisse editas, cum diceret illa in Deut. Moses. 2. Verbum Dei & scriptura realiter sunt idem, differunt tantum accidentaliter: Nam Scriptio & pronunciatio verbi sunt accidentia. 3. Annón quod scriptum est, etiam præcipitur?

14 *Instat Iesuita*, In hoc, quod principio, nihil mutabitis addendo, vel minuendo, sed integrè facietis, ut jubeo, & non aliter.

Non igitur vult dicere, non servabitis aliud, quam nunc præcipio sed falsas interpretationes reprehendit.

15. Resp. 1. Docet Moses doctrinam suam ita esse perfectam, ut nihil ei ab hominibus proprio instinctu sit addendũ. 2. Falsas igitur interpretationes reprehendit quidem, sed non tantum. 3. Libris Mosis alii quidem sunt additi, sed voluntate divina, non humana.

16. 3 Quam scripturam Spiritus S. prædicat perfectam, ea perfecta sit oportet. Atqui scripturam sacram prædicat Spiritus S. perfectam, *Psal.* 19. *v.* 8. Lex Jehovæ perfecta est. Ergo.

17. 4. Extra & præter Scripturam sacram Apostoli nihil docuerunt, *Luc.* 24. *v.* 27. *Act.* 17. *v.* 11. *c.* 26. *v.* 22. Ergo Scriptura sacra respectu ipsius doctrinæ & cultus est perfecta, aut Apostoli salutis viam non sufficienter monstrarunt.

18. 5 Perfectum est, cui nihil eorum, quæ adesse debent, deest. Atqui Scripturæ sacræ nihil eorum, quæ adesse debent, deest. Ergo est perfecta. Minoris probatio hæc est: Scriptura enim sacra sufficienter docet medium salutis, nempe fidem, qua justificamur, ejusq; objectum, *Ioh.* 20. *v.* 31. *Act.* 10. *v.* 43. *Rom.* 3. *Gal.* 2. *&* 3. 1. *Ioh.* 1. *v.* 2. Ergo ad salutem est sufficiens, eiq; nihil eorum, quæ adesse debent, deest.

19 Obstrepit *Bellarminus scribens p.* 241. Loquitur Johannes de Miraculis Christi, ac dicit, se scripsisse tantum aliqua miracula, non omnia, quia illa faciebant ad persuadendum mundo, Christum esse Filium Dei.

20. Resp. 1. Miracula fidem propriè non gignunt, sed genitam potius confirmant, ejusq; sunt fulturæ. 2. Rectè versiculi, 30. *&* 31. distinguuntur versiculo 30. agit Johannes de miraculis. versiculo 31. Potius de doctrina agit, quàm de miraculis, docétque per Scripturam fidem in nobis excitari. Epilogus igitur iste duo docet, tùm non omnes historias, conciones, ac miracula Christi hîc comprehensa esse; tùm in quem finem hæc scripta sint, atque sic totius scripturæ sacræ primarius indicatur finis. 3. *Cyrillus dicit lib.* 12. *in Ioh. c.* 68. Non omnia, quæ Dominus fecit, conscripta sunt, sed quæ scribentes tam ad mores, quam ad dogmata putarunt sufficere: ut recta fide, & operibus, ac virtute rutilantes, ad regnum cœlorum perveniamus in Domino nostro Jesu Christo.

20. *Quæris, cur non omnia miracula sint consignata?* Resp. quia Spiritus S. noluit omnia conscribi. Rationem addit Johannes non remittens nos ad scrinium pectoris Pontificis Romani quidvis pro lubitu titulo traditionum in Ecclesiam eructantis; Sed ad beneficium Spiritus S. & nostram imbecillitatem, quia, inquiens, mund⁹ non caperet, intellige non de mole librorū, & locali capacitate, sed de nostra imbecillitate: Spiritus S. ad nostram infirmitatem se demittens ea selegit, & conscribenda dictavit, quæ capere possumus, & quæ ad veram & salutē sufficiunt. At, quærit *Andradius, num reliqua miracula fuerint otiosa?* Resp. 1. expostulet cum Spiritu S. 2. Otiosa nō fuerunt, quando Christus conciones habuit: Doctrina enim ipsa miraculis erat confirmanda. 3. Huius summa cum sufficienter confirmata esset, Dei mandato & voluntate conscripta est.

21. *Instat Bellarminus*, Johannes non loquitur, *inquiens pag.* 241. nisi de rebus à se scriptis. Ergo si illæ sufficiunt, superfluæ erunt omnes aliæ scripturæ.

22. Resp. 1. Si ex solius Johannis Evangelio possumus fidem & salutem æternam consequi. Ergò multò magis eam consequi poterimus ex omnibus libris sacris coniunctim sumptis. 2. Superfluæ non sunt scripturæ reliquæ, quia Deus clarius populum suum sub Evangelio docere voluit, quam sub lege, cuius involucra sunt sublata. 3. Johannes omnes viderat Evangelistas, & ultimo loco scribebat. Ergo non de sua tantum scriptione, sed de reliquorum etiam Evangelistarum scriptis, Johannes hæc loquitur, & vult intelligi. Nam Johannem non latebat, quid reliqui Evangelistæ scripsissent. Quis dixerit, ipsi propositum fuisse, eorum scripta abolere? Num eorum narrationem à sua separet? Impius, & blasphemus erit, qui id statuerit. Conclusione igitur hac & sua, & reliquorum Evangelistarum scripta confirmat, ut & eam pia antiquitas interpretatur.

23. 6. Quæ scriptura est mensura, regula, & canon omnis divinæ veritatis, ea est plena, perfecta, & adæquata rei mensuratæ. Atqui Scriptura sacra est mensura, regula & canon omnis divinæ veritatis, *Deut. 4. vers. 2. cap. 12. v. 32. Esa. 8. vers. 20 Gal 6 vers. 16. 1 Tim 6. vers. 3. Durandus in Prologo sentent.* Mensura, inquit, in duobus consistit, videlicet, ut non subtrahatur fidei, quod

quod sub fide est, nec attribuatur fidei, illud quod sub fide non est. Utroque enim modo mensura fidei exceditur, & à continentia S. scripturæ, quæ fidei mensuram exprimit, deviatur. *Andradius libr. 3. Defens. concil. Trident.* Minimè mihi illorum, inquit, displicet sententia, qui (scripturas) ideò canonicas appellari dicunt, quòd Pietatis, fidei, & religionis canonem, hoc est, regulam, atq; normam è cœlis summo Dei beneficio ad nos delatam contineant. Ergo.

24 Nihil juvat *Bellarminum* distinctio inter fidei mensuram totalem & partialem, *lib. 4. c. 12.* Nam aliud est mensura, & aliud mensuratum: Mensura omnis est perfecta, etiamsi id, quod mensuratur, sit pars, vel alterius cujusdam totius species: *Photius apud Oecum. in cap. 3. ad Phil.* Si è canone, inquit, aliquid abstuleris, vel ei aliquid addideris, totam regulam corrupisti. *Chrysostomus Hom. 12. in Epist. ad Philip.* Regula, ait, nec addi sibi quicquam, nec demi sustinet: alioquin hoc ipsum, quod regula est, amittit. Definitionem Canonis hanc tradit *Varinus*, μέτρον ἀδιάψευστον, πάσαν περιέχον, καὶ ἀφαίρεσιν μηδαμῶς ὑποδεχόμενον, hoc est, Canon est talis mensura quæ non fallit, neque ullam vel additionem, vel detractionem admittit.

25 7 Quæ scriptura hominem perficit, & ad omne opus bonum perfectè instruit, illa imperfectionis non est arguenda: Effectus enim perfectus nonnisi à perfecta dependet causa. Atqui scriptura sacra hominem perficit, & ad omne opus bonum perfectè instruit. 1. *Ioh. 2. v. 5.* Et 2. *Tim. 3. v. 14. 15. 16* 17 Tu maneto in illis, quæ didicisti, & quæ tibi concredita sunt, sciens, à quo didiceris: quia ab infantia sacras scripturas nosti, quæ te possunt sapientem reddere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Jesu. Omnis enim scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.

26 Locus iste cum vel solus perfectionem scripturæ manifestissimè arguat, ideò & diligentem considerationem meretur. Primò igitur considerandum est ipsum *subiectum seu Antecedens* propositionis hujus, quod est (*omnis scriptura*) Particula illa sumitur hoc loco non *distributivè*, ut contendunt Jesuitæ, de singulis libris, singulisque capitibus, periodis ac sententiis; Sed *collectivè* de toto corpore

corpore librorũ canonicorum, qui tunc extabant. Loquitur enim Apostolus de tali doctrina, refutatione, correctione, & institutione, ex qua homo Dei evadat perfectus, & ad omne opus bonum perfectè instructus, ita quidem, ut non unius, aut alterius hæreseos, sed omnium refutationem calleat, utque non unius, aut alterius, sed omnium Articulorum fidei doctrinam teneat, ut denique non ex semisse, sed ex asse omnium virtutum institutionem, & vitiorum correctionem noscat. Hoc verò non unus aut alter liber; Sed utriusque Testamenti præstat Scriptura. Secundò sub considerationem venit prædicatum, seu consequens, *(divinitus inspirata)* nimirum non tantum ratione causæ efficientis; Sed etiam ratione efficaciæ sive virtutis. Hinc ita inferimus: Quæ scriptura nobis ab ipso Deo est inspirata, illa nequit esse imperfecta: locũ enim hoc loco illud habet tritum: *Qualis causa talis effectus*: Efficiens autem causa Scripturæ longè omnium est perfectissima. Nam Scriptura divinitus est inspirata. Ergo. Tertiò considerandus venit finis, qui est remotior, vel propinquior. Remotior est quadruplex: *Ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum.* Unde ita argumentamur: Finis perfectissimus, & omnibus numeris absolutus dependere nequit, nisi ab eo, quod omnibus numeris est absolutum. Atqui finis ille quadruplex est perfectissimus, quia præter illos enumeratos fines nihil potest dari, quod ad salutem faciat. Ergo. *Remotior finis* his continetur verbis: *Vt homo Dei sit perfectus ad omne opus bonum absolutus.* Per hominem Dei intelliguntur quidem principaliter Ministri Ecclesiæ; Sed consequenter quilibet fidelis. Atgumentamur hinc hoc modo: Quicquid ita erudire debet hominem, ut eum reddat perfectum, illud perfectum sit oportet. Atqui Scriptura sacra ita erudire debet hominem. Ergo. Ex textu græco, in quo legitur, quæ possunt te sapientem reddere ad salutem ita inferimus: Ubicunque est sapientia, & quidem ad salutem sufficiens, ibi summa est perfectitudo, nisi dicere volueris summam scientiam cum insciția esse conjunctam.

27. Verùm classicum illum locum, qui vel solus pro Scripturæ perfectione militat, totis viribus oppugnant Pontificii: Sufficienter, inquiunt, Scriptura instruit, & perficit hominem Dei, quia

multa expresè continet, & quæ non continet, ostendit, unde sint petenda, *Bellarminus pag* 242 *Canus lib* 3 *cap. ult.*

28. Resp. 1. Epistola ad Thessalonicenses nonnulla expresè proponit, remittitque eò unde reliqua sunt petenda, quando dicit: *Tenete traditiones.* Sic liber Josuæ, Ruth, & alii. 2. Spiritus S. voluit, ut plenissimè erudiremur ad vitam; ideò nec unico, nec duobus scriptis Dei voluntatem nobis proposuit.

29. *Stapletonus lib* 12 *cap.* 8. non de tota, sed de omni Scripturâ sententiam Apostoli explicandam esse contendit. Subscribit *Bellarminus, p.* 242. Cum dicit omnis Scriptura, inquit, non solũ toti corpori Scripturarum, sed etiam singulis libris tribuit eam laudem, quod utiles sint ad docendum, arguendum, &c. Particula igitur, *Omnis*, non collectivè, sed distributivè est accipienda.

30. Resp. 1. Particula, *Omnis*, sæpe ita usurpatur in Scriptura, ut idem denotet, quod *tota*, ut *Act.* 20. *v.* 27. Paulus dicit, se annunciasse πᾶσαν τὴν βουλὴν τοῦ θεοῦ. Omne consilium Dei, id est totum. *Col.* 2. *v.* 9. In ipso inhabitat πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος, in ipso inhabitat omnis plenitudo Deitatis, id est tota. 2. *Thess* 1. *vers.* 11. Ut compleat πᾶσαν εὐδοκίαν, id est totam. *Eph.* 4. *vers.* 16. coagmentatur πᾶν τὸ σῶμα totum corpus. *Rom.* 4. *vers* 16. Firma sit promissio παντὶ τῷ σπέρματι firma sit promissio toti semini *Matth.* 3 *vers.* 5. πᾶσα ἡ Ἰουδαία, καὶ πᾶσα ἡ περίχωρος τοῦ Ἰορδάνου tota Judæa, & tota regio circa Jordanem. *Luc.* 21. *v.* 38. Ventitabat ad eum πᾶς ὁ λαὸς totus populus. 2. Quod verò particula illa hoc loco necessariò sit intelligenda non distributivè, sed collectivè, nõ de singulis libris, particulis, & membris librorũ; sed de libris canonicis conjunctim sumptis, ex ipso textu Paulino evincimus. Nam Apostolus dicit, Timotheum à puero in scripturis fuisse exercitatum, & ad eam Scripturam Timotheum remittit. At ille non in uno aliquo libro, non in unâ aliquâ particulâ ab infantiâ erat versatus; Sed in totâ Scripturâ canonicâ Ergo. 3. Quamvis nõ eamus inficias quodlibet Scriptum canonicũ utile esse ad docendum, arguendum, ad corripiendum, ad instituẽdum: attamen cum Apostolus loquatur de tali doctrinâ, refutatione, correctione, & institutione, ex qua homo Dei evadat perfectus, & ad omne opus bonum bene instructus, ita ut non unius aut alterius, sed omnium articulorum doctrinam teneat, non unius aut alterius hæreseos, sed omnium refutationem calleat; ideò particulâ

illam universalem, *Omnis*, non distributivè de singulis Scripturæ canonicę partibus seorsim, consideratis, sed collectivè de toto corpore accipiendum esse evidenter concludimus. 4. Quare *Dionysius Carthusanus*: *Omnis*, inquit id est, *tota scriptura canonica.*

31. Instat *Bellarminus*, *pag.* 243. disputat, inquiens Apostolus ab universali ad particulare nempe: *Omnis* Scriptura divinitùs inspirata est utilis. Ergo V. Testamentum est utile: De V. Testamento igitur sententia hæc est accipienda, & non de tota Scriptura, quia cum Timotheus esset infans, N. Testamentum nondum extabat.

32. Resp. 1. Quæstio Apostoli hæc est: Timotheus diligenter legat Scripturam: confirmat eam primò ab efficiente, quia divinitùs est inspirata. Deinde à quadruplici fine quia & utilis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in justitia. Non igitur argumentatur à genere ad speciem, ab universali ad particulare. 2. Falsum est, quod dicit *Bellarminus*, Timotheum remitti ad Veteris, & non ad Novi Testamenti scripta, quæ nondum viderat. Nam 1. confunditur ætas infantilis cum ætate juvenili. 2. Adjungit Timotheus sese Apostolo Paulo comitem, *Act.* 16. *v.* 3. 3. Imò Epistolas posteriorem ad Corinthios, ad Philippenses, Colossenses, utrumq; ad Thessalonicenses Chirographo suo confirmavit. Ergo eas omninò vidit, & legit. 4. Falsum itidem est, & cum accuratiore θεολογίᾳ manifestè pugnat tempore scriptæ hujus epistolæ nullos Novi Testamenti extitisse libros. *Irænæus refert*, *lib.* 3. *c.* 1. Matthæum suum scripsisse, ac edidisse Evangelium eo anno, quo Paulus Ecclesiam Romanam plantaret: incidit id in annum Christi 54. Secundum *Eusebium verò lib.* 3. *c.* 4. publicatio illa facta est anno Christi. 41.

33. Sic testis est idem *Eusebius lib.* 3. *c.* 4. & 21 Evangelium Lucæ editum esse græco sermone anno Christi 52. Evangelium verò Marci, eodem referente *Eusebio libr.* 2. *cap.* 15. conscriptum est anno Christi 61. Acta Apostolorum anno Christi 63. Posteriorem verò ad Timotheum ab Apostolo omnium postremò scriptam esse testantur omnes historici, & quidem anno Christi 68, eo nimirum anno, quo Paulus iterum Romæ sistebatur Neroni, ut ille ipse testatur, *cap.* 4. *vers.* 23. At hoc ipso anno martyrio fuit affectus,

teste *Eusebio lib.* 3. *c.* 25. Irrefragabiliter igitur inde inferimus, reliquas Pauli Epistolas singulas, & universas tunc temporis modò extitisse, ac proinde aphorismum etiam istum Apostolicum non tantùm libros Veteris, sed & scripta N. Testamenti, tanquam θεόπνευστα notare. Assertio hæc ex hac epistola, 2. *Tim.* 1. *v.* 13. confirmatur: Nam Apostolus Timotheum ablegat ad ea scripta, quæ jam acceperat, formam, inquiens sanorum verborum habe, quæ à me audivisti, præclarum illud depositum serva,

34. *At inquit Bellarminus pag.* 242. Cum hæc Epistola scriberetur, nondum exstabat, Apocalypsis, nec Evangelium Johannis. Ergo non loquitur Apostolus de toto corpore scripturarum.

43. Resp. 1. Apostolus loquitur universaliter de libris divinitus inspiratis: Nominat enim Apostolus omnem scripturam, eamque divinitus esse inspiratam prædicat: Nota hac universalitatis aut comprehendit omnes libros, qui & jam modò inspiratione Dei erant consignati, & qui progressu temporis ejusdem instinctu conscribi, & in publicum proferri poterant; Aut consequens fuerit libros istos non esse divinitus inspiratos, & non esse eos cum reliquis ejusdem authoritatis, & perfectionis. At pugnat hoc cum Majestate librorum N. Testamenti. Relinquitur igitur Apostolum universalitatis notam extendere noluisse ad omnes libros divinitus inspiratos, etiam eos, qui progressu temporis canoni potuerunt adjici. 2. Qui libri progressu temporis fuerunt ab Apostolis conscripti, non novos continebant fidei articulos, nec novam doctrinam, sed prioris explicationem.

35. Deniq; ridet *Bellarminus* argumentationem hanc: Utilis est scriptura. Ergo est sufficiens.

36. Resp. 1. Ridet Bellarminus illationem suam non nostram, & pugnat absque adversario: Nos enim non simpliciter argumentamur ab utilitate ad sufficientiam; Sed à magnitudine utilitatis hoc est, ab utilitate non partiali, sed totali, sive ab enumeratione istarum utilitatum, quæ sufficiunt ad vitam æternam: Exinductione omnium partium absolutissimæ, & sufficientissimæ utilitatis, evincimus absolutissimam ipsarum scripturam perfectionem. 2. Logici docent propositiones universales affirmativas rectissimè converti per accidens retenta qualitate, sed mutatâ quantitate.

Itaque

Itaque licet nõ omne utile sit sufficiens, tamen cum constet, omne sufficiens esse utile; utique vi conversionis per accidens, quoddam utile erit sufficiens, & tale utile est scriptura, idque ex sufficienti inductione quatuor enumeratorum finium certissimè colligitur.

37. Excipit *Bellarminus*: Quemadmodum, inquiens, non sequitur, omnes perfecti & sancti viri faciunt bona opera. Ergo quisquis facit bona opera sanctus est, & perfectus: Ita neque hæc conversio locum obtinet: Omne sufficiens est utile. Ergo quoddam utile est sufficiens.

38. Resp. 1. In materia contingenti non simpliciter universalem affirmativam convertendam esse concedimus, sed tantum per accidens, hoc modo: Omnes perfecti, & sancti faciunt bona opera. Quidam igitur qui faciunt bona opera sunt sancti, & perfecti. 2. Imò opera verè bona non fiunt, nisi fide. Fides verò non est absque sanctitate & perfectione. In materia igitur hac verè necessariâ conversio simplex locum habet.

39. Quæ cum ita sint, commendamus sententiam hanc *Chrysostomi Homil.41. in caput.22. Matt.* Quicquid quæritur ad salutem, totum jam impletum est in scripturis. Qui ignarus est, inveniet ibi, quod discat. Qui contumax est, & peccator, inveniet ibi futuri judicii flagella, quæ timeat. Qui laborat inveniet ibi promissiones vitæ perpetuæ, quas manducando amplius excitetur ad opus. *Idem Homil.1. in Epist. ad Titum*: Omnia Evangelium continet, præsentia & futura, honorem, & pietatem, fidem, simul omni prædicationis verbo concluſit. *Idem Homil. in Epist. ad Coloss.* Comparate vobis Biblia animæ pharmaca. Si nihil aliud vultis, vel novum Testamentum acquirite, Apostolorum Acta, Evangelia, continuos ac sedulos Doctores. Si acciderit mœstitia, huc veluti ad apothecam pharmacorum incumbe. Hinc tibi sume solamen mali, sive damnum evenerit sive mors, sive amissio domesticorum: Imò non incumbe solùm, sed assume omnia, menteque illa contine. *Basilius in Hexa. Damascenus lib.1. Ort. fidei cap.1.* Sacra Scriptura ea tradit, quæ ad animarum extructionem nostrarum, commodumque spectant. Ea autem quorum pondus ferre non valemus, silentio occultavit. *Gregorius Nazianzenus, lib.5. Theolog.* Quæ colliguntur ex Scripturis sacris, perinde habenda sunt, ac si in illis scripta essent.

40. Contrà manifestam hanc veritatem variis modis insurgunt ipsi Pontificii ab inductione quorundam exemplorum potissimum argumentantes, & inde Scripturam imperfectionis arguentes. *Bellarminus pag.* 213. Tempore Testamenti V. sine dubio, ait, non minus fœminæ, quàm viri remedium aliquod habebant, quo à peccato originali purgarentur. At nuspiam illud tradit Scriptura.

41. Resp. *Lombardus lib.* 4. *distin.* 1. *lit.G.* opinatur eandem vim in fœminis habuisse fidem, ac piam operationem, quàm habuit circumcisio in viris: proinde justificatas eas esse, licet Sacramento caruerint. Alii sanctificatas eas fuisse per sacrificia, & oblationes censent. Quidam circumcisionem masculorum eundem usum fœmellis præstitisse, quem ipsis masculis docent: Quare licet circumcisæ in carne non essent: tamen vis circumcisionis, ajunt, ad illas pertingebat. Explicant id alii hoc modo: Fœminæ in circumcisione virorum consecrabantur. Fœmina enim tanquam pars quædam viri habita est, bonorumque omnium particeps, ac socia fuit: Innuptæ igitur fœminæ ad parentes suos; Nuptæ verò ad maritos pertinebant. Nonnulli generaliter respondentes, remedium illud, inquiunt, fuisse meritum Christi, quod retrò sit operatum ad fœmellas, etiam in Vetero Testamento. Mundatæ igitur, ajunt, sunt virtute promissionis. Nam sub semine Abrahami etiam fœmellę sunt comprehensæ.

42. Verùm cum de remedio illo altissimum sit silentium in scriptura, & illud scire non sit necessarium ad salutem, ideò nec scriptura imperfectionis est arguenda, licet remedii illius nullam expressam faciat mentionem.

43. At aliud ipsi exhibent considerandum exemplum: Beatam Mariam, ajunt, semper post partum mansisse virginem, non habetur in Scriptura. Atqui hoc est credendum. Ergo aliquid, quod est credendum non habetur in Scriptura, *Eckius in Enchirid. pag.* 37. *Bellarminus pag.* 215. *Theologi Bavarici in Coll. Rati. pag.* 265. *Pistorius, pag.* 34.

44. Resp. Committitur error ex confusione plurium quæstionum: Distincta enim sunt, quærere de tempore ante partum, in partu, & post partum. Certum est, Mariam ante partum, & in partu mansisse

manſiſſe virginem,& qui illud negat,hæreſin ſpargit. *Eſaiæ c.7.v.14.* legimus:Ecce virgo concipiet,&pariet filium.Ergo in conceptu,& partu manſit virgo: Alioqui non virgo, ſed uxor peperiſſet, uti rectè colligit *Epiphan.lib.*1.*Tom.*2. *hæreſ.*28. Sic *Ierem.cap.*31.*v.*22. Dominus creabit *novum* ſuper terram, fœmina circumdabit virũ. Si de naturali conceptione ageret Propheta,non dixiſſet,Dominus creabit *novum*,uti rurſus colligit Epiphanius. Et quoties Scriptura Chriſtum nominat ſemen mulieris, ſine virili ſemine ipſum ſecundum carnem conceptũ,& natum eſſe docet.Accedit,quod ſi Maria mediante virili ſemine concepiſſet,& peperiſſet,nihil opus fuiſſet peculiari illa Spiritus S.obumbratione, & virtute altiſſimi. Denique ipſa Maria virginitati ſuæ perhibet teſtimonium, quomodo, inquiens,fiet iſtud,quoniam virum nõ cognovi, *Luc.*1.*v.*34. Alteram quæſtionem, nimirum quod poſt partum Maria manſerit virgo, probavit Hieronymus ex ſcriptura. 1. Quia ſcriptura ſic definit, *Eſai.*7.*v.*14.& *Matt.*1.*v.*25. De Joſepho Mariæ Sponſo ſic legitur, non cognovit eam,donec peperit filium ſuum primogenitum,hoc eſt nunquam. Eadem enim vis eſt propoſitionis hujus, quæ illius, *Gen.*8.*v.*7. Non rediit corvus donec ſiccaretur terra, hoc eſt, nunquam.Et illius *Matt.*28.*v.*20.Ego ſum vobiſcum uſque ad conſummationem ſeculi, Item *Pſal* 110.*v* 1. Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Unde nata eſt regula:Particula donec ita negat præteritum, ut non ponat futurum, *Nazianzenus dicit Orat.*2.*de Filio:* ἄρχι καὶ ἕως ὁ πάντως οὐκ διαιρεῖται τῷ μέλλοντι ἀλλὰ τὸ μέχρι μὲν τῶδε τί ἦσι, τὸ μετὰ τοῦτο δὲ οὐκ ἀναίνεται. Particula donec, vel uſque non ponitur ad diſtinctionem futuri temporis: Sed ponit illa quidem quouſque verum tempus, quod ab eo ſequitur,non inficiatur. 2.quia ſcriptura nuſquam affirmat, uſam eam eſſe conſvetudine conjugali: Ubi verò Scriptura tacet, ibi refutare videtur. 3. Quia Majeſtas conceptionis, & nativitatis Jeſu Chriſti ex Maria virgine oſtendit,corpus Mariæ virginis conceptioni & nativitati æterni, & unigeniti Filii Dei conſecratum eſſe. 4. Huc referri ſolet locus *Ezech* 44.*v.*2.Porta hæc clauſa erit: non aperietur, & vir non tranſibit per eam; quoniam Dominus Deus Iſraël ingreſſus eſt per eam,eritque clauſa Principi.

540 Verùm poſtrema hæc quæſtio refertur quidẽ ad fidem

genera-

generalem ob rationes scripturæ consentaneas, & ex eâ per bonas consequentias depromptas; Sed non ad fidem justificantem: Siquidem ad articulum de incarnatione, & nativitate filii Dei non necessariò pertinet virginitas Mariæ post partum; Quæ causa est, quod *Basilius Homil. de Nativ. Christi*, statuit haud scrupulosè de hac quæstione esse litigandum.

46. At instant Pontificii: Celebratio Paschatis est cultus divinus. Atqui Ecclesia præcipit observationem Paschatis. Ergo inferunt, Ecclesia præcipit aliquem cultum divinum, videatur, *Theol. Bavar. in Colloq. Ratis. p. 264. Bellarminus pag. 215.*

47. Resp. Confunditur morale cum ceremoniali, observatio festi Paschatis cum exercitio divini cultus: Illa est libertatis Christianæ; hæc non item. Seu distinguimus inter resurrectionem Domini, & inter tempus ipsum, quo ejus consideratio solemniter fieri debet. Resurrectio ipsa est fidei Articulus, imò reliquorum fidei articulorum fundamentum teste Apostolo, 1. *Cor.* 15. Hujus igitur notitia nobis non nisi ex scriptis propheticis & Apostolicis innotescit, & luculentissimè elucescit. Tempus verò solennitatem paschalem celebrandi adiaphoris præeunte Scripturâ, annumeramus, *Coll.* 2. *v.* 16. Nemo vos judicet in cibo aut potu, aut parte diei festi. Nihil igitur circumstantia hæc facit ad fidem, & salutem: Neque etiam hæreticus statim proclamandus esset, qui diversum statueret: Quemadmodum sanè orientales Ecclesiæ hoc nomine à nemine reprehensæ leguntur, quæ ex antiqua consuetudine pascha celebrarunt 14. Lunâ, sive esset dies Dominicus, sive alius: Et Quartadecimani non leguntur hæreseos insimulati, sed tantum schismatis teste Epiphanio hæresi 50. cujus hæc sunt verba: Quartadecimani omnia habent ut Ecclesia: Aberrant autem eò, quod doctrinæ ritum non attendant.

48. *Pergunt Pontificii ad offuscandam veritatem, alia in dubium vocare*: credere, inquiunt, oportet Baptismum parvulorum esse ratum. Id autem ex solis scripturis probari non potest. Ergo. *Bellarminus pag.* 215. *Theologi Bavarici in colloq. Ratisb. pag.* 306. Quotquot in scriptura, inquiunt, inveniuntur, loca de Baptismo nulla fit in illis mentio parvulorum: quin si præcisè staremus verbis scripturæ sepositа

posità authoritate Ecclesiæ, contrarium magis innotesceret. Ex Scriptura igitur colligere nõ possumus parvulos esse baptizandos.

49. Resp. 1. Pontificiorum culpam præstare nos non possumus: Si ad mandatum Christi diligenter Scripturas scrutarentur, forte non difficile illis foret Pædobaptismum ex scripturis ipsis evidentissimè demonstrare. 2. Protestantes contra Anabaptistas non nisi ex scriptura pugnant, & puerorum Baptismum ex ea irrefragabiliter stabiliunt. 3. Nam Apostolus Petrus, *Act.2.v.39.* auditores suos ut baptizentur adhortans argumentum petit à promissione quæ circumcisioni, *Gen.7.* est annexa. Vobis, inquit, facta est repromissio, & filiis vestris: Quibus igitur facta est promissio, illi sunt baptizandi. Atqui infantibus est facta promissio. Ergo. 4. Christus jussit omnes gentes baptizari. Parvulos igitur non excludit. Nam & hi credunt. 5. *Act.16.1. Cor.1.* dicuntur integræ familiæ baptizatæ. Absque dubio igitur etiam infantes.

50. Aliud opponit *Pistorius* Apostolus Paulus, inquiens, pag.32. remittit Timotheum non tantum ad scripturam, sed etiam ad ea, quæ ex ipso Paulo audiverat. Scriptura igitur est imperfecta.

51. Resp. 1. Paulus nihil extra ea, quæ in Prophetis & Mose sunt proposita docuit, & locutus est. Ergo una & eadem est doctrina Pauli, quam prædicavit, & in Epistolis suis consignavit. Ergo quando remittit Timotheum ad ea, quæ audivit, remittit eundem ad eadem quæ scripsit. 2. Quærimus ex Pontificiis, unde si quæ sunt dogmata apostolica non scripta, ad ipsos ea, pervenerint? & unde nos de eorum veritate possint facere certos. 3. Conciones omnes apostolicas, & verba ipsorum omnia non esse scripta ultrò largimur; Sed addimus quod eorum cognitione carere possimus, cum salutem non concernant.

52. Denique *Costerus, pag.48. Ench.* A Christo, inquit, videtur cautum, ne omnia fidei dogmata scriptis commendarentur dum ait: Nolite sanctum dare canibus: neque mittatis margaritas vestras antè porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & canes conversi dirumpant vos, Matth.7. Ergo Apostoli non omnia fidei dogmata studiosè literis cõmendarunt: Quod scriptis libris vulgatur, (sine dubio) proponitur legendum omnibus, tam infidelibus, quàm fidelibus, quorum hi suscipiunt demissis animis divina mysteria;

fferia; Illi rident, & lacerant, quod in Porphyreo, Juliano, Averröe, Luciano, aliisque gentibus cernimus, qui multa Christianis affinxerunt, de humanis carnibus voratis, de potato sanguine, de adoratis sacerdotum pudendis &c. propter Eucharistiæ pœnitentiæ Sacramenta. Hinc Patres tum in concionibus, tum in scriptis suis, non nisi parcissimè, atque admodùm tectè de nostris mysteriis agunt, non raro addentes. *Norunt fideles norunt initiati, &c.*

53. Resp. 1. Si propterea quædam fidei dogmata non debuerint scribi, quia periculum erat, ne impii in Scripturæ lectionem inciderent, eam risui exponerent, & nescio quæ affingerent; utique eâdem ratione vel nulla fidei dogmata, vel præcipui fidei articuli non debuissent scribi. 2. Confunditur illud, quod est per accidens, cum illo, quod est per se: Error & malitia hominum ipsi Scripturæ non est imputandus. 3. Discendit à seipso Costerus: Nam supra Scripturam nominavit literam mortuam membranis, non digito Dei, sed atramento inscriptam. 4. Nomine canum intelliguntur manifesti veritatis blasphematores & persecutores, quibus prohibet Dominus projicere Ecclesiæ bona, hoc est, communicare Evangelium, & Sacramenta: Nam Epicuræis, & securis gratia non est prædicanda. Conculcare à porcis sumptum, est deridere. Mordere canum, est persequi, aut calumniari.

54. Quæstio secunda: *An postquam verbum Dei literis est consignatum, & Ecclesiæ commendatum, sit aliud aliquod verbum Dei non scriptum ab Apostolis traditum, & pari authoritate cum verbo scripto recipiendum?*

55. Resp. Imperfectionis arguunt Pontificii Scripturam, ut authoritatem quandam Traditionibus suis concilient, quas verbum Dei non scriptum appellitant, ut sunt: Invocatio sanctorum, Purgatorium, orationes & oblationes pro defunctis, consecratio aquæ in Baptismo, communio sub unâ specie, reliquiæ sanctorum, imagines sanctorum, ornatus imaginũ, peregrinationes ad statuas & reliquias sanctorum, festum corporis Domini, cruces, vexilla, corolla, palmæ, asinus palmarum, merita operum, necessitas satisfactionum, peccatorum enumeratio sacerdoti facienda, jejunium quadragesimæ & quatuor temporum ciborum & dierum discrimine con-

ne constans, canon Missæ, Indulgentiæ, consecratio cereorum, placentarum, templorum, Baptismus campanarum, fraternitates Monachorum, & Monialium, &c. Hæc enim licet ex Scripturâ probari nequeant, eandem tamen authoritatem habent cum Scriptura, juxta *Canisium in opere catechet. pag.* 124. Et *Decretum Concilii Tridentini primum Sess.* 4. cujus hæc sunt verba : Sacrosancta Tridentina Synodus, perspiciens hanc veritatem, & disciplinam contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ ex ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu S. dictante quasi per manus traditæ ad nos usque pervenerunt, orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam Veteris, quàm Novi Testamenti (cum utriusque unus sit author) nec non traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus à Christo, vel à Spiritu Sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu, & reverentiâ suscipit, ac veneratur. *Hosius libr.* 3 *de authorit. Script. pag.* 515. Multa, inquit, extra scripturam credenda, sunt tradita Ecclesiæ. Catechismus Romanus Catholicum definit, qui omnia credit, quæ Romana Ecclesia credit, sive ea in scripturis extent, sive non. *Bellarminus libr.* 4 *de verbo Dei non scripto, cap.* 4. 5. impietatem hanc non tantum approbat, sed etiam argumentis nonnullis propugnat.

56. Hinc igitur inferunt Pontificii, ea, quæ in Ecclesiâ Romanâ traduntur, & observantur, quæ nullo Scripturæ testimonio probari possunt, esse illa ipsa, quæ ab Apostolis vivâ voce sunt tradita, & scriptis non comprehensa: Et hoc dicit *Andradius* esse principium, ultra quod non sit fas in inquisitione progredi.

57. Verùm docent Protestantes, postquam verbum Dei est literis consignatum, & Ecclesiæ commendatum nullum esse verbum Dei non scriptum, quod pari pietatis affectu, cum ipsa scriptura sit accipiendum.

58. Ne verò vocabuli significationibus involvamur, notamus quatuòr esse traditionum species. Nam primò traditio significat omnem doctrinâ Christi, & Apostolorũ: Apostolus Paulus 1. *Cor.* 11. *v.* 27. institutionẽ Cœnæ Dominicæ vocat traditionẽ. Secundò denotat illud, quod cultib⁹ divinis servit, & in sacris literis est exp: es-

sum, sed non constituit articulum fidei, hujusmodi sunt, quæ leguntur de sanguine suffocato, *Act.* 15. de excommunicatione, 1. *Corinth.* 5. Tertiò, significat ritus, qui licet piè retineantur, nusquam tamen sunt scripti, ut sunt fidei confessio in Baptismo, Patrinorum sponsio: Monet enim Apostolus, 1. *Cor.* 14. *vers.* 40. ut Omnia decenter, & secundum ordinem fiant. Quartò usurpatur à Pontificiis partim pro dogmatibus sive articulis fidei, partim pro peculiaribus ritibus, tanquam Dei cultibus, qui nullo Scripturæ testimonio evidenter, & ἀποδεικτικῶς demonstrari possunt, sive ut Petrus à Soto definit, quorum principium, author, & origo in sacris literis inveniri nequit?

59. Usurpatur igitur vocabulum traditionis vel ratione materiæ, vel ratione formæ. Ratione materiæ sumitur 1. pro dogmatibus sive Articulis fidei. 2. Pro ritibus sive ceremoniis. Ratione formæ sumitur 1. pro doctrina sacris literis comprehensa. 2. Pro doctrina, quæ Scripturarum testimonio confirmari nequit.

60. Deinde occasio doctrinæ de Traditionibus Pontificiis est notanda, quæ hæc est: Pontificii interrogati de veritate illorum, quæ hodie observantur in Ecclesia Romana, id omne profectum esse ex traditione Apostolica declamitant: Quando verò ad cujuslibet examen pervenitur, tùm demùm proripiunt sese in alterum latibulum, & Pontifici potestatem quidlibet audendi semper concessam fuisse dictitant.

61. Denique apertum Pontificiorum falsum est notandum: Scribunt omnia, quæ tenet, & credit Romana Ecclesia, & in scripturis non habentur, illa singula ab Apostolis esse tradita, videatur *Lindanus lib.* 5. *Panopl. cap.* 6. *Bellarminus lib.* 2. *de Sacram. cap.* 25. At falsum id esse, inde cognoscitur, quod nullam traditionem dogmaticam in Apostolorum usque tempora deducere queant. Et *Polydorus Virgilius de invent. rerum*, homo alioqui catholicus ostendit plærasque post Apostolos demum esse exortas; Exemplo potest esse vel unicus ille canon missaticus, qui aliquod seculorum decursu vix tandem absolutus fuit. Apostolus igitur monet Thessalonicenses, ut sint circumspecti, neque à vento dimoveri se patiantur, vel per

vel per Spiritum, vel per sermonem, vel per epistolam. Si quis igitur ipsorum non attendit sermoni, ille est notandus, & commercium cum eo non est habendum.

62. His sic positis Pontificiorum traditiones iisdem refutamus fundamentis, quæ in præcedente quæstione de Scripturæ sacræ perfectione pertractavimus, quibus hæc addimus. 1. Apostolus non subterfugit, quò minus annunciaret omne consilium Dei, *Actor.* 20. *v.* 27. Itaque nullum prætermisit ad salutem necessarium. Quodnám verò Apostolus intelligat in eodem. *c. v.* 20. 21. His exprimit verbis: Nihil suffugi eorũ, quæ essent in rem vestram, quin annunciarem vobis, ut docerem vos publicè, ac per singulas domos: Testificans Judæis simul & Gr.cis, eam quæ erga Deum est pœnitentiam, ac fidem, quæ est erga Dominum nostrum Jesum Christum.

63. 2. Quicunque evangelizant, præter id, quod evangelizarunt Apostoli, anathematis sunt rei, *Gal. 1. vers.* 8. Atqui Pontificii traditionibus suis evangelizant non tantum præter id, quod scriptum est, sed etiam contra idipsum. Ergo.

64. At *Bellarminus, pag.* 239. Apostolus, inquit, non loquitur de solo verbo scripto, sed de omni verbo sive scripto, sive tradito: Non dicit, si quis evangelizaverit præter id, quod scripsimus, sed præter id, quod evangelizavimus.

65. Resp. 1. Verbum prædicatum, & scriptum differunt tantum accidentaliter, non essentialiter. 2. Inde testatur Apostolus coram Festo, *Act.* 26. *v.* 22. 23. se nihil testari, quàm Prophetæ, & Moses docuerunt. 3. Inde & Berrhoenses Evangelium & doctrinam Pauli ex Scriptura examinarunt. 4. Et Johannes dicit, 1. *Epi. cap.* 1. *v.* 3. 4. Quod vidimus, & audivimus, annunciamus vobis, ut & vos societatem habeatis nobiscum, & *hæc scribimus* vobis. 5. *Irenæus dicit, lib.* 3. *c.* 1. Idem Evangelium, quod initiò prædicaverunt postmodum per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt columnam & fundamentum fidei nostræ futurum.

66. 3. Quicquid imminuit authoritatem apostolicam, illud non potest esse verbum Dei non scriptum, imò simpliciter est rejiciendum. Atqui traditiones pontificiæ imminuunt authoritatem apostolicam. Ergo. Minor probatur primò, si Apostoli ali-

quod dogma ad salutem necessarium prætermiserunt in Scripturâ, aut prætermiserunt, quia ignorarunt, aut quia propter invidiam, & malitiam scribere noluerunt. At utriusque affirmatio impia, & absurda est. Ergo affirmari nequit, Apostolos nonnulla ad salutem necessaria neglexisse. Deinde si neglexerunt Apostoli nonnulla ad salutem necessaria, munere legationis suæ non bene sunt functi.

67. 4. In quâ solâ doctrina, seclusis omnibus aliis sive doctrinis, sive traditionibus, piis est manendum, ea, cum sit perfectissima, nullo in supplementum indiget verbo non scripto. Atqui in sola Scriptura sacra aliis doctrinis seclusis unicè piis est manendum. Ergo. Minoris veritas patet ex 2. *Tim.* 3. *vers.* 14. 15. Tu mane in his, quæ didicisti, & credita sunt tibi sciens à quo didiceris, & quia ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt sapientem reddere ad salutem per fidem, quæ est in Christo. Monetur Timotheus manere in iis, quæ ab infantia ex sacris literis didicerat. Vitanda igitur ipsi erant, quæ citra, & præter Scripturarum authoritatem de negotio fidei, & salutis, quoquo modo proponuntur. Idem Timotheus vitare debet, quicquid contrariatur illi doctrinæ, quæ est secundum Evangelium in scripturis manifestatum, 1. *Tim.* 1. *v.* 10. 11. At traditiones pontificiæ à Scripturis abducunt, & gloriam Evangelii obscurant, atque imminuunt. Idem Timothæus fugere debet eos, qui non sunt contenti sana doctrina verbo Dei comprehensa; Sed secundum propriam concupiscentiam sibi coacervant doctrinas juxta pruritum aurium, & avertunt aures à veritate ad fabulas traditionum humanarum, 2. *Tim.* 4. *v.* 3. 4. Hujus verò generis esse traditiones pontificias patet ex duobus generibus traditionum, quæ Apostolus reprehendit, quorum prius est de prohibitione nuptiarum, posterius de abstinentia à certis cibis, 1 *Tim.* 4. *v.* 3. Docet idem Apostolus Paulus, 2. *Tim.* 3. *v.* 15. quod scriptura sacra possit Timotheum sapientem reddere ad salutem per fidem. Quare non sapiamus supra id, quod scriptum est, 1. *Cor.* 4. *v.* 6.

68. 5. Opinio Pontificiorum de traditionibus superstruitur conjecturis, ne quidem in speciem probabilibus, sed manifestè falsis. Ergo citra omnem dubitationé est erronea. Nam esto, quod referunt ignatius & Clemens Alexandrinus extitisse olim traditionum Apostolicarum libros. Quis autem certos nos faciet, cum libri illi interierint, hoc vel illud dogma in libris illis fuisse compre-

hensum? De epistolis illis Ignatii, quæ proferuntur, meritò dubitant docti. Clementem Alexandrinum multa scripsisse erronea & fabulosa præter *Euseb. lib. 6. c. 12.* testantur plæriq; aliquando scriptores Ecclesiastici. Imò cum Deus libros illos, si modò aliquando extiterunt, interire passus est; certe vel inde patet, ipsos Ecclesiæ Dei neque utiles, neque necessarios fuisse futuros.

69. 6. Remittimur igitur non ad traditiones pontificias, sed ad legem & ad testimonium, *Esa. 8. v. 20.* Et frustra colitur Deus doctrinis hominum, *Matt. 17. v. 9.* 7. Piè scribit *Tertullianus* in libro de Resurrectione carnis, & in libro de Præscriptione adversus hæreses: Aufer hæreticis, quæ cum Ethnicis sapiunt, ut de Scripturis solis quæstiones suas sistant, & stare non poterunt. Nobis enim curiositate opus non est post Christum, nec inquisitione post Evangelium: Cum credimus, nihil desideramus ultrà credere: Hoc enim primùm credimus, nō esse, q̄ ultrà Evangelium credere debeamus.

70. Quare postquam verbum Dei literis est consignatum, & Ecclesiæ commendatum, non est aliud aliquod verbum Dei non scriptum pari, vel majori etiam authoritate recipiendū. Nam 1. Verbum illud nō scriptum aut per omnia verbo Dei scripto est ἀνάλογον, aut est alterius generis, & peregrinū. Si prius corruit ipsa distinctio, cum idem sit verbum illud nō scriptum cum scripto; Si posterius, nequit illud Apostolis adscribi, quippe qui idem docuerunt, & scripserunt. 2. Verbum illud nō scriptum aut planè nullibi extat scriptum, aut extat. Si prius illud datur, quis quæso ostendere poterit, quodnam sit illud verbum non scriptum? Sin hoc; Ergo ridiculè dicitur verbum non scriptum. Si dixeris, nominari non scriptum eò quod in scriptis propheticis & Apostolicis non continentur; inferimus, propterea verbum Dei nō esse. 3. Plus uno verùm esse nequit, Si igitur verbum illud Dei non scriptum est diversum à verbo scripto, utiq; verum non erit; Si est numero ac specie idem, utique peculiarem speciem non constituit.

71. Quæ contrà opponunt Pontificii argumenta, vix refutatione sunt digna: Dicit quidē Christus, *Ioh. 16. v. 12.* Multa habeo vobis dicere, sed nō potestis portare modò; Verùm absurdè hinc colliges, nō omnia ad salutē necessaria esse nobis præscripta. Nam 1. Christus nō dicit, vos nō cognoscetis omnia, neq; vos nō scribetis omnia,

omnia, sed vos jam non estis idonei, ut omnia intelligatis. Unde nos certos facient Pontificii, sua esse, quæ Christus discipulis suis non indicavit? Unde ad ipsos pervenerunt? 3. Christus dicit, *Ioh.* 15. *vers.* 15. Omnia, quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis. Ergo Christus omnia omninò discipulis suis proposuit, licet ipsi non statim omnia intellexerint. Unde *cap.* 14. *v.* 26. promittit illis Spiritum S. qui illis in mentem revocet omnia. 4. Quinimò si tempore Patrum defectus Scripturæ est suppletus, certè Apostoli non habuerunt sufficientem Scripturæ cognitionem. At Apostolus dicit, *Act.* 20. *vers.* 27. Non subterfugi, quò minus annunciarim *omne* consilium Dei vobis.

72. Deinde in antecedentibus concessimus, non omnia dicta & facta Prophetarum, Christi, & Apostolorum esse scripta; Sed non sequitur, non omnia sunt scripta. Ergo non omnia ad salutem necessaria sunt scripta.

FINIS DISPVT. V.

DE PAPISMO

DISPVTATIO VI.

Et quidem in specie

DE

PERSONA CHRISTI.

IN QUA

Christo Duce & auspice Christo

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS GISENII,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS,
ET ORDINARII IN INCLYta Academiâ Gissenâ
Professoris,

RESPONDEBIT

M. JOHANNES HILGARTER GIESsensis Hassus.

In Auditorio Theologico ad diem 4. Decemb. horis antemeridianis & pomeridianis.

GIESSÆ,
Ex Typographéo Casparis Chemlini.

ANNO M.DCXVII.

DE PAPISMO

DISSENTATIO

Præsidem in hoc

PERSONA CHRISTI

IN QUA

Christo Duce & auspice Christo

PRO RECTORE

IOHANNIS GISENII,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS

ET ORDINARII IN INCLY-

tâ Academiâ Giessenâ

Professoris.

RESPONDENTE

M. IOHANNES HILDEBRANDUS GIES-

sensis Hassus.

In Auditorio Theologico ad horas a Meridiem. Anno cIↃ IↃC XXVIII.



GIESSÆ.

Ex Typographeo Caspari Chemlini.

ANNO M. DCXVIII.

DISPUTATIO SEXTA.

DE CAPITE ECCLESIÆ, QVOD EST CHRISTVS, SEV DE Personâ Christi.

THESIS I.

EXAMINATIS illis, quibus Pontificii officium Christi oppugnant propheticum, examinanda veniunt ea, quibus impugnant officium Christi regium, sacerdotale, ejusq; personam.

2. Regnum verò Christi est in Ecclesia, quæ est militans, vel triumphans. Membrum tertium addunt Pontificii, quod fingunt esse Ecclesiam laborantem in purgatorio.

3. Caput Ecclesiæ agnoscimus non nisi unum, idque solus est Christus, qui solus torcular calcavit.

4. Assumpsit λόγος in totam suam ὑπόστασιν naturam humanam ex Mariâ virgine. Quare tota ὑπόστασις τοῦ λόγου est incarnata: Et tota plenitudo Deitatis habitat in assumptâ carne σωματικῶς. Itaque λόγος non habitat extra carnem suam.

5. Persona in Christo est una, in qua Deitas ipsius ab æterno, & à primo assumptionis momento subsistit. Non enim persona assumpsit personam: Siquidem id factum vel ante assumptionem: vel in assumptione: vel post assumptionem? At illud contrariatur veritati conceptionis: Istud veritati assumptionis: Hoc veritati unionis. Hinc Christus dicitur *unus Matth.23.v.8. Rom.5.v.17. 1.Cor.8.v.6. 2.Cor.5.v.15. cap.11.v.2. 1.Tim.2.v.5.*

6. Credimus igitur unionem non personarum sed personalem, non naturalem, sed naturarum, quam Athanasius in Symbolo dicit esse assumptionem humanitatis in Deum, nempe λόγον. Ex *Col.2.* his eam describimus verbis: *Vnio personalis est totius Deitatis & λόγου in assumpta carne inhabitatio.*

7. Differentia specifica Unionis personalis consistit in profundis-

fundissimâ duarum naturarum περιχωρήσει, sive in immeatione, permeatione, ineffabili immanentiâ, circumincessione, quæ est plenissima totius in totum, impermixta tamen unio. Atque in præsentissimâ naturarum præsentiâ.

8. Illustratur hoc ipsum Unionis formale nonnihil exemplo animæ rationalis: Hæc enim ita permeat totum corpus, ut sit tota in toto, & in qualibet parte totius, tota in capite, tota in pedib. sic & humana Christi natura in ὑποστάσει τοῦ λόγου est assumpta, ut ὁ λόγος eam permeet in carne suâ perpetuam habeat immanentiam, & caro à Divinitate sit sanctificata, atque ita ut hoc sit in illo, illud in hoc neutrum extra alterum sit, & permaneat. Veteres in certamine Nestoriano, ut personæ exponerent unitatem, unionem dixerunt factam esse ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως, ἀδιαστάτως, ἀσυγχύτως; Contra Eutychem verò, ut denotarent naturarum dualitatem, factam eam esse docuerunt ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀμεταβλήτως.

9. Exprimitur unio personalis prædicationibus personalibus, quæ sunt tales, qualis est unio, nimirum singulares, mysticæ, & inusitatæ, non verbales, sed reales, *in quibus natura una prædicatur de altera in concreto*, ut Deus est homo, & homo est Deus: Filius hominis est filius Dei vivi, *Matth.16.v.16.&c.*

10. Unionem personalem sequitur necessariò Majestatis divinæ, seu proprietatum divinarum communicatio. Unde Evangelista *Johannes cap.1.v.14.* Unioni subjicit idiomatum communicationem, verbum inquiens caro factum est, & vidimus gloriam ejus, gloriam tanquam unigeniti à Patre.

11. Ut autem Christus pro nobis pati, & mori posset, sese exinanivit, h. e. idiomata communicata in carne, & per carnem non plenariè exeruit.

12. Statum exinanitionis excipit status exaltationis, in quo Majestatem communicatam in suâ carne, & per eam plenariè usurpat & exerit. Hujus initium est Descensus Christi ad inferos. Descendit enim Christus realiter ad inferos, non ut Patres ex Limbo quodam liberaret, sed ut de morte, & Diabolo devicto triumphum ageret.

13. Functus est Christus officio Mediatoris non secundum alteru-

alterutram, sed secundum utramque naturam: Cumque nobis esset missus & datus, non sibi, sed nobis salutem & gloriam promeruit. Collocatus verè ad dexteram Dei regnat nō ad modum mundani Principis, sed ad modum dexteræ Dei. Non igitur absens, sed præsens.

14. Et hæc brevissimè, attingere voluimus, de quibus in Calvinismo prolixius egimus; Pontificii olim ante exhibitam Augustanam Confessionem in Doctrina D. Lutheri de Christo nihil reprehendebant. Antithesis igitur doctrinæ Pontificiæ Articulo tertio non est adjecta. Refert *Andreas Fabricius Leodius in historia August. Confess. pag.* 32. Caroli Cæsaris, & Catholicorum Principum ad tertium Articulum hanc responsionem: In tertio Articulo, nihil est, quod offendat, cum tota confessio cum symbolo Apostolorum, & certâ fidei regula conveniat: Filium Dei scilicet esse incarnatum, humanam naturam assumpsisse in unitatē personæ, natum ex Mariâ virgine, verè passum, crucifixum, mortuum, descendisse ad inferos, resurrexisse tertia die, & ascendisse ad cœlos, sedereque ad dexteram Patris. Refert idem *Andreas Fabricius ibidem & pag.* 33. reliquorum Pontificiorum consensum: *Iohannes à Daventria*: Hunc similiter, inquit, Articulum à Catholica Ecclesia mutuati sunt, qui & impollutus est. *Iohannes Cochlæus* scribit: De hoc Articulo neque in Confessione, neque in Apologiâ ulla est discordia inter nos & illos, utinam & cæteri tales essent, ut nulla dissensione opus foret. *Iohannes Hoffmeisterus*, Apologia, inquit, ipsa, quid Catholici velint, aperuit: nec ego ipsius verba gravabor adscribere: Tertium Articulum probant Adversarii, inquit Philippus, in quo confitemur duas in Christo naturas, videlicet naturam humanam assumptam à verbo in unitatem personæ suæ, &c. juxta symbolum Apostolorum, & symbolum Nicęnum. Nos respondemus, dicit idem, hunc Articulum meritò à Catholicis acceptum & approbatum, quoniam apud nos sic inventus, sic deprædicatus, & sic defensus est. Et Protestantes anno Christi 1537. in Articulis Smalcaldicis primam partem *pag.* 303. his concludunt verbis; *De his Articulis*, (nimirum de Deo uno & trino, & de Christi incarnatione) *nulla est inter nos & adversarios controversia, cum illos utrinque confiteamur, quamobrem non est necesse, ut pluribus iam de illis agamus.*

Imò *Bucerus* ipse in libro de vera Ecclesiarum reconciliatione: De mysterio Trinitatis, ait, de incarnatione verbi, de duabus in Christo naturis de unitate personæ, nihil motum est inter Pontificios, & Protestantes Theologos.

15. Verùm non constabat tùm de Jesuitarum ortu, qui à communi Pontificiorum sententia circa hoc doctrinæ caput defecerunt, & Nestorio, atque Zwinglio-Calvinianis subscribunt, Christi Majestati, quam secundum carnem adeptus est hostili adversantur animo, licet de Christo Jesu magnificentius quàm alios, se loqui, ac sentire glorientur. Nam definitionem unionis personalis, prædicationes personales oppugnant. Hinc realem idiomatum divinorum communicationem negant. De officio Christi impensè errant. De descensu Christi ad inferos errores alunt. Sessionem Christi ad dexteram Patris ambiguè loquuntut, eamque ex Scriptura non exponunt. Denique quomodo¦ Jesuitæ cum Nestorianis, & Samosatenianis realem idiomatum communicationem subvertant, testantur theses Ingolstadianæ anno Christi 1571. Wittebergæ cum approbatione Rectoris recusæ, ex quibus Papistarum cum Calvinianis syncretismus apertissimè elucet.

16. Agemus de his breviter, cum alibi de iisdem egerimus fusius. Sic igitur quæstio prima: *Num esse formale unionis hypostatica sit humanitatis in verbo sustentatio?*

17. Resp. *Gregorius de Valentia* in defensione Disputationis contra fundamentum ubiquitatis, *Vnionem definit pagin. 53. subsistentiam humanitatis in Verbo.* Hinc igitur prædicationes personales, & idiomatum communicationem oppugnant. *Bellarminus lib. 3. de Christo cap. 8.* Unionem, ait, non consistere in communicatione attributorum Deitatis, *cap. 10.* negat, ex vi unionis hypostaticæ attributa unius naturæ, communicari alteri naturæ, *cap. 18.* Verbum, inquit, sustentat humanitatem, ut suam & propriam.

18. Verùm error iste Thomisticus jam olim refutatus est à D. Luthero. Nam sustentatio, gestatio, & assistentia non sunt singularia, sed omnibus hominibus communia, *Actor. 17. v. 27. 28.* Non

28. Non longè est ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus *Hebr.1.v.3.* Portat omnia verba virtutis suæ. At unio personalis est singularis & mystica, *1.Timoth.3. v.16,* 2. Sustentatio est actus secundus. At actus secundus non dat esse formale actui primo. 3. Sustentatio est actio communis toti Trinitati. At humana Christi natura subsistit in sola persona Filii, *Johan.1.v.14.* Unio igitur illa facta est in sola persona Filii. 4. Manifestum resipit Nestorianismum.

19. Quæstio secunda: *An Christus per & propter unionem personalem secundum humanitatem sit Deus?*

20. Respon. *Gregorius de Valentia* in defensione Disputationis contra fundamentum ubiquitatis negat *pagin.54.* rectè dici: *Christus secundum humanitatem est Deus.*

21. Verùm protestantes ostendunt ex scriptura Christum secundum humanitatem per & propter unionem personalem esse Deum. Nam dicitur Dominus, & Deus, *Actor.2.* Germen Davidis est Jehova, *Jerem.23.vers.5.* Filius Mariæ est Immanuel *Matt.1.v.23.* Filius hominis est Filius Dei vivi, *Matt.16.v.16.* Thomas *Joh.20.v.28.* dicit ad Christum à mortuis redivivum, Dominus meus, & Deus meus.

22. *Athanasius in libr. de naturâ humanâ:* Non qui altissimus, inquit, est, sed caro ejus exaltatur, carnique suæ altissimus nomen donavit, quod est supra omne nomen neque Verbum Dei donatitia ratione hoc nomen accepit, ut Deus vocaretur, sed caro ejus, cum ipso simul Deus appellata est. Non enim dixit: Verbum Deus factus est: Sed Deus erat Verbum: Et ille ipse Deus factus est caro, ut ipsius caro efficeretur Deus Verbum: quemadmodum Thomas palpator ipsius carnis, proclamavit: ô qui es & Dominus meus, & Deus meus, utrumque simul appellans. Docet igitur *Cyrillus libr. 4. in Johan. cap. 14. 15.* Johannem dicere λόγον non in carne venisse; sed carnem factum, ut mirabilem unionem ostenderet. *Damascenus libr.3.c.2.Orthod. fidei* ἅμα σὰρξ, ἅμα θεῦ λόγυ σὰρξ. Simul caro, & Dei verbi animata caro, rationalis & intellectiva. *Idem ex Damasceno ex Nazianzen.lib.3.cap.17.* dicit: Audeo dicere, hominem factum esse id, quod ipsum

ipsum unxit & Deum id quod unctum est. *Vigilius lib. 2. cap. 43.* Caro propter Verbum est Deus, sicut Deus propter carnem est homo.

22. Quare verè & piè dicit B. *Lutherus* in Homiliis Evangeliorũ Domesticis in Festo Annunciat. Mariæ: Frater noster, qui est caro nostra, sive homo Christus, est Deus verus & æternus. **Daß wir sagen können / dicit ipse *pag. 36.* Mein Fleisch vnd mein Blut ist GOtt / vnnd sitzet oben in der Majestet / vnd regiert Himmel vnnd Erden.**

23. Prædicationes verò istæ resolvendæ sunt non ex apparenti extremorum inspectione, & natura, sed ex modo attributionis, seu ex cohærentia prædicati, & subjecti, quæ est non accidentalis, & denominativa, sed singularis, & mystica. Ergo & tales sunt istæ prædicationes. Quare *prædicationes istæ accidentalibus nequeunt annumerari*, idque docet modus attributionis, & Unionis: Non enim accidentali inhærentia habitat tota plenitudo Deitatis in assumpta carne. 2. Declarat idem modus prædicandi: Non enim prædicantur in quale, ut prædicationes accidentales, sed in quis, *Matth. 16. v. 13. 16.* Dicit Jesus, vos quẽ me esse dicitis. Respondens Simon Petrus dixit. Tu es Christus filius Dei vivi. 3. Arguit ipsa reciprocatio. Nam reciprocè dicimus, homo est Deus, & Deus est homo. At prædicationes denominativæ non sunt reciprocæ. 4. Homo secundus non accidit Filio Dei; sed est ipse filius Dei vivi, ac Dominus de cœlo, 1. *Cor. 15. v. 47.* 5. Et prædicata in his efferuntur vocabulis substantivis: At in accidentalibus efferuntur paronymicis.

24. Neque sunt figuratæ & tropicæ: Nam ut non subjectum prædicationum istarum, ita nec prædicatum est modificatum. Copula non significat, sed consignificat. In totis prædicationibus non est tropus, quia tropus est vocum, non sententiarum: Est in vocibus singulis; Non in conjunctim sumptis.

25. Quare prædicationes personales sunt singulares, mysticæ, inusitatæ, novæ, quas censere est Theologi ex Theologia; Et explicare ex unione personali: Unde eas personales nominamus, quia arguunt, & exprimunt unionem duarum naturarum personalem: Atque causa modus, & ratio prædicationum istarum dependet à persona illa unica Christi, in qua duæ naturæ personalis unio-

unione sunt copulatæ. Homo igitur est Deus personaliter, quia humana natura divinæ personaliter est unita: vel quia ὁ λόγος assumpsit humanitatem in personæ suæ unitatem. Seu quia humanitas non per se subsistit, sed ἐν ὑποστάσει τοῦ λόγου.

26. Sic igitur eas breviter resolvimus: Vocabulum hominis in prædicationibus personalibus notat ipsam humanam naturam; sed & cõnotat, in quâ ea subsistit, personam; Vocabulũ Dei notat & divinam naturam, connotat & ipsam personam. In subjecto igitur prædicationum personalium notatur natura una, in prædicato altera: Et copulâ duarum naturarum exprimitur Unio.

27. Non diffitemur prædicationes istas in scriptura esse usitatas; Sed in Logicis sunt singulares, & inusitatæ. 1. Sunt mysticæ, 1. *Tim.* 3. *v.* 16. Magnum est pietatis mysterium: Deus manifestatus est in carne. Sunt novæ, *Ier.* 31. *v.* 22. Creabit Dominus *novum* super terram: fœmina circumdabit virum, Et *Philip.* 2. *v.* 9. Deus illum extulit in summam sublimitatem, ac donavit illi nomen, quod est supra omne nomen. Transcendunt igitur captum humanum. Modus prædicandi sequitur modum essendi. Formavit eas Spiritus S. non mens humana. 2. Non habent igitur similia exempla in naturâ. 3. Censere igitur eas, & præcepta de istis formare purus nequit Philosophus, qui principia præceptorum suorum constituit sensum, observationem, inductionem, & experientiam. 4. Proinde ad nullam classem prædicandi modorum Philosophicorum possunt referri.

28. Distinctæ verò sunt prædicationes: *Homo est Deificatus. Homo est Deitas. Homo est Deus.* Prima annumerari potest Denominativis. Secundam non habet Scriptura: Et abstractiva in Disparatis non affirmatè prædicantur. Nec dicere licet, humanitas est Deitas. Verum quidem est, quod hic valeat regula: *Quæcunq; in uno supposito uniuntur, illa de se invicem prædicari possunt*; Sed quia duæ illæ naturæ in Christo uniuntur non ad *naturam* compositam; (Sic enim altera aut esset abolita, aut mutata, aut planè confusa:) Sed ad unam personam compositam; ideò abstractum unius naturæ de abstracto alterius naturæ prædicari nequit.

26 Deniq; *hominem dicimus esse Deum* non naturaliter, & essentialiter, hoc est, non pro ratione, & proprietate naturæ suæ:

Sed personaliter, hoc est, pro ratione, & proprietate unionis personalis,

30. Nemo sobrius in resolutione harum prædicationum dixerit, subjecti appellatione nempe *hominis* intelligendum esse Deum: Nam 1. sic prædicationes istæ forent identicæ. 2. Sensus earum hic esset, homo est homo, Deus est Deus. 3. Num duæ in in Christo naturæ sunt eædem? Annon manent diversissimæ? 4. Quis Filium dixerit Deum per & propter unionem? Utique Deus est non per, & propter personalem Unionem; Sed per æternam generationem etiam factam ante incarnationem.

30. Quæstio tertia. *An Maiestas divina, seu an divina idiomata realiter carni Christi sint communicata?*

31. Resp. *Gregorius de Valentia in defensione Disputationis contra fundamentum Vbiquitatis pag.* 51. Realem attributorum divinorum explodit, tollit exagitat; Et per idiomata intelligit nomina nuda, vel locutiones. *Bellarminus libr. 3. de incarnatione Christi cap.* 8. dicit: Unio hypostatica consistit in communicatione subsistentiæ Verbi, non in communicatione attributorum. Et *cap.* 11. Catholica, inquit, doctrina duo docet. Primò, ex Unione hypostatica consecutum esse in Christi humanitatem multa dona creata, & infusa, ut: gratiam excellentissimam, sapientiam maximam, potentiam singularem, & alia id genus, quæ tamen non sunt attributa Deitatis. Secundò, ex Unione hypostatica sequitur communicatio idiomatum: quæ quidem communicatio non est realis respectu ipsarum naturarum, quasi ipsa humanitas realiter sit facta omnipotens; Sed est realis quidem, sed respectu hypostasis utriusque naturæ, non autem respectu ipsarum naturarum.

32. Cum autem nobis sit Propositum in hoc articulo, quem alibi in errorum Calvinisticorum refutatione, nonnihil fusius considerandum exhibuimus, brevitati in primis studere; ideò quædam tantum percurremus.

33. Mittimus igitur illa, quæ proponi solent de communicationis Idiomatum descriptione: De Idiomatis appellatione, quâ, ajunt, intelligi *naturarum differentias, quibus natura, tan-*

quam

quam notis quibusdam dignoscantur. Naturæ enim manent distinctæ, quia earum non est facta identitas. Mittimus recensere numerũ graduum communicationis hujus. Mittimus etiam multis agere de primo communicationis gradu, in quo Jesuitæ pugnant pro Zwingliana ἀποκοπῇ. 1. Contra expressam Scripturam, *Rom.5.v.10. cap.8.v.32. Gal.2.v.20. Act.3.v.15. cap.20.v 28.1.Cor.2.v.8. Hebr.2.v.14. Ioh.6.v. 62.1.Cor.15.v.47.* 2. Contra Personæ identitatem. 3. Contra iræ divinæ magnitudinem, & pœnæ gravitatem. 4. Contra λύτρου sufficientiam. 5. Contra passionis Christi & Martyrum differentiam.

34. Realem Idiomatum divinorum & Majestatis divinæ communicationem confirmaturi, quinque breviter percurremus ostensuri *causam dantem; naturam, cui datum; id, quod datum; tempus quando, & demum quomodo datum.*

35. *Causa dans est tota Trinitas.* 1. Quia est opus ad extra. 2. Quia Trinitatis Personarum una est essentia operans, Ergo omnes tres personæ in operibus ad extra agunt, eadem agunt, & pariter agunt, *Iohan.5.v.19.* 3. Idem igitur opus, quod adscribitur Patri, *Johan 3.v.16. Gal.4.v.4. Rom.8.v.32. Eph.1.v.20. Philip.2.v.9. Psal.110.v.1.* Adscribitur etiam Filio, *Iohan.18.v.37. Gal. 2.v.20. Iohan.10.v.18. Psal.65.v.19. Eph.1.v.20.* Et quidem propter essentiæ identitatem.

36. Quamvis verò communis sit actus, non tamen terminus: Pater quidem dat, sed non in sua persona, verùm in persona Filii. *Augustinus serm. 3. de temp.* Suscepit carnem, inquit, in propietate: sed tamen & Pater, & Spiritus S. non defuit Majestate. *Idem*, cum una sit divinitas, implevit quidem carnem Christi, & Pater, & Spiritus S. Majestate, & non susceptione.

37. *Datum verò est Christo homini, sive qua homo est, vel secundum humanam naturam, sive naturæ humanæ, seu carni in personam τῷ λόγου assumptæ.* Non igitur sufficit personæ esse datum, quippe quæ non est aliquid tertium præter suas naturas, ostendendum igitur est Christo Majestatem divinam esse datam secundum humanam naturam.

38. Evincimus id 1. *ex apertâ Scripturâ*, quæ eam ostendit appellatione *carnis*: Caro enim Christi est vivifica, *Iohan. 6.* Quia

est propria facta verbi omnia vivificare valentis. Dare igitur potuit pro mundi vita, *v.*51. Et qui eam manducat, habet vitam æternam, v.54. Appellatione *Sanguinis*, 1. *Iohan.* 5. *v.* 27. Sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato. *Particulâ distinctivâ*, *Ioh.* 5. *v.* 27. Pater potestatem judicandi dedit Filio, ὅτι, *quia*, & quatenus filius hominis est. Voci igitur Filii Dei adscribitur, quod possit mortuos excitare, *v.* 25. *Descriptione partium, effectorum, & adiunctorum hominis*: Qui enim *Apoc.* 1. *v.* 13. appellatur filius hominis, ejus describuntur oculi, pedes, vox, dextera, os: Et de eo dicitur, quod ambulet in medio candelabrorum aureorum, hoc est, Ecclesiarum. Et *Apoc.* 5. *v.* 5. Christus Leo de tribu Juda, radix David, *v* 6. Agnus stans tanquam occisus, *v.* 12. Is dignus est, accipere virtutem, & divitias, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem, *v.* 13. Et omnem creaturam, quæ in cœlo est, & super terram, & sub terrâ & quæ sunt in mari, & quæ in eo, *Ioh.* 3. *v.* 35. Pater dedit omnia in manus filii. *Psal.* 8. *v.* 7. Omnia subjecta sunt pedibus ejus.

39. 2. *Ab incarnationis fine.* Christum secundum utramque naturam exequi oportuit officium suum: Homo enim peccaverat. Homo igitur satisfacere debebat. Satisfacere verò infinitæ justitiæ non potuit, nec infinitum λύτρον pro nobis persolvere, nisi per unionem personalem divinâ potentiâ fuit donatus. Secundum divinam naturam habuit ab æterno infinitam virtutem, & omnipotentiam. Secundum eam igitur in tempore non accepit.

40. 3. *Ex vocabulorum emphasi*: *Phil.* 2. *v.* 9. dicit Apostolus, ἐχαρίσατο, *ex gratiâ* dedit, sive donavit ipsi nomen, quod est supra omne nomen. At secundum divinam Christus habet per essentiam, & naturam; Nihil ex gratia. Quæ igitur Majestas divina competit divinæ naturæ οὐσιωδῶς, & per se; Ea humanæ competit ὑποστατικῶς, & per aliud, nimirum per unionis gratiam.

41. 4. *A naturâ Dei*: Hæc enim est infinita, immensa, perfectissima, omnis mutationis expers: Ergo ipsa dat, non accipit, nihil ipsi dari, addive, quo perficiatur, potest: Altissimus non exaltatur, sed caro altissimi: Non excelsus, sed caro excelsi.

42. 5. *A statuum oppositione*: Secundum quam naturam Christus

Christus est exinanitus, secundum eam est exaltatus. Atqui exinanitus est secundum humanam naturam. Ergo. Oppositra enim ad idem sunt referenda subjectum. Consideremus oportet vocabula, quibus describitur exinanitio, & exaltatio Christi, *Phil. 2. v. 9. Eph. 1. v. 20. 21. Heb. 1. v. 4.* Nam respectu exinanitionis subiit mortem ignominiosissimam, omnibusque Angelis, & hominibus inferior est factus, ita ut non homo, sed vermis dicatur, *Psal 22. v. 7.* At respectu exaltationis supra omnem potestatem, & Majestatem est evectus, *Eph. 1. v. 20.* Super omnia exaltatus, *Philip. 2. v. 9.* Ad dexteram Dei collocatus, tantò melior factus Angelis, quantò excellentius nomen sortitus, *Heb. 1. v. 3. 4.* Caput ejus est exaltatum, *Psal. 110. v. 8.* Per passionem intravit in gloriam, *Luc. 24. v. 26.* Ad hoc mortuus & resurrexit, ut mortuis, & vivis dominetur, *Rom. 14. v. 9.* De Christi divina natura hæc prædicare, est Arianismo bipatentes portas aperire.

43. 6. *A temporis notatione*: Sunt enim divina illa dona Christo in tempore data, *Dan. 7. v. 13. 14. cap. 9. v. 29. Ioh. 17. v. 1.* Ergo secundum humanam naturam. Hinc sunt canones: *Quicquid in tempore accepit, Christus, secundum humanã naturam accepit, cui, quæ non habuit, sunt collata*, dixit *Leo. Quæcunq; Scriptua dicit in tempore data esse Christo, illa de Christo intelligenda sunt, non secundum Deitatem, sed secundum humanitatem*, dixit Athanasius. *Non excelsus, sed caro excelsi est exaltata. Altissimus non exaltatur. Assumpti, non assumentis provectio est.*

44. 7. Quare secundum divinam naturam Christus dicitur *naturâ* Dei Filius, & Patri ὁμοούσιος; At secundum humanam naturam per & propter unionem personalem constituitur Dei Filius, *Rom. 1.* Unde de divina natura prædicatur participium ὢν de humana γενόμενον, *Heb. 1. Damascenus lib. 3. cap. 17.* Caro Domini, inquit, locupletata est divinis actionibus, propter hypostaticam ejus ad verbum unionem, non passa eorum, quæ secundum naturam ipsi sunt propria.

45. Tertiò, *Data est Christo secundum humanam naturam Maiestas divina, & dona non tantùm creata*, sed etiam *increata, & infinita*. Evincimus id, 1. *ab ὑποστάσεως communicatione*: ὑποστασις τοῦ λόγου realiter assumptæ carni est communicata. Atqui ὑπόστασις τοῦ λόγου non est quiddam creatum, sed increatum, non dimensum,

sed immensum, nominatur ab aliis proprium, verùm non ἐπουσιώδες accidentale, neque simpliciter οὐσιῶδες essentiale; sed relatè οὐσιῶδες limitatum πρόπῳ ὑπάρξεως, quod est nasci à Patre. Ergo quædam Majestas divina realiter assumptæ carni est communicata. Propositionis veritas patet ex Joh.1.v.14. Verbum caro factum est, de quo testimonio dicit *Cyrillus libr. 1. in Iohannem cap. 15. pag. 632.* Quum dicat: Et verbum caro factum est, nihil aliud dicit, præter quàm quod Filius Dei, & Deus natura homo factus est. *Et pag. 633.* Hac maximè de causa scriptum esse ab Evangelista arbitror: Et verbum caro factum est, quod ex parte maximè corrupta, & unione Verbi vivificata, totius reparationem significare voluerit. *Damascenus lib. 3. cap. 11.* Ipsa hypostasis Dei verbi, inquit, facta est carni hypostasis. Et secundum hoc verbum caro factum est, invertibiliter scilicet, & caro verbum intrà mutabiliter, & Deus homo. Deus enim Verbum, & homo Deus propter Unionem secundum hypostasin. Idem igitur est dicere, naturam Verbi, & eam quæ in individuo est naturam. Declarat idem Personæ unitas: Est enim Christus unus Dominus, 1. *Cor. 8. v. 6.* Per quem omnia, & nos per ipsum *Matt. 23. v. 10. 2. Cor. 5. v. 14. c. 11. v. 3. 1. Tim. 2. v. 5. Eph. 4. v. 5.* Unus verò est nō per essentiā, nec per parastasin sed per unā hypostasin, ut in Ephesino, & Chalcedonēsi conciliis est definitum. Arguit idem carnis humanæ in personam τῦ λόγυ assumptio, quia in illocalem τῦ λόγυ ὑπόστασιν est assumpta, eaque subsistit. Persona igitur τῦ λόγυ est composita, humana natura Christi τῷ λόγῳ σωθρονῶ est facta. Et ni ita esset, caro assumpta esset merè naturalis.

46. 2. *Ab unionis hypostaticæ necessario effecto, quod est idiomatum communicatio:* Nam *Evangelista Iohannes* Unionem hypostaticam declarat idiomatum divinorum communicatione. Ergo divina idiomata realiter assumptæ carni sunt communicata. Verbum, inquit, caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis. Quæ verò Majestas per carnem sese ita exeruit, ut visa fuerit, illa carni assumptæ fuit communicata: Non videbit me homo, & vivet, dicit Jehova *Exod. 33. v. 20.*

Augu-

Augustinus dicit: Vidimus divinam Majestatem, per ejus humanitatem. Et *Chrisostomus*, Divinam gloriam neutiquam vidissemus, nisi per consortium humanitatis visa esset. Dei enim Majestas cum sit immensa, non nisi in objecto corporeo videri potest.

47. Gloriam immensam intelligendam esse docet Evangelista, inquiens, *gloriam tanquam unigeniti à Patre.* Arguunt effecta, quæ fecit Christus non aliena virtute ut Apostoli, sed propria, *Act.3. v. 14.* Arguit piorum confessio: Omnis enim lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus est in gloria Patris, *Phil.2.v.11.*

48. 3. *Ab assertione Paulina Col. 2. v. 9.* Omnis plenitudo Deitatis habitat in ipso corporaliter: Assumptæ carni attribuitur personaliter tota Deitatis plenitudo. Ergo & omnia Deitatis idiomata.

49. 4. Ex loco *Iohan.3.v.34.35.* Non ad mensuram Deus dat Spiritum: Pater diligit Filium & omnia dedit in manu ejus: *Cui verò datur Spiritus sine mẽsurâ, ut ex illâ plenitudine credentes accipiant,* & vitam æternam habeant, illi dantur dona Spiritus immensa, hoc est, Spiritus redundantia, & plenitudo. Atqui Spiritus datur Filio sine mensura, *Iohan. 3. vers. 34.* Ut ex illa plenitudine credentes accipiant, *Iohan. 1. v. 16.* Et vitam æternam habeant, *Iohan. 7. v.36.* Ergo, &c.

50. *Cyrillus lib. 2. in Iohan. c. 72. pag. 668.* dicit: Attentissimas modò aures præbeas, ut rursus mirabilem Baptistæ doctrinam nobiscum admireris. Nam cum à Deo missum esse Filium dixerit, Deique verba loqui Christum asseruerit: quoniam verba hæc propheticę quoq; dignitati accommodari possent: Per ea quæ modo dicit longè à Prophetis Filiũ separat. Et uno hoc signo, immensam esse differentiam inter homines & filium ostendit. Impossibile namque, inquit est, ut qui mensura Spiritum acceperunt, aliis etiam illum largiantur: Nunquam enim sanctus vir alteri sancto Spiritus fuit largitor, sed omnibus ex amplitudine sua Filius largitur. Non ergò ad mensuram dat, nec ut illi, mensura & participatione, Spiritum habet.

51. 5. *A descriptione gloriæ in tempore assumptæ carni datæ.* Quæ Majestas, gloria, & potestas competit ipsi Deo, & ex qua firmissimè Deitas probatur, illa est Majestas, gloria & potestas increata. Atqui Majestas gloria, & potestas per, & propter unionem personalem assumptæ carni data competit ipsi Deo, & ex ea Deitas firmissimè probatur. Ergo. De potestate agitur *Dan.7.v.* 13.14. *Matt.28.v.18.* De gloria *Ioh.1.v.14. 2.Pet.1.v.17. Apoc.5.v.12. Ioh.2.v.11. Heb.2.v.7. Psal.8.v.6.*

52. In primis consideratione dignus est locus *Ioh* 17.*v.5.* Glorifica me ea gloria, quam habui apud te antequam hic mundus fieret: Quam igitur gloriam Filius apud Patrem ab æterno habuit: Propter quam gloriam est Filius Dei: Quæque gloria sese manifestat per divina miracula; illa est gloria non creata, sed increata, nõ dimensa, sed immensa, nõ finita, sed infinita. Atqui talis est gloria, quæ obtigit Christo secundum carnẽ in tempore. Ergo, &c.

53. Petit Filius glorificari se *apud Patrem.* Glorificari igitur petit secundum carnem assumptam. Nam licet Christus glorificatus respectu Deitatis dici posset, quatenus ea hominibus innotuit, non tamen apud Patrem potuit glorificari respectu Deitatis suæ, quia cum Patre semper est, & manet in eadem gloria & Majestate, cum eodem etiam in statu exinanitionis omnia operatur, *Ioh.5.v.17.* Habuit hanc gloriam, nimirum secundum divinam naturam antequam hic mundus esset, hoc est, ab æterno: Quicquid enim fuit, antequam mundus esset, æternum est. Cum autem illam petat, ad humanam eam referimus naturam, secundum quam eam habet ex gratia, & non ad divinam, secundum quam eam habet non ex gratia, sed per naturam. *Cyrillus dicit lib.11.in Iohannem cap.17.pag.975.* Ad suam gloriam Christus rediit, quam ut homo quasi non habens petiit. *Ibidem:* Gloriam suam, quam semper habet, ut Deus, ut homo petiit. Nec quia gloriæ unquam propriæ expers fuit, hæc ab eo dicũtur (nunquam enim Dei verbum, ac Deus verus dignitate caruit sua) sed quia in gloriam quæ sibi semper adest, ut Deo, proprium templum reducere volebat: Imò verò ipse cum propria carne, propter quam nonnihil dedecoris in hac accidisse vita videbatur, in cœlos & in gloriam suam rediit.

54. Idem evincimus *ex incarnationis & communicationis fine:* manam

Nam sine reali infinitorum donorum communicatione per humanam naturam non potuisset perfici opus redemptionis: Si enim id fieri potuisset, necessarium non fuisset, ut ipse Filius Dei carnem assumere humanam. Carni igitur assumptæ Majestas divina est communicata, & increata idiomatata data.

55. Denique idiomata divina carni Christi esse communicata in Calvinismo evicimus in specie à communicatâ omnipotentiâ, omniscientiâ, à potestate peccatum remittendi, & judicandi, à virtute vivificandi, à cultu adorationis, à communicatâ omnipræsentiâ.

56. *Data est Majestas carni Christi, & infinita dona in momento incarnationis.* Nam 1. *Dan.9.v.24.* ubi tempus incarnationis describitur, docetur tum ungendum esse sanctum sanctorum, nempe plenitudine Spiritus S. ad mensuram, *Esai.1.v.1.2. Iohan.3.v.34.* 2. Est igitur idiomatum commnnicatio necessarium, & immediatum consequens personalis Unionis: Docet id *Evangelista Iohannes cap.1.v.14.* Verbum, inquiens, caro factum est, & vidimus gloriam ejus. Unde Theologi nonnulli tanquam à posteriori Unionem describunt per idiomatum communicationē. 3. Arguit idem status exinanitionis, & exaltationis inspectio. Nam exinanitio est Majestatis divinæ non usurpatio, & quasi occultatio; Exaltatio non est novæ cujusdam gloriæ & Majestatis collatio, sed ejusdem Majestatis & gloriæ, quam per Unionem hypostaticam Christus secundum carnem acceperat, & propter officium Sacerdotale nō usurpaverat perfecta & plenaria usurpatio. Exaltatus est Christus secundum carnem & in Unione, & in glorificatione: Illic quoad divinæ gloriæ possessionem seu quoad κτῆσιν; hic quoad plenariam usurpationem seu quoad χρῆσιν. 4. Arguunt effecta: Nam in mediâ exinanitione Christus manifestis sæpe ostendit argumētis in carne sua Majestatem divinam habitare, ne quis totalem fingeret absentiam E. G. miraculis manifestavit gloriam suam, *Iohan.2.v.11.*

57. *Deniq; infinita attributa carni Christi sint communicata realiter quidem; sed non physicè, non essentialiter, non accidentaliter; sed personaliter.* Nam divina essentia in persona τῦ λόγυ est communicata

carni. Ergo & ejus attributa. Et λόγος assumpsit carnem in unitatem, atque κοινωνίαν suæ ὑποστάσεως. Evexit igitur eandem in κοινωνίαν τῶν ἰδιωμάτων. Hinc dixit *Nazianzenus*. Qualis est Unio, talis est communicatio. Atque Unio est personalis. Ergo.

58. Quæstio quarta: *An præsentia divina carni Christi realiter sit communicata?*

59. Resp. Quamvis Pontificii, non aliter ac Calviniani, ipsius majestatis divinæ, ac nullius divini idiomatis admittant cõmunicationem realem; attamen, reliquis ferè missis, opponunt sese communicationi præsentiæ divinæ, seu ipsius omnipræsentiæ. *Bellarminus scribit lib.3.de Christo cap.11.p.* 87. De Ubiquitate est disputandum, vel potius ipsa Ubiquitas est destruenda. *Et cap.17.pag.* 50. Licet alicubi sit Verbum, ubi non est humanitas, tamen etiam ibi Verbum est homo, quia verbum ibi existens sustentat humanitatem ut suam & propriam licet alibi existentem. Quemadmodum anima rationalis in pede existens unita est cũ capite, & informat caput licet caput ibi nõ sit ubi sunt pedes. *Staplet. par.2. principiorum doctrinalium explic.95.pag.*324. Christus, inquit, in quantum homo est, divinitati inseparabiliter cõjunctus, ubiq; non est, sed in cœlo ad dexteram Patris sedet, invisibilis, & in hostiâ sacrâ invisibilis sub Sacramento continetur: Et hoc, quia sic ipse voluit, sic ipse statuit.

60. Contrà carni Christi realiter, præsentiam divinam, esse cõmunicatam ostensuri, idq; astructuri præsupponimus, corpus Christi non considerandum esse tantũ ratione quantitatis, sed etiam respectu Unionis. Proinde consideratur illud primò, ut naturale, & nobis simile excepto peccato, Heb.2. Phil.2. Secundò, ut glorioſum, 1.*Cor.*15. Tertiò ut corpus majestaticum h.e. ut corpus Filii Dei unitum τῷ λόγῳ ὑποστατικῶς, *Ioh.*1. Præsentia igitur divina adscribitur carni Christi non ex naturæ conditione, sed ex unionis beneficio, atque ita non actu naturali, sed personali. Quarto negamus talem ubiquitatem crassam, qualem Jesuitæ fingunt, imò ab appellatione ea sumus alieni. Quintò occasionẽ controversiæ, hujus de communicata divinâ præsentiâ notamus, quæ est, nõ novitatis studium, sed veritatis defensio: Zwingliani n. oppugnantes realem corporis præsentiam in cœnâ negarunt non tantũ voluntatem

tem, sed etiam potentiam. Illam igitur ostendit D. Luthetus ex verbis Institutionis; hanc ex Articulo de Persona Christi. Majestas enim divina carni Christi est communicata.

61. In confirmatione porrò ipsa ad tria est attendendum, ut sunt τὸ posse, velle & esse, qua de re egimus alibi.

62. Argumentum verò pro assertione veritatis *primum petimus ab impletione omnium: Eph.*1.*v.*22. Christus omnia in omnibus adimplet, & quidem secundum eam naturam, secundum quam ex mortuis fuit suscitatus. *Eph.*4.*v.*10. Qui descendit, idem ipse est, qui & ascendit longè supra omnes cœlos, ut omnia impleret: Qui verò omnia in omnibus adimplet, ille à nullo abest, sed verissima præsentia omnib. adest. Atqui Christus omnia in omnib. adimplet. Ergo. *Stapulensis in Epist.c.*4. Corpus Christi, inquit, cœlũ, & terram implet. Est n. ubicunq; Verbum est. Nam Verbũ caro factum est, quare Verbum nuspiam est sine carne, neq; caro illa sine Verbo.

63. *Secundum à promissionibus divinis, Matth.*18.*v.*20. Ubi sunt duo vel tres congregati, ibi sum in medio eorum. Et *Matt.*28.*v.*20. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad cõsummationem seculi. Christus visibili conversationi finem impositurus consolationem suis reliquit, quod omnimodam præsentiæ rationem nõ subducere velit. *Tertium à complemento promissionũ divinarum*, ex *Mar.*16.*v.*20. Ipsi prædicaverunt ubiq; Domino cooperante, & sermonem confirmante. Ex dulcissimis his promissionibus ita argumentamur: Qui tunc temporis discipulis aderat, cum illis loquebatur veritatem suæ humanæ naturæ ostendebat, de colligenda in universo orbe Ecclesia mandatum dabat, ille suam præsentiam promittit. Atqui tota persona, totus Christus constans divina, & humana natura discipulis suis aderat, visibili modo cum ipsis non amplius conversaturus, collocuturus, & ipsis cohabitaturus erat, &c. Ergo.

64. *Quartum ab illocalitate dexteræ Dei & ab eius sessione*, ex Psal.110.v.1. Dixit Dominus Domino meo, sede à dexteris meis, 1.*Cor.*15.*v.*25. Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus: Quicunque verò regnat ad modum dexteræ Dei, ille regnat non absens, sed præsens. Atqui Christus secundum humanum naturam regnat ad modum, non mundani Principis, sed dexteræ Dei. Ergò.

65. *Quintum à religioso invocationis cultu.* Quem religiosè invocemus, illum nobis esse præsentissimum, audire gemitus nostros, nobisque succurrere posse, credimus. Atqui totum Christum, Deum, & hominem religiosè invocamus. Ergo. Major est est certa: Non enim in absentem dirigimus preces nostras. *Bellarminus dicit Tom.1.lib.1. de Sanctorum Beatitudine cap.20.* Quæ eodem tempore fiunt in diversissimis locis non sufficit celeritas, sed requiritur vera ubiquitas, quam nec Angelorum, nec hominum Spiritibus covenire credimus. Minoris veritatem ostendimus ex vaticinio *Esa.1.11.v.20.* Radicem enim Jesse deprecabuntur gentes. Secundum quam igitur naturam Christus est radix Jesse, secundum eam est adorandus. Atqui radix Jesse est secundum divinam naturam. Ergo. Complementum hujus vaticinii habemus in Magis. Deinde ex vaticinio *Psal.71.v.5.9.* Nam secundum quam naturam Messias est Leo de tribu Juda, rex David, & secundum quam est agnus mactatus; Secundum eam est adorandus. Atqui talis est secundum humanam naturam. Ergo. Arguunt idem apertissima Scripturæ testimonia. Nam in Christi Dei & hominis nomine flecti debent omnium genua, & omnes linguæ confiteri eum debent Dominum ad gloriam Dei Patris, *Hebr.1.v.6.cap.4.v.* 15.16. *Philip.2.v.9.10.11.* Ergo eundem religioso cultu debent invocare, & adorare, *Rom.4.v.11. Esai.45.v.23.* Arguunt idem exempla, *Ioh.9.v.38. Matt.20.v.30. Ioh.20.v.28. Matt.14.v.30. Athanasius dicit* Orat. 5. *contra Arrianos*, non adoratione dividendus est Christus in Deum & hominem. *Et lib.de incarnat. Vnigen.cap.26.* Vna λατρεία colendus est ubique. Quare concilio Oecumenico 5. anathema dicitur ei, qui non una adoratione Deum verbum incarnatum cum ejus carne adoret.

66. *Sextum idem evincimus à Majestate divinâ, & infinitis donis carni assumptæ communicatis*, de quibus egimus in antecedentibus. Nem πᾶσα ἐξουσία ipsi est data, *Matt.28.v.18.* Ubi propter σχεσμὸν universalem excluditur particularitas. Μερισμὸς seu distributio potentiæ ejus est descriptio, & non limitatio: Nam tam latè patet, quàm cœlum & terra. Seu extendit se ad cœlestia, terrestria, & sub terranea, *Philipp.2.v.9.* Et quidem in hoc & futuro seculo

culo. Notavimus alib ἐπεξήγησιν τῆς ἐξουσίας, quæ est facta voce δυνάμεως, *Luc.4.v.36.cap.9.v.1.*

67. *Septimum, à verbis Institutionis cœnæ Matth.26.v.26.Mar.14.v.22.Luc.22.v.19.1.Cor.11.v.24.* Quod enim corpus pro nobis in mortem est traditum, illud est præsens in sacra cœna. Atqui corpus ex Maria virgine natum, & non ex pane transmutatione Pontificia confectum pro nobis in mortem est traditum. Ergo.

68. *Octavum ab exemplorum inductione*: Præsentiam enim hanc extraordinaria dispensatione sæpe divisibiliter Christus exhibuit: Visus est Apostolo Paulo, in via Damascena, *Act.9. & 22.* Noctu eidem astitit in castris, & cum ipso est locutus, *Act.22.v.4.* Et Stephanus vidit ipsum ad dexteram Dei, *Act.7.v.55.*

69. *Cyrillus igitur dicit in Iohannem libr. 4. cap. 12.* Animadverte rursus, unum esse Christum, non duos, ut nonnulli temerè asserunt. Animadverte, inquam, quia ubique post incarnationem indivisibilem se esse ostendit. *Idem lib.12. in Iohan. c.32.* Quatuor, ait, orbis partes ad salutem reductæ, indumentum verbi, id est, carnem ejus impartibiliter inter se partiti sunt. In singulos enim partibiliter transiens unigenitus, & animam atque corpus eorum per carnem suam sanctificans, impartibiliter, atq; integrè in omnibus est: quum unus ubique sit, nullo modo divisus.

70. Quæstio quinta: *An Christus sit mediator noster non tantum secundum humanam, sed etiam secundum divinam naturam?*

71. Resp. Periculosè & impiè loquuntur Pontificii de officio Christi. Nam solum unicum, & propitiatorium sacrificium, λύτρον, & redemptionem totam, atque plenariam pro peccatis nostris esse negant: Sanctorum etiam merita, & propria nostra opera requiri statuunt: Primam promissionem Evangelicam, *Genes.3.vers.15.* ad Mariam accommodant. Sed de his suis agemus locis.

72. Deinde, *Stancaro*, (quibuscunque etiam coloribus suum errorem pingere studeant) subscribunt, statuentes, Christum non esse mediatorem nostrum secundum utramque naturam. *Bellarminus scribit lib 5. de Christo cap.1* Est sententia, inquit, communis Catholicorum ipsum quidem Mediatorem, sive, (ut Theo-

logi loquuntur principiũ, quo operabatur opera Mediatoris, non fuisse Deum solum, vel hominem solum, sed utrumq; simul h.e. verbum incarnatum, sive Deum inhumatũ, principium tamẽ, quo illa opera à Mediatore fiebant fuisse naturam humanam, non divinam. *Et c.* 3. Probandum est, inquit, solum secundum naturam humanam Christum fuisse Mediatorem, si sermo sit de principio formali, non de ipso supposito.

73. Erroneum verò & impium, h.e. statutum Pontificiorum: *Canon n. concilii Chalcedonensis* sic habet: *In officio utraq; natura agit, quod sibi proprium est cum communicatione alterius.* Quare Christum non tantum secundum divinâm, sed etiam seeundum humanam naturam esse nostrum mediatorem, & quidem ut principium quo. probatur, 1. *à causa finali.* cur Christum Deum esse oportuerit, nimirum ut λύτρον seu pretium pro peccatis æquivalens, & sufficiens esset, ac molem iræ Dei, & pœnarum sustineret, mortem, Diabolium, ejusque opera destrueret, & æternam nobis justitiam acquireret, *Ioh.* 1. *v.* 29. *Heb.* 2. *v.* 14. 1. *Iohan.* 3. *v.* 8. *Dan.* 9. *ver.* 24. Author igitur vitæ interfectus est, *Actor.* 3. *v.* 15. Deus suo sanguine acquisivit Ecclesiam, *Actor.* 20. *v.* 28. Reconciliati sumus Deo per mortem Filii ipsius, *Rom.* 5. *vers.* 10. Ipsius Filii Dei sanguis emundat nos à peccato, 1 *Ioh.* 1. *v.* 7. Hinc ita inferimus: Justitiæ Dei satisfacere, iram Dei pacare, meritum pro peccatis æquivalens præstare, nobisque æternam justitiam acquirere. nequit λύτρον quoddam finitum. Atqui solius humanæ naturæ λύτρον est finitum. Ergò, &c. Et per consequens divina natura egit etiam ut principium quo. Pretium infinitum certè infinitam præsupponit causam.

74. 2. *A fine incarnationis filii Dei*: Filius Dei propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Secundum divinam igitur naturam est etiam noster mediator.

75. 3. *A descriptione summi nostri Sacerdotis, Heb.* 4. Habemus summum Sacerdotem, qui penetravit cœlos. *Et Hebr.* 7. Sine Patre sine matre, sine genealogia. Ex effectis igitur his colligimus, Christum etiam secundum divinam naturam esse nostrum mediatorem.

76. 4. *Ab officio Mediatoris*: Nam summus noster Pontifex introspicere debet corda invocantium, exaudire invocantes, discer-

cernere veram invocationem, & hypocrisin, ingredi in consilium arcanum æterni Patris. Hæc autem singula competunt naturæ divinæ. Ergò Christus secundum hanc etiam est noster mediator.

77. 5. Pia igitur vetustas opera Mediatoris nominavit θεανδρικὰ. Pié dicit *Augustinus lib. de ovib. c.12.* Divinitas sine humanitate non est mediatrix: humanitas sine divinitate non est mediatrix: Sed inter divinitatem solam, & humanitatem solam mediatrix est humana divinitas, & divina humanitas Christi.

78. Quæstio sexta: *An Christus sibi etiam aliquid meruerit?* Resp. Christum operibus, ac laboribus suis etiam sibi aliquid acquisivisse statuunt Pontificii: *Bellarminus lib.5.de Christo cap.9.* Dicimus, inquit, Christum meruisse sibi illa omnia, quæ accepit post passionem suam.

79. At verè scribit *Cyrillus lib.11.in Iohan.cap.25.pag.986.* Per obedientiam, & justitiam Christi, in quantũ legi se ipsum subjecit, quamvis legis author esset, benedictio, ac vivificatio, quæ per Spiritum est, ad totam nostram penetravit naturam. Idque confirmamus, 1. *ex testimonio Gal.4.v.4.5.* Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret. Qui igitur erant sub lege, illis aliquid promeruit Christus. Atqui nos homines eramus sub lege, non ipse, quia est Dominus Legis, & Sabbati, *Matth.12. Mart.2.* Ergo.

80. 2. *A fine susceptionis officii.* Propter quos Christus venit in hunc mundum, propter eos legem implevit. Atqui non frustrà, *Matth.5.v.17.* non propter se, sed propter nos homines venit in hunc muudum, *Esai.9.v.6. Psal.40.v.10. Heb.10.v.7.10.* 3. *A remotione indigentiæ:* Nulla enim re Christus pro sua persona indigebat.

81. 4. *Ex loco Rom.8.v.3.4.* Quod impossibile erat Legi, in qua infirmabatur per carnem, Deus mittens Filium suum in similitudine carnis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio Legis impleretur in nobis. Hinc ita colligimus: Filius Dei impossibile illud non pro se, sed pro nobis præstitit, eum in finem non sibi, sed nobis missus, & datus. Nobis igitur, & non sibi aliquid promeruit.

82. Quæ-

82. Quæstio septima: *Num Christus solus animâ descenderit ad inferos, & quidem eum in finem ut Patres, & reliquos pios liberaret ex Limbo?*

83. Resp. Consentiunt protestantes & Pontificii de reali Christi ad inferos descensu: Ab utraque enim docent parte Christum realiter ad inferos descendisse; At dissentiunt de natura, & de fine descensus. Solam animam Christi ad inferos descendisse statuit *Bellarminus lib. 4. de Christi animâ cap. 12.* Et quidem eum in finem ut Patres & reliqui pii ex Limbo liberarentur.

84. Verùm simpliciter credimus, quod tota persona Deus & homo post sepulturam ad inferos descenderit, potestatemq; inferorum everterit, idque his fundamentis evincimus. 1. Qui est natus, passus, mortuus, & crucifixus, ille descendit ad inferos: Atqui totus Christus est natus, passus, mortuus, & crucifixus. Ergo totus Christus descendit ad inferos: Et per consequens non tantum anima: Nam non duo fingenda sunt subjecta quorum unum attribuatur reliquis articulis, alterum soli descensui Christi ad inferos. 2. Actiones & passiones sunt totius suppositi, seu personæ. Atqui descensus Christi ad inferos est actio, & quidem triumphalis. Ergo totius est personæ, & non solius animæ.

85. Finis descensus Christi ad inferos, quem nominant & statuunt Pontificii est fictitius. 1. Nam scriptura neque nomen, nequerem Limbi Patrum habet. 2. Sancti in manus Domini commendabant Spiritum suum, *Psal 31. v. 6.* 3. Spiritus igitur redibat ad Deum; qui dederat illum, *Eccles. 12. v. 7.* 4. Justorum igitur animæ in manu Dei erant, *Sap. 3. v. 1.*

86. Verus verò finis descensus Christi ad inferos primus est, *ut se Dominum vivorum, & mortuorum ostenderet*, idque prædixit David *Psal. 100. v. 3. Damascenus lib 3. cap. 9.* accommodat huc sententiam Apostoli *Phil. 2.* Ut ipsi omne genu flecteretur cœlestium, terrestrium, & inferorum. Secundus est, *singulare Ecclesiæ bonum, & gratia*, ut gratia victoriæ, *Osea 13. v. 14. 1. Cor. 15. v. 55.* Gratia consolationis, nimirum, ut consolationē Diaboli & inferni insultibus, atque pavoribus opponendam suis exhiberet, *Rom. 8. v. 1.* Gratia sufficientiæ, de qua eleganter dicit *Fulgentius*: Restabat ad plenum redem-

redemptionis noſtræ effectum, ut illum uſque homo ſine peccato ſuſceptus deſcenderet, quouſque homo ſeparatus à Deo peccati merito cecidiſſet.

87. Quæſtio octava: *An ſeſſio ad dexteram Dei denotet uſurpationem Maieſtatis, potentiæ diuinæ, & diuini regiminis?*

88. Reſpon. Infinita dona Chriſto ſecundum humanam naturam eſſe data negant Pontificii: Inde etiam ambiguè, periculosè, imò etiam impiè de ſeſſione Chriſti ad dexteram Dei loquuntur: Intelligi, ajunt, nomine dexteræ æternam beatitudinem, ſed non potentiam divinam. Bellarminus à dexteris ſedere, minus honorificum eſſe cenſet, quàm ſedere à ſiniſtris. Scribit enim *lib.3.de incarnat.cap.15.p.498.* Dico per dexteram Dei à multis intelligi beatitudinem æternam, non autem majeſtatem, aut potentiam divinam. *Ibidem pag.500.* Data, inquit, eſt humanitati iſta ſeſſio non in ſe, ſed in ſuppoſito. Non enim factum eſt, ut humanitas in ſeipſa ſedeat ad dexteram Dei, ſed ut ſit humanitas illius perſonæ, quæ ſedet ad dexteram Dei: Sicut non factum eſt per incarnationem, ut humanitas ſit Deus, ſed ut ſit humanitas Dei, & proinde in concreto dici poſſit; iſte homo eſt Deus, & ſedet ad dexteram Patris. Et appoſita eſt ſimilitudo de purpura Regis. Cum enim Rex induit purpuram, & ſedet in ſolio ſuo, evehit purpuram, ad illud ſolium non ſic, ut purpura dicatur ſedere, aut regnare, ſed ut dicatur veſtis, aut regnantis, & etiam ut dicatur purpuratus Rex ſedere, aut regnare.

89. Errorem verò hunc Pontificiorum breviter refutamus. Primò, *ſeſſio ad dexteram Dei Patris non de loci ſublimitate, ſed gloriæ æqualitate eſt intelligendum.* Proinde ſeſſio ad dexteram Dei eſt illocalis in illo locorum ambitu circumſcripta. Nam 1. dextera Dei eſt illocalis, & implet omnia, *Pſal.139.v.10.* Seſſio igitur ad dexteram Dei nullius ambientis loci ſuperficie eſt circumſcripta. 2. Sedere ad dexteram Dei eſt gubernare ad modum dexteræ Dei, idque colligitur ex locorum collatione *Pſ.110.v.1.1.Cor.15.v.25.* Ergo rectè à præſentiæ dexteræ Dei ad præſentiam gubernationis Chriſti argumentamur, ſed non ab illius eſſentiâ ad hujus eſſentiam: Diſtincta enim Prædicamenta non ſunt confundenda, non

quæstio quid sit cum quæstione ubi sit. 3. Christus sedens ad dexteram Dei gubernat cœlum & terram, & quæcunque sunt in ea *Psal.* 8. *Dan.*7. *Matt.*28. *Eph.*1.4. Dominatur in medio inimicorum, quorum conatus cohibet, reprimit, evertit, *Psalm.* 110. *Act.*12. De cœlo descensurus veniet in gloria sua, *Matth.*24. *vers.*30. *cap.*26. *vers.*64. Sessio igitur hæc nullo loco est determinata, sed ubicunque Majestate communicata regnat, ibi sedet ad dexteram Dei. Nam humana natura ab infimo ad celsissimum honoris gradum, sive in propriam sublimitatem dextera Dei adduxit, *Theophylactus in* 1. *cap. Epist. ad Eph. Et Basilius scribit lib.*1. *contra Eunom.* ἢ ὅτι δεξιῶν τοῦ πατρὸς ἀφορισμὸν τῷ υἱῷ καθεζόμενον ποτε ἕτερον, καὶ οὐχὶ τὸ ὁμόλογον τῆς ἀξίας ὑποσημαίνει; *Et in lib. de Spiritu S.* τὸ δεξιὸν οὐ τὴν χώραν δηλοῖ, ἀλλὰ τὴν πρὸς τὸ ἴσον σχέσιν.

90. Quando verò dicitur sedere ad dexteram Dei sursum, in cœlis, in excelsis, in cœlestibus, intelligitur non *sursum loci*, *sed Maiestatis*, opponiturque sessio hæc terrenis, & mundanis sessionibus. Unde in Scriptura nusquam adjicitur particula exclusiva *tantum* in cœlo, *tantum* in cœlis. Addimus quod contrarium doceat Scriptura, quia dicit, Christum cœlis esse factum excelsiorem, *Hebr.*5. *vers.*25. Ascendisse longè suprà omnes cœlos, *Ephes.*4. *vers.*10. Imo Deus ipse infinitus, est immensus, qui nulli loco inclusus est, dicitur Deus noster in cœlo, Deus excelsus, gloria in excelsis. Num igitur & ille loco est inclusus? Absit. *Chrysostomus scribit Tom.*4. *Homil.*2. *in cap.*1. *ad Heb.* In dextera Majestatis, in excelsis quid est? Num Deum loco includi? Absit: Sed sicut, cum dixit, in dextra; non figuram humanam corporis Deo tribuit, sed similitudinem monstravit honoris, quem Filius æqualem habet cum Patre. Ita cum dicit, in excelsis, non eum loco includit, sed ostendit omnibus altiorem, & omnibus eminentiorem esse.

91. Observandum verò est: Sessionem ad dexteram Dei non esse causam communicantem seu conferentem Majestatem, & gloriam increatam; Sed esse causam plenariæ usurpationis Majestatis, & gloriæ increatæ, collatæ, quam per Unionem personalem Christus secundum humanam naturam acceperat; Sed in statu exi-

tu exinanitionis propter officium Redemptionis non plenariè usurparat. Christo igitur omnia sed quoad κλῆσιν sunt tradita secundum humanam naturam in momento Unionis cum Verbum, per quod Pater omnia fecit, caro factum sit, *Ioh.1.v.14.* Et tota plenitudo Deitatis habitet in ipso corporaliter. Sunt & ipsi omnia tradita in exaltatione; Sed quoad χρῆσιν. *Cyrill.lib.9.in Iohannem c.20. p.902.* Clarificatus quidem, inquit, magnitudine miraculorum fuit, adeò ut Deus à multis jam putaretur. Consummatio verò gloriæ in passione sita est, quam pro vitâ mundi sustinuit, per quam resurrectionis modus innotuit. Juxta *Augustinum* res tunc dicitur fieri, quando manifestius incipit patefieri.

92. Secundò: *Sessio ad dexteram propriè competit Christo secundum humanam, & non secundum divinam naturam.* 1. *Docent id aperta scripturæ testimonia:* A modo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, *Matt.26.v.62.* Sedet ad dexteram Majestatis in cœlis. Tantò melior Angelis effectus, &c. *Heb.1 v.3.4.* Ex his hic extruitur canon: Secundum eam naturam sedet ad dexteram Dei à qua nominatur homo, secundum quam assignatur ei tempus: Et secundum quam veniet in nubibus cœli. 2. *Christi petitio Ioh.17.v.5.* Glorifica me ea gloria, quam habui priusquam mundus fieret. *Cyrill.lib.11.c.17.* Gloriam suam, quam semper habuit, ut *Deus*, ut *homo* petiit, nec quia gloriæ propriæ unquam expers fuit, hæc ab eo dicuntur, sed quia in gloriam, quæ sibi semper adest, ut *Deo proprium templum* subducere volebat. 3. Ea, quæ exaltationem antecesserunt, ut sunt passio & mors ex *Psalm.110.v.8. Phil.2.v.8.9.* 4. Modus acquisitionis gloriæ hujus, quam obtinet ex gratia, *Phil. 2.v.9. Matt.28.v.2.* 5. *Ordo & series articulorum fidei in symbolo Apostolico.* Inde enim colligitur, quod secundum eam naturam sedeat ad dexteram Dei, secundum quam est passus, mortuus, sepultus, resurrexit, ascendit ad cœlos. 6. De exaltatione igitur hac Scriptura loquens testatur, hunc Jesum *factum* esse Dominum, *Act.2.v. 36. Heb.7.v.26.* 7. *Apostolus Petrus Act. 2.v.32.* ita infert: Christus ad dexteram Dei est collocatus Ergo resurrexit. 8. Christus secundum divinam naturam est ipsa dextera Dei. Secundum eam igitur non sedet ad eam. 9. Secundum divinam naturam Christus in statu exinanitionis est operatus, & omnia conservavit cum Patre, *Ioh.*

5.v.17. Dari igitur ipsi secundum eam per sessionem ad dexteram regnum non potuit. Virtus igitur, causa & modus regnandi aliter competit Christo secundum divinam, & aliter secundum humanam naturam. Secundum divinam naturam ipsi competit per essentialem omnipotentiam; Secundum humanam naturam per collocationem ad Dei dexteram. 10. Christus secundum divinam naturam est ipsa sublimitas. Ergo secundum eam per collocationem ad Dei dexteram non potuit fieri excelsior. 11. *Nyssenus apud Theodoretum Dial.* 2. Dextera Dei creatrix omnium, quæ sunt, & dextra est, ipse Dominus, per quem omnia facta sunt, & sine quo nihil eorum, quæ sunt, consistit, unitum sibi hominem in propriam adduxit sublimitatem. *Theodoret. in Ps.* 2. *Tom.* 1. *p.* 242. Christus cum natura Dominus sit ut Deus, etiam ut *Homo* universum imperium accepit. *Cyrillus ex Ephesinâ Synode Anathemat.* 8. Unum & eundem, inquit, Filium Dei, Deum & hominem cum propria carne, unica confidentia honestari, vel honorari apud Patrem affirmamus: Et damnamus eos, qui duas ei confidentias tribuunt, unam corpori, alteram propriam Verbo.

FINIS DISPVT. VI.

DE PAPISMO

DISPVTATIO VII.

Et quidem in ſpecie

DE

PONTIFICE ROMANO

PRIOR

IN QUA

Chriſto Duce & auſpice Chriſto

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS GISENII,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS,
ET ORDINARII IN INCLY-
ta Academiâ Giſſenâ Pro-
feſſoris,

RESPONDEBIT

JOH'ANNES CHILIANI TRAPSTA-
DIENSIS FRANCUS.

In Auditorio Theologico ad diem 10. *Decemb. horis antemeridianis & pomeridianis.*



GIESSÆ CATTORUM,
Ex Officina Typopraphica Caſparis Chemlini.

cIↃ IↃ cXVII.



DISPUTATIO SEPTIMA

Quæ est

DE PONTIFICE ROMANO PRIOR

CONTINUATIO.

CONTULIMUS de totius Ecclesiæ capite summo, quod est Christus. Agnoscunt verò Pontificii secundarium aliquod Ecclesiæ militantis caput, quod fabulantur esse Pontificem Romanum, quem Christi constituunt vicarium, universalis Ecclesiæ universalem Ecíscopum fundamentum & Monarcham, imò absolutam ipsi adscribunt potestatem, & quidem tantam ut nullum superiorem agnoscat, ex scripto nõ canonico canonicum, ex quolibet quidlibet facere possit, qua de re non nihil diximus *in disp. 1. th. 13.* Assertio *Bonifac. I. Pontific. Roman. in Iure Canon. dist. 40. cap. 6.* sic habet: Si Papa suæ, & fraternæ salutis negligens, deprehenditur inutilis, & remissus in operib. suis, & insupet à bono taciturnus, quod magis officit, sibi & omnibus, nihilominus innumerabiles populos catervatim secum ducit primo ancipio gehennæ cũ ipso plagis multis in æternũ vapulaturus: Hujus culpas istic redarguere præsumit mortalium nullius: quia cunctos ipse judicaturus à nemine est judicandus: Papa igitur contra Epistolas Pauli potest statuere, *Carol. Rui. cons. 109. n. 9. vol. 5.* Papa dispensare potest cõtra quatuor prima concilia: imo cõtra verba Evangelii, *Sigism. Neapolit.* Papa formam Sacramentorum ab Apostolis traditam potest immutare, *sic cẽsuit Archidiaconus.* Papa mandare potest Angelis Paradisi, ut animam illius, qui in itinere Romam versus, religionis gratia susceptо, morte inoptata abreptus est, è purgatorio penitus absolutam, in Paradisi gloriam inducant, *Clemens VI. in Bulla de anno Iubilæo.* Papa est quoddam Numen, quasi visibilem quendam Deum præ se ferens, *Ludovicus Gomesius.* Papa immutare potest rerum naturam, substantialia unius rei applicando alteri: Imò potest aliquid de nihilo facere, de injustitia justitiam, corrigendo jura, & mutando

potest secundum plenitudinem potestatis de jure supra jus dispensare, *in decretal. de translat. Episcopi cap. 4. in glossa: Et de concessione præbendæ, C. proposito. & in glossa super verbo dispensare. Vt & causa 9. q. 3. c. cuncta per mũdum.* Papæ potestas extendit se ad cœlestia, terrestria, & infernalia. Quare Papa authoritate, & potestate major est ipsis Angelis, *uti censet Antoninus Florentinus in summâ.* Papa est omnia & super omnia: Potest facere omnia, quæ Deus facit, *ut placuit Baldo, Decio, & Gomesio.* Deus omnia subjecit sub pedibus Papæ, juxta illud Psalmi 8. Omnia subjecisti sub pedibus ejus, sic somniavit *Barbazia.* Papa omnia jura habet in scrinio pectoris, etiamsi idiota sit, & immemor etiam sui, sic habet *Gomesius, cui subscribit Zasius.* Papa ea potest in terris, quæ Deus potest in cœlis, uti censet *Augustinus Beroius in c. cum Tu num. 1. de usuris.* Papæ nullus par est, nisi Deus, *Idem*: Hæreticum igitur pronunciant Canonistæ eum, qui ausit' in disputationem vocare, *num Papa sit omnipotens*, uti habet *Socinus Iunior cons. 51. n. 52. vol. 1.* Papa nec Deus, nec Angelus, nec homo est: imò verius Papa Deus est, dixit *Felinus.* Satis evidenter ostenditur à sæculari potestate nec ligari prorsus, nec solvi posse Pontificem, quem constat à Pio principe Constantino (quod longè superius memoravimus) Deum appellatum: Nec posse Deum ab hominibus judicari manifestum est, *Nicolaus Papa in Iure Canon. Dist. 96. c. 7.* Locum hunc commemorans, & commendans *Augustinus Steuchus Papæ Bibliothecarius in lib. de donat. Constant. pag. 141.* ita subjungit: Audis summum Pontficem à Constantino Deum appellatum, & habitum pro Deo? Hoc videlicet factum est, cum eum præclaro illo edicto decoravit, adoravit uti Deum, ut Christi & Petri successorem: divinos honores ei, quoad ejus potuit, contulit, velut vivam Christi imaginem veneratus est. Hæc ille. Papa nec Deus est, nec homo, sed neuter est, inter utrumq; *Glossa in præfati. Clementinarum.* Alius sic effert;

Papa stupor mundi, qui maxima gloria rerum es
Nec Deus es nec homo, quasi neuter es inter utrumq;

Papa in nocte nativitatis Domini benedicit ensem, quem postea donat alicui principi in signum infinitæ potentiæ Pontifici collatæ: juxta illud: Data est mihi potestas in cœlo, & in terra; Item: Dominabi-

minabitur à mari usque ad mare,& à flumine usque ad terminos orbis terrarum, *lib.1.cerem. Pontifical. tit.* 7. Nos justitiam nostram, & *Ecclesiæ sponsæ nostræ* nolentes negligere, qui alios in sua justitia fovemus statuimus,&c. *Bonifacius VIII. de immunitate in 6.tit.* 23. *c.* 4. Quando Papa dissolvit matrimonium, videtur quod solus Deus dissolvit, quia Papa Canonicè electus est Deus in terris, *c.inter corporalia, de translat. Prælat.* Papa tantam habet potestatẽ tum in purgatorio, tũ in inferis, ut quãtum quantum velit animarum numerũ, quæ in illis locis cruciãtur, per suas indulgentias liberare & confestim in cœlis, & beatorum sedibus collocare possit, *uti habet Bulla Clementis VI. & Anton. Florent. part.*3. *tit.*22. *cap.*6. Papa & Christus faciunt unum consistorium: ita quod excepto peccato potest Papa quasi omnia facere, quæ potest Deus, & à nemine potest judicari, *secundum Abb. in c.licet, de elect.* Papa potest de injustitia facere justitiam, *c.debitus de appellat.* Factum à Papa reputari debet factum à Deo, *de transl.prælat.cap.quanto.* De potentia Papæ dubitare sacrilegium est, *l.sacrilegi*, C.*de crim.sacril.* Papa est causa causarum unde non est de ejus potestate inquirendum, cum primæ causæ nulla sit causa, secundum *Baldum in d.c.Ecclesia, ut lit.penden.* Papa supra jus, contra jus, & extra jus omnia potest, *secundum eundem Baldum in c.cum super, de caus.prop.& pos.* Secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare; *C.proposuit, de conces. præbend.* A Romano Pontifice approbationem personæ ad Imperialis celsitudinis apicem assumendæ, nec nõ unctionem, consecrationem, & Imperii coronam accipiunt Romani Imperatores, *Clement.unica.de iureiurand.* Papa superioritatem habet in imperium, & vacante imperio Imperatori succedit. *Clement. Pastoralis de sentent.& re iudic.* Ad Romanum pontificem pertinet jus,& potestas eligendi Regem in Imperatorem, C.*venerabilem, de elect.* Papa potest Imperatorem deponere, *c.*2.*de sentent.& re iudic.in* 6.*lib.*2.*tit.*14. Papa Romanus habet utriusque potestatis temporalis,& spiritualis Monarchiam, *de elect.in* 4.*c.Fundamenta.*

THESIS I.

Blasphemias illas pontificias de Pontificis Romani primatu, & potestate absoluta narrare,& præmittere voluimus, ut deinceps

ad eas remittere possimus. Sic verò de iis censemus Pontificem Romanũ esse Ecclesiæ universalis caput fictitiũ, & mõstrosum. Quam primum enim terminos Apostolici muneris transcendere cupiveris, confestim invades ipsum Christi munus. Neque enim ulla est intermedia potestas, aut dignitas in officio Ecclesiastico.

2. Ecclesiæ igitur, sive militantis, sive triumphantis datur caput, dantur & membra. Caput Ecclesiæ solus est Christus, & quidem tripliciter, 1. Perfectione Personæ. 2. Dignitate, & ordine. gloriâ & Majestate. 3. Officio.

3. Christiani verò omnes sunt Ecclesiæ membra, licet variis officiis inter se distinguantur, 1. quia per fidem & Spiritum S. sunt copulati. 2. quia Christo hoc modo insiti ab eo vivificantur, & reguntur. 3. quia sicut in capite variæ sunt membrorum facultates, & ministeria: sic varia sunt dona, & officia membrorum Christi in Ecclesia.

4. Membra hæc sunt Doctores, vel auditores. Inter Doctores est quidem primatus ordinis, sed non potestas absolutæ jurisdictionis.

5. Apostolo igitur Petro non est collata potestas simplicis Jurisdictionis, quamvis ipsi atttibuatur primatus ordinis, cum reliquis fuerit senior, eloquentior, cordatior, & amore in Christum flagrantior.

6. Quare nec Papa fingens sed Petri successorem, est Christi vicarius, caput universalis Ecclesię, fundamẽtũ fidei. Quoniã verò hęc sibi satanico fastu arrogat, est Antichristus ille magnus.

7. Contrà dogma Pontificiorum *Coster. de summo Pontifice c. 3. p. 11. 4. & seqq.* Sex propositionibus comprehendi posse, opinatur. *Prima* est: Christus de cœlo ad nos lapsus ex omnib. gentibus, atq; nationibus Rempub. quam Ecclesiam appellavit evocavit, p. 115. *Secunda*: Quia mẽbra hujus Ecclesiæ sunt capacia bonorũ fortunæ, & animę: Ideò opus habent duplici administratione: Politica & Ecclesiastica, *Ibidem*. *Tertia*: Politicam administrandi rationem Christus reliquit Principibus, *pag. 116*. *Quarta*: Animarum curam Christus dum in terris ageret, ipse suscepit, *Ibidem*. *Quinta*, Christus in cœlos ascensurus substituit sibi vicarium unum, qui ejus vice Ecclesiæ Catholicæ præesset, omnesq; oves ipsius regeret, & pasceret, ni-

mirum

mirum Beatissimum Petrum, quem ut cæteris omnibus Christianis: ita Apostolicis quoq; ipsis Pastorem præfecit, *p.* 118. *Sexta*: Hanc porrò universalis Ecclesiæ curam non ita personæ B. Apostoli Petri demandavit, ut eo mortuo potestas eadem nō posset ad quempiam alium devenire: Sed (quod in aliis item ordinariis officiis usu venit,) ut ad successores Ecclesiæ suffragiis designatos transmoveretur, *Ibidem.*

STATUS CONTROVERSIÆ.

8. Disputatur igitur in hoc Articulo potissimum de duobus, ad quæ reliqua non incommodè referuntur. *Prius est: Num Christus in his terris unum aliquem hominem universæ suæ Ecclesiæ Episcopum, Monarcham caput, & fundamentum esse voluerit, quod nostro hoc tempore sit Papa Romanus? Posterius: An Papa Romanus sit Antichristus ille magnus?*

9. Specialius de illis acturi quæstiones quasdam ventilandas proponemus. Sit igitur quæstio prima: *An caput Ecclesiæ universalis solus sit Christus?*

10. Resp. 1. Solus Christus passim in Scriptura nominatur caput Ecclesiæ tum militantis, tum triumphantis. Ergo iste solus, & nō aliquis Episcopus universalis Ecclesiæ caput est agnoscendus, *Eph.* 1. *v.* 22. dicit Apostolus: Omnia subjecit sub pedib. ejus: Et ipsū dedit caput supra omnē Ecclesiam. *Eph.* 4. *v.* 15. Veritatem facientes in charitate, crescāmus in illo per omnia, qui est caput Christus. *c.* 5. *v.* 23. Vir caput est mulieris: Sicut Christus caput est Ecclesiæ, ipse Salvator corporis ejus, *Col.* 1. *v.* 18. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis: ut sit in omnibus ipse primatum tenens. Sic igitur inferimus; *Quemadmodum vir est caput mulieris: ita Christus est caput Ecclesiæ universalis. Atqui mulier præter maritum nullum alium agnoscat virum, aut si alium admittit est adultera. Ergo & Ecclesia præter Christum nullum aliud agnoscit caput: aut si fuerit biceps, erit monstrosa.*

11. 2. Solus Christus est Ecclesiæ Rex unicus supremus Rector, universalis Pastor, absolutus Princeps, *Ioh.* 3. & 10. *Matt.* 23. 1. *Cor.* 3. Est solus Ecclesiæ suæ sponsæ sponsus, & vir. Despondi vos uni viro, ad exhibendam virginem castam Christo, 2. *Cor.* 11. *v.* 2. Est fundamentum & lapis, 1. *Cor.* 3. *Col.* 2. *Matt.* 21. *Act.* 4. *Eph.* 1. *Pet.* 2.

12. 3. Apostolus dicit *Rom.* 12. *v.* 45. Quemadmodū in uno corpore membra multa habemus; Membra verò non omnia eundem

habent actum: Sic multi unum corpus sumus in Christo, singulatim autem alii aliorum mẽbra. Ex his Apostoli verbis ita argumentamur: *Quos Apostolus non tantum respectu Christi, sed etiam respectu aliorum Apostolorum, & fidelium annumerat membris, illi non sunt Ecclesiæ caput. Atqui se, & alios Apostolos, atque singulos fideles non tantum respectu Christi, sed etiam respectu aliorum Apostolorum & fidelium annumerat membris. Ergo.* Singuli, inquit, alter alterius membra, idque probè notamus, quod non dicat, *Christi membra, sed alter alterius membra,* quo docet, quemlibet fidelem habere relationem ad alterum non capitis, sed membri, seu ut ita loqui liceat, commembri. Apostolus igitur Petrus non tantum erat membrum comparatus ad Christum, sed etiam ad alios Apostolos, & fideles, seu non tantum in relatione ad Christum, sed etiam in relatione ad alios Apostolos.

13. 4. Varii ordines numerantur quidem in Scriptura, Sed nullius universalis capitis præter Christum vel mentio injicitur. At si aliquod esset, vel indicium ejus appareret in Dei verbo. Imò potius de Ecclesiæ ministris asseritur, quod ratione officii omnes sint pares, 1. *Cor.* 12. *v.* 4. 5. *&c.* Divisiones donorum sunt, sed idem Spiritus. Et divisiones ministeriorum sunt, sed idem Dominus. Et divisiones operationum sunt, sed idem est Deus, efficiens omnia in omnibus. Unicuique verò datur manifestatio Spiritus ad id, quod expedit, &c. *v.* 18. Nunc autem Deus posuit membra unumquodq; singulatim in corpore, quemadmodum voluit. *v.* 25. 26. Invicem alia pro aliis eandem solicitudinem gerant membra: sive patitur unum membrum, simul patiuntur omnia membra. Sive glorificatur unum membrum, simul gaudent omnia membra. *Quicunque igitur sunt positi in Ecclesia tanquam membra, illi non sunt Ecclesia; quæ est corpus Christi universale caput. Atqui singuli Apostoli sunt positi in Ecclesia tanquam membra. Ergo.*

14. 5. *Augustinus lib. de unit. Eccl. cap.* 2. Ecclesia, inquit, corpus Christi est, sicut Apostolus dicit: Pro corpore ejus, quæ est Ecclesia. Unde utique manifestum est, eum qui non est in membris Christi, Christianam salutem habere non posse. Membra verò Christi per unitatis claritatem sibi copulantur, & per eandem capiti suo cohærent, quod est Christus Jesus. Totum igitur, quod annuncia-

nunciatur de Christo, caput, & corpus est. Caput est ipse unigenitus Jesus Christus Filius Dei vivi, ipse, Salvator corporis, qui mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram. Corpus ejus Ecclesia, &c. *Idem tractat.* 108. *in Johan.* Quoniam, inquit, per hoc quod Mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus, factus est caput Ecclesiæ, illi Apostoli sunt mẽbra ejus, ideò ait, quod sequitur; & pro eis ego sanctifico meipsum? Nisi eos in meipso sanctifico, cùm & ipsi sint ego: quoniam de quibus hoc ait, ut dixi membra sunt ejus; & unus est Christus caput & corpus, &c. *Idem Augustinus lib. de Pastor. c.* 13. Ipsum Petrum cui commendavit oves suas, quasi alteri, unum secum facere volebat, ut sic ei oves commendaret, ut esset ille caput, ille figuram corporis portaret, id est Ecclesiæ, & tanquam sponsus & sponsa essent duo in carne una. *Chrysostomus hom.* 11. *in Epist. ad Ephes.* Quemadmodum Spiritus ille sensibilis, qui ex cerebro, per nervos, in corpus descendit, non simpliciter in omnibus omnia tradit; Sed juxta cujusque membri analogiam, plus illi, quod plus, & minus ei, quod minus capere potest. Istud enim radix est, & principale, nempe corpus conservandum: Ita & Christus: Ipsius enim providentia, charismatumque subministratio, uniuscujusque membri, animarum videlicet earum, quæ velut membra quædam illi adaptatæ sunt, juxta mensuram, & analogiam incrementum facit.

15. Quæstio secunda: *Num rectè duplex constituatur Ecclesiæ caput invisibile, & visibile, principale & ministeriale, duplex itidem Ecclesiæ fundamentum primarium & secundarium, & quid de vicario Christi, quem fingunt adversarii sit sentiendum?*

19. Resp. Pontificii ut errores suos nonnihil palliare possint, varia, excogitant effugia. Verùm primò opponimus iis quædam in genere. 1. Ecclesia non cujusdam puri hominis, sed solius Christi est corpus, *Eph. 1. v. 22. Col. 1. v. 18. Eph. 5. v. 29.* Ergo præter Christum non datur Ecclesiæ caput universale, quocunque etiam nomine illud nominetur. 2. Ecclesia est illius solius corpus, & cõplementum, qui omnia in omnibus adimplet, *Eph. 5. v. 29.* Atqui non Papa, sed Christus omnia in omnibus adimplet. Ergo. 5. Qui dat salutem corpori, is est caput Ecclesiæ. Atqui non Papa, sed Christus dat salutem corpori. Ergo. 4. Caput dicitur vel materiali-

ter vel formaliter: Ex omnibus membris, & consequenter etiam ex capite materiali sumpto simul cum capite formali, fit unum corpus perfectum & vivum. Et caput, quod indiget membris, non est caput formaliter sic dictum, sed membrum. Sic igitur concludimus: Caput formaliter ut caput fovet, regit, & adjuvat omnia membra suo spirituum animalium influxu, nihil accipit opis à membris, membra illud non adjuvant, sed ipsi subiiciuntur, & ab eo penitus dependent. Atqui Papa Romanus accipit à membris, quæ fovet, regit & adjuvat christus. Ergo. *Albericus de Rosate satis scitè sic ludit:*

Si caput à capio, vel dixeris à capiendo:
Tunc est Roma captu: omma namq; capit.

Et iterum: Roma manus rodit, quos rodere non valet, odit.

Mantuanus sic ecanit:

— — — — — Venalia Romæ
Templa, sacerdotes, altaria, sacra, coronæ,
Ignis thura, preces, cœlum est venale, Deusque

Alius iam olim sic ecinit:

Curia Romana non carpit ovem sine lanâ
Dantes exaudit, non dantibus ostia claudit.

17. Secundò in specie: *Non opus est Ecclesiæ capite quod est universali visibili.* 1. Nam ipsa certo respectu est invisibilis, cujus omnis gloria ab intus est, *Psal.* 45. *v.* 14. 2. Non venit regnum Dei cum observatione, *Luc.* 17. *v.* 20. 3. Consolatur Christus discipulos suos, quos emittebat, non argumento sumpto à visibilitate, sed à collata potestate in cœlo, & in terra, & à præsentia, *Matth.* 28. *v.* 18. *&* 29. Data est mihi, inquiens, omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergò docete omnes, &c. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. 4. Quodnam quæso excogitari potest unius istius visibilis capitis officium, quod non sit omnibus Episcopis, jure divino, aut pluribus jure Ecclesiastico, commune? Annon singuli Episcopi suis rectè præsunt particularibus Ecclesiis, easque regunt. 5. Quicunque homo in Ecclesia est, ut visibilis, ejus membrum, non caput est.

18. Non

18. *Non est Ecclesiæ universale caput aliud principale & aliud ministeriale.* Nam 1. distinctio illa nullo stabilitur Scripturæ fundamento. 2. Caput hoc ministeriale dicitur aut respectu Christi, aut respectu Ecclesiæ. Nam respectu Ecclesiæ, quia ejus respectu non esset Monarchicum, sed servile. Non respectu Christi; quia aut ipsi est subjectum, & tum corporis sui, hoc est, Ecclesiæ est membrum, vel non subjectum, quod statuere est ἀθεόλογον. 3. Ministeriale caput non habet imperium in Ecclesiam: Ministrum enim & caput esse: item servum, & in Domini sui sponsam, atque in corpus potestatem habere, eamque plenariam, simul consistere nequeunt.

19. *Non est propriè duplex Ecclesiæ fundamentum, primarium, & secundarium.* Notamus verò Apostolum Petrum metaphoricè Ecclesiæ posse dici fundamentum, sed eo modo, quo & omnes Prophetæ & Apostoli fundamentum nominantur, *Eph.2.v.20. Apor.21. vers.14.* nimirum ratione fundationis, & doctrinæ, quâ illi fundamentum ostendebant, ac describebant aliquando exhibendum; Hi demonstrabant exhibitum; At non est, nec dicitur, (ut nec Pōtifex Romanus) fundamentum respectu cujusdam prærogativæ, primatus, jurisdictionis, potestatis, & quasi ipsi innitamur. 1. Nam unicum est Ecclesiæ fundamentum, & quidem solus Christus 1. *Corin.3.v.11.* Fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus. Ergo nō duplex. 2. Nullum fundamentum, qua tale, sustentatur, sed sustentat. Atqui Petrus à Christo sustentabatur, non sustentabat. Ergò non erat propriè fundamentum: Fundamentum enim est id solum propriè, ad quod ultimò pervenitur, quando basis rei quæritur. 3. Fundamentum Ecclesiæ non debet nutare, multò minus vi quapiam convelli, *Matt.16.v.18.* Atqui Petrus nutavit. Ergò. 4. Fundamentum Ecclesiæ non aliena, sed propria virtute sustinet ædificium. Quod enim aliunde vires sumit, radicatur in altero, atque sic fundamentum non est. Atqui Petrus Ecclesiam non sustinet virtute propriâ, quia nititur altero. Ergo. 5. Nulli Ecclesiæ membro tota superstructa est Ecclesia tanquam propriè sic dicto fundamento: Pars enim non est basis totius. Atqui Petrus Ecclesiæ est membrum. Ergo.

20. 6. Idem docent Sancti Patres: *Cyrillus lib.2.in Esai.c.12.* Fortes, inquit, aquarum sunt divini discipuli, qui sermones è supernis, & per Spiritum in universum orbem terrarum depluunt. Sunt item & fundamenta mundi: Lapis enim selectus Christus, qui positus à Deo, & Patre dicitur in fundamenta Sion, id est Ecclesiæ: Ipsi namque innitimur, & per fidem ædificamur domus spiritualis in Sacerdotium sanctum, in ædificum Dei, in Spiritu. Lapides verò secundum ipsum, sive fundamentum orbis habitabilis possunt esse, ac dici, idque jure optimo, qui illum per omnem terram prædicarunt: Nam scripta eorum nos sustinent, ac firmitate, & constantiâ fidei, & veritatis fulciunt.

21. *Deniq, non indiget Christus aliquo vicario, qui sit Pontifex Romanus.* Nam Christus ipse perpetuò suæ adest Ecclesiæ, *Matt.18. v.20.cap.28,v.20:Mar.16. v 20 Ioh.4.v.19.* Inque medio inimicorum suorum præsentissimè dominatur, *Psalm.110.* Oportet ipsum regnare donec ponat inimicos suos scabellum pedum suorum, *1.Cor.15.v.25.* Reges verò & Principes quandoque constituunt vicarios ob absentiam, vel ob rerum multitudinem. 2. Petrus certè nequaquam toti Ecclesiæ, sed quovis tempore uni duntaxat particulari præsens esse potuit, nec gemitus afflictorum exaudire, neque vim adversam propulsare valuit. 3. *Athanasius ser.3. cont. Arian.* Aaroni, quidem, inquit, successores sunt dati: & omnino legale sacerdotium mortis & temporis progressu alios, atque alios Pontifices accepit: Dominus autem sine transitione, & sine successore, sacerdotium obtinens, fidus, firmusque Pontifex factus est in perpetuum perseverando. 4. Apostolus *Heb.7.* in eo ponit discrimen inter sacerdotium Christi & Leviticum, quod hoc morte fuerit interruptum: illud maneat in æternum. Et alii quidem, inquit, intellige ex genere Levi, plures facti sunt Sacerdotes; idcirco morte prohiberentur permanere; hic autem Christus Jesus eò quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. 5. Si quis verò vicarium morosè requirat, qui perfectè Christi vices post ejus in cœlum ascensionem, gesserit, geratque, & gessurus sit usque ad consummationem sæculi, damus Spiritum S. Non enim aliquem singularem hominem, non Petrum, sed Spiritum S. sui loco missurum se spopondit, *Ioh.14.v.18.v.26.* Non relinquam vos

vos orphanos. Paracletus Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggetet vobis omnia. *Ioh. 16. v. 7.* Expedit vobis, ut ego vadam: Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: Si autem abiero mittam eam ad vos. *Tertullianus igitur de præscript. dicit:* Credimus Jesum Christum in cœlos ereptum, sedere ad dexteram Patris, misisseque Vicariam vim Spiritus S. *Idem de Virg. velam.* Cum propterea, ait, paracletum misérit Dominus, ut quoniam humana mediocritas omnia semel capere non poterat, paulatim dirigeretur, & ordinaretur, & ad perfectum perduceretur ab Vicario Domini Spiritu S.

22. Observandum verò est, quando de vicario Christi disputatur, controversiam esse, non tam de appellatione, quam de reipsa, nimirum de ipsa potestate absoluta, quam sub vicarii prætextu, & appellatione Papa Romanus sibi arrogat. Ob officium docendi, & Sacramenta distribuendi à Christo institutum vicarii Dei nominantur *primùm omnes Apostoli:* Dicit enim Apostolus Paulus 2. *Cor. 5. v. 20.* Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. *Eph. 6. v. 20.* Pro quo Evangelio legatione fungor in catena ista, *Ambrosius in Epist ad Rom. c. 1.* Mittit Apostolos, inquit, ut prædicarent fidem omnibus gentibus, ut obedirent, & salvarentur, ut donum Dei, non jam solis Judæis, verum etiam omnibus gentibus, concessum videretur; & hanc esse Dei voluntatem, ut in Christo, & per Christum omnibus misereatur, vicariis ejus prædicantibus. Idem in *in Epist. 1. ad Cor. c. 3.* Hoc, inquit, ad Apostolorum personam pertinet, quos constat, Dei esse adjutores dum *Vicarii sunt Christi.* Deinde eodem sensu vicarii Dei nominantur *omnes Episcopi & Sacerdotes. Eusebius Papa Epist. 3.* Velut placet aliis *Hormisda Epist. 60.* Caput, inquit, Ecclesiæ Christus est, Christi autem *vicarii* Sacerdotes sunt, qui vice Christi legatione funguntur in Ecclesia. *Ambrosius in 1. Cor. 11.* Mulier, inquit, idcircò debet velare caput, quia non imago Dei: Sed ut ostendatur subjecta: & quia prævaricatio per illam inchoata est, hoc signi debet habere, ut in Ecclesia propter reverentiam Episcopalem, non habeat caput liberum, sed velamine tectum: nec habeat potestatem loquendi; quia Episcopus personam habet Christi: quasi ergò ante Judicem, sic ante Episcopum, quia *vicarius Domini est* propter

reatus originem subjecta debet videri *Augustinus serm.36.* Non intrat per ostium ait, ad Ecclesiam, qui per laicalem portum intrat. Non enim laicis spiritualia dona tradita sunt, sed Domini Vicariis: Vicarii Domini sunt, qui vicem Apostolorum tenent. *Patres Concilii Meldensis in præfat.* Nos omnes, ajunt, licet indigni, Christi tamen *Vicarii* & Apostolorum successores consilium Dei annunciamus.

23. Verùm de ejusmodi Dei & Christi Vicario est quæstio, *qui sibi absolutam iurisdictionem arroget, quem satellites ipsius vice-Deum, imò absolutè Deum appellitent,* uti habet Glossa, *in extravag. cum inter, de verb. sign. in fin.* Quique Dei locum in terris teneat, & vinculum Matrimonii rati jam, & consummati, inter Episcopum, & Ecclesiam suam, occasione mutationis, seu translationis ad aliam sedem, dissolvere possit; non ut homo, sed ut Deus: quia quos Deus conjunxit, homo non potest separare, sed Deus, *Gregorius de translatione Episcopi c.2.3.4.*

24. Quæstio tertia. *Num intet Doctores Ecclesiæ Christus voluerit esse non tantùm ordinem, seu prtmatum ordinis, sed insuper potestatem absolutæ iurisdictionis? seu num Christus unum aliquem hominem Ecclesiæ suæ esse voluerit Principem, & Monarcham, cui uterq; committendus sit gladius?*

25 Resp. Utrumque gladium, politicum simul & Ecclesiasticum Pontifex Romanus sibi arrogat. *Hadrianus Papa,* referente Aventino lib 6. in Epist. ad Archiepiscopos Trevirens. Mogunt. & Colonien. ait. Unde habet imperium Imperator, nisi à vobis? ergò per nos imperat. *Item,* Imperator quod habet, tantum habet à nobis. *Item:* Ecce in potestate nostrâ est imperium, ut demus illud, cui voluimus; propterea constituti à Deo super gentes, & regna, ut destruamus, & convellamus, ædificemus, & plantemus. Quare affirmant Canonistæ, Imperatorem esse Papæ vasallum, & imperium ab eodem feudi nomen accipere: Imperialem dignitatem mutuari omnem splendorem à Papali, veluti Luna à Sole. *Bellarminus in præfat. de summo Pontif. pag.595.* Cum de primatu, inquit, Pontificis agitur, brevissimè dicam, de summa rei Christianæ agitur. Id enim quæritur, debeatne Ecclesia diutius consistere; An verò di-

rò dissolvi,& concidere? Quid enim aliud est quærere, ân oporteat ab ædificio fundamẽtum removere, à grege pastorem, ab exercitu Imperatorem, solem ab astris, caput à corpore, quam an oporteat ædificium ruere, gregẽ dissipari, exercitum fundi, sydera obscurari, corpus jacere? Inde prolixè disputat de optimo regimine, quo gubernari debeat Ecclesia.

26. Quamvis verò Protestantes non negent, Monarchiam inter simplices politias esse optimum regimen, nec in dubium vocent, Ecclesiam à Christo Domino, tanquam à proprio Rege, & absolutissimo Monarcha regi & gubernati, uti ab eodem est instituta, & fundata, atque hoc sensu veram Monarchiam esse in Ecclesia non dubitent, & ordinem inter personas Ecclesiasticas commendent: Attamen Christum personis Ecclesiasticis potestatem jurisdictionis, seu civilem potestatem committi, & ab iis usurpari voluisse negant, & pernegant: Idque evincunt 1. *ab exemplo summi Sacerdotis Christi*: ipse enim potestatem jurisdictionis sive politicam nunquam usurpare voluit, eam sibi ablatam respuit. Ergo hoc ipso potestatem civilem personis Ecclesiasticis derogavit *Ioh.18.v.* 16. dicit: Regnum meum non est de hoc mundo. *Iohan.6.v.15.* Sese abscondidit, cum Judæi Regem eum facere constituissent. *Matth.22.vers.21.* Cæsar tributum dare jubet, Reddite, inquiens, Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & Deo, quæ sunt Dei. *Matth.17.versic.* 27. Pro se & Petro illud solvit. *Luc.12.vers.14.* Hæreditatem inter fratres dividere renuit. Homo, inquiens, quis me constituit judicem, aut divisorem super vos? Ratio consequentiæ petitur ex *Iohan.20.vers.21.* Sicut misit me Pater: Ita & ego mitto vos. Quomodo verò ipse sit missus, explicat, *Matt.20.v.28.* Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Et canon theologicus est: *Omnis Christi actio est nostra instructio*, si non semper quoad speciem facti, tamen quoad genus.

27. 2. *Ab aperto Christi testimonio*, *Matth.20.vers 25.26.* 27. Principes gentium dominantur eorum, & qui majores sunt potestatem exercent inter eos. Non ita erit inter vos: Sed quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister. Et qui volue-

volùerit inter vos primus esse, erit vester servus. *Luc.22.v.25.26.* Reges gentium dominantur eorum: Et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: Sed qui major est in vobis, fiat sicut minor: Et qui præceptor est sicut ministrator. *Cuius igitur respectu personæ Ecclesiasticæ, & politicæ distinguuntur, eius respectu non conveniunt. Atqui distinguuntur respectu absolutæ potestatis, dominii, & iurisdictionis. Ergo.*

28. Insurgunt verò contra apertam hanc Scripturam variis modis Pontificii: Non tollit, *inquit, Costerus pag.* 164. *Enchi*principatum ex Ecclesia, sed modum prescribit. Eadem est opinio *Bellarmini pag.* 635. Non dicit Dominus, inquit, vos non præsidebitis ullo modo, sed non sicut reges gentium. Qui autem dicit: Tu non sic præeris, ut ille, id significat, præeris quidem, sed aliter, quam ille.

29. Resp. 1. Refutat hoc effugium discipulorum Christi quæstio, quæ erat non de modo regiminis, sed de ipso regimine, quisnam videlicet ipsorum debeat esse major: Non enim tyrannicum expetebant dominium: Hoc quærebatur, quis eòrum principatum, qualis ille sit futurus, obtenturus esset. 2. Refutat idem Christi responsio, quæ non est modalis, sed absoluta; Et si talis nõ fuisset, non fuisset directa ad decidendam motam controversiam. 3. *Luc.22.v.25.* Discipulis Christi potestas derogàtur, & quidem ea potestas, ob quam reges gentium benefici vocantur.

30. At invertit *Bellarminus*, nonne clarè, inquiens, subjungitur: Qui inter vos major est, fiat sicut minor, & præcessor, Græcè ἡγούμενος, id est, dux & princeps: fiat sicut ministrator? Unus igitur erat à Domino dux designatus.

31. Resp. 1. Quid verbis illis sibi velit Salvator, ipse explicat. Nam de ἡγουμένῳ illo dicit, quod debeat reliquorum esse Minister. Quare ita colligimus: Qui aliorum est Princeps, non est eorundem minister. Atqui de quo ἡγουμένῳ loquitur Salvator, ille debebebat reliquorum esse minister. Ergo. 2. *Matthæus cap.* 20. *v.* 26. ita explicat: Quicunque volùerit inter vor major fieri, &c. Cui suffragatur *Marcus c.* 10. *v.* 44. Inde hoc depromimus: Quicunque vult

vult cæteris esse major, seu eminentior, & superior, is sit omnium Minister.

32. 3. *A facto Christi de lotione pedum; Ioh.13.v.14.* Si ego lavi pedes vestros, Dominus & Magister vester, & vos debetis alter alterius lavare pedes. Argumentamur inde hoc modo à majore ad minus: Ego Magister & Dominus vester lavi pedes vestros. Ergò multò magis vos, inter quos nulla est absoluta jurisdictionis potestas nullus alterius Dominus. Deinde facto hoc adhortatur Christus discipulos non simpliciter ad externam pedum corporis ablutionem, sed ad mutua officia, quod nimirum vilissima etiam sibi invicem servitia in verâ humilitate debeant præstare. At à papali dignitate hoc est alienissimum.

33. 4. *A collatione discipulorum Christi cum pueris*: Vult enim Christus discipulos suos evadere similes puero, *Matth.18.v.3. Mar. 9.v.36. Luc.9.v.47.48.* non infantia, sed simplicitate, omni ambitione vacua. Quicunque igitur non evadit puero similis, regnum Dei videre non potest. At qui in Ecclesia affectat primatum absolutæ jurisdictionis, non evadit puero similis, quia dogmata fidei non simplici, & puerili fide credit, cum de illis ex pectoris sui scrinio judicare conetur. Ergo.

34. 5. Apostolus igitur Petrus, 1. *Epist. 5.v.3.* hortans Ecclesiæ Ministros, ne dominantes, inquit, in Cleris. 6. Apostolus Paulus, *Rom.13.v.1.* Omnis, inquit, anima potestatibus supereminentibus sit subdita Chrysostomus *Homil.23.ad Roman.* sive Apostolus sit, ait, sive Propheta, sive Evangelista, sive quisquis tandem fuerit.

35. 7. Unde Paulus, *Actor.25.v.11.* appellat à Festi tribunali ad Cæsarem. Aut igitur appellavit ad Judicem incompetentem, aut non agnovit Petrum pro Judice suo, & Magistratu.

36. 8. In Veteri Testamento, licet summus Sacerdos typum ipsius Christi gesserit, & hujus Pontificatus ipso præfiguratus fuerit, non tamen universalis, & absoluta potestas, atque Monarchia, sed potius mixtum quoddam Ecclesiæ regimen ab ipso Deo fuit institutum. Ergo multò minus in N. Testamento, exhibito Christo, absoluta ejusmodi potestas in Ecclesia est commissa, vel committenda præsertim postquam id quod concessum videbatur Sacerdo-

cerdotibus in V. Testamento, sit jam Apostolis derogatum expressa Christi voce, *vos autem non sic*. Antecedens est manifestum: Nam summo politico Magistratui, hoc est, Judici supremo, ac Regi adjungebatur Sacerdos, qui Judicem ex lege informabat; Judex sententiam promulgandam curabat. Lex igitur scripta Sacerdoti simul & Regi, imò toti Ecclesiæ tanquam Regina quædam imperabat. Totum consilium externum Ecclesiæ curam gerebat, pontificemque interdum deponebat. De hisce legitur *Deut.* 17. & 20. *Iosu.* 1. 23. 24. 1. *Reg.* 8. 1. *Paral.* 23.

37. Quæstio Quarta: *Num Apostolo Petro alicubi sit collatus primatus potestatis etiam in reliquos Apostolos & iurisdictionis?*

36. Resp. *Eckius in Enchir. Tit.* 3. *pag.* 32. Disputat Apostolos omnes fuisse æquales respectu officii Apostolatus; sed inæquales respectu regiminis, & potestatis. Prolixius idem expllicat *Staplectonus lib.* 6 *contr.* 2. *pag.* 218. 219. 220. Parem inquiens, potestatem habebant quatenus Apostoli in propriis personis, non tamen ad alios derivandam, sed alia propterea in illis fuit Episcopalis, & jurisdictionis specialis Potestas, quæ unicuique ibi propria fuit, ubi sedē fixit, ut: Hierosolimis Jacobus, Ephesi Johannes, Romæ Petrus aliiq; aliis in locis. Hoc respectu Episcopalis videlicet seu Pastoralis, & ordinariæ potestatis inferiores reliqui Apostoli Petro erant, Petrus enim hanc Potestatem accepit, non ut Apostolus, non ut missus extra ordinem; Sed ut pastor Ecclesiæ ordinarius, per suos successores perpetuò duraturam. Ergo, licet in rebus ipsis, quas facere poterant Apostoli, par erat in singulis potestas; tamen in modo hujus potestatis, (quia in Petro perpetua, in aliis extraordinaria fuit,) magnum discrimun ad rem præsentem est. *Ibidem*: Aliud discrimen, inquit, est ratione extensionis: Omnes enim Apostoli habebant parem potestatem quoad amplitudinem rerum gerendarum; Sed non quoad superioritatem in ordine gerendi: id est plenissimam singuli Apostoli potestatem habebant, & supremam potestatem, respectu aliorum omnium Christianorum, non autem respectu ad se invicem: quia videlicet Petrus sic caput erat omnium Christianorum, ut etiam ipsorum Apo-

Apostolorum caput esset. *Et pagin.* 220. Tertium, inquit, discrimen est, idque maximum, quod Petro data est potestas præceptiva seu regiminis; Apostolis autem tantùm executiva seu gubernationis: id est, etsi cæteri Apostoli immediatè à Christo parem haberent potestatem, & honorem cum Petro, scilicet omnia faciendi, & exequendi, quæ ad ædificandam Ecclesiam pertinebant, tamen soli Petro sic ista plena potestas à Christo data est, ut in ipsa gubernatione Ecclesiasticâ, ipse præscriberet ea quæ agenda, & executioni mandanda essent, ideoque omnis ab illo gubernandi potestas ad illos descenderet: Hoc est enim caput cæterorum fuisse. *Ioachimus Perionius libro primo, Topic. Theolog. pagin.* 47. scribit · Petrus potissimum eum Christum Filium Dei esse respondit: qua ejus responsione adductus Christus, ei uni claves regni cœlorum daturum se esse promisit. Eæ autem claves quid aliud sunt, nisi Principatus? *Costerus de summo Pontifice cap.* 3. *pagin.* 129. Apostoli, seu Legati à Christo missi ad universum terrarum orbem summa, & eadem prorsus, qua B. Apostolus Petrus, authoritate, & potestate fuerunt, his duobus tantummodo demptis, altero, quod cæteris Apostolis collegis suis non præessent: Altero, quod orbis non essent Episcopi, seu pastores; Sed Apostoli, hoc est, Legati, quorum videlicet in totum orbem potestas non erat ordinaria, sed demandata, carens successore: Petrus verò & Princeps fuit Apostolorum, & totius Ecclesiæ ordinarius Pastor. *Iohannet Roffensis Episcopus Cantabrigiensis Academiæ Cancellarius* scribit *Articulo* 25. *de primatu summi Pontificis pagin.* 203. Christus voluit Petrum majori, quàm cæteros authoritate pollere, suumque vicarium in terris eum constituere, simulque ei totius Ecclesiæ committere curam pariter & administrationem. Cur enim ei præ cæteris cognomentum ex seipso petitum adhiberet? Cur in ordine primum constitueret? Cur super ipsum Ecclesiam ædificandam polliceretur? Cur donaret clavibus regni cœlorum? Cur sibi Petrum solum adjunxit in solvendo didrachmate? Cur pro solo Petro, ne is deficeret in fide oravit? quatenus ipse confirmaret cæteros; Cur soli Petro singulariter, & priusquam cæteris

apparuerit? Cur simili motis genere, hoc est, in cruce finiri voluit eum? Cur, inquam, uni Petro præ cæteris tot insignia contulisset Christus, nisi quia vicarius ejus esset futurus, & toti Ecclesiæ ceu Princeps, & caput præficiendus. Idem propugnat *Bellarminus Tom. 1.cc.10.& seqq.* Est, inquit, revera, non simplex error, sed pernicioſa hæresis negare B. Petri primatum à Christo institutum, &c.

39. Quare Pontificii duplicem potestatem Petro concessam esse fabulantur, ordinis, & jurisdictionis; Sed contra apertam Scripturam. Nam 1. Repugnat primatus iste ipsi Christo: Qui se Ecclesiæ universalis caput jactitat, is Christi officium involat: Solum enim Christum esse Ecclesiæ universalis caput in præcedentibus evicimus. Repugnat instructioni Christi, ejusque regulis, quibus discipulos suos docet quid sit faciendum, & quid omittẽdum. Prima legitur, *Luc.22. v.25.26.* Regis gentium dominantur, & qui potestatem habent super eos, beneficit vocantur; vos autem non sic; Sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator. Si Petrus vel constitutus vel constituendus fuisset Ecclesiæ Universalis caput, etiam reliquorum Apostolorum, Christus certè quæstionem aliquoties incidentem de primatu alicubi ita decidisset, ut expresè Apostolum Petrum tale caput nominasset, præsertim cum res hæc sit magni momenti. At nusquam ita decidit, imò contrarium potius docuit. Ergo.

40. Exceptionem Pontificiorum de vocula (sic) in præcedentibus examinavimus. Nam quæstio Discipulorum non erat, quis ipsorum tyrannicè deberet dominari, sed quis esset major? Hanc quæstionem Christus decidens discipulis omnem dominãdi facultatem ademit. In πρῶτος igitur responsionis suæ nullum habet modum, seu non est ea modalis, sed absoluta: Reges gentium, inquit Christus, dominantur, non ait, sic dominantur, sed simpliciter, dominantur: Ergo & δοῦλος non est modalis, sed absoluta. Non igitur hic est sensus: Licet vos regnaturi sitis, non tamen sic regnabitis; Sed, vos non sic, hoc est, non regnabitis

41. Nullius etiam est valoris, quod de vocabulo ἡγούμενος objiciunt, quasi hoc ipso doceat Christus, aliquem inter eos esse ἡγούμενον, id est, Principem, seu Monarcham. Nam de ejusmodi Chri-

Christus agit ἡγεμὼν, qui aliorum esse debebat non Monarcha, sed minister. *Matthæus cap.20.v.26.* ita explicat: quicunque voluerit inter vos major fieri. *Marcus cap.10.v.44.* quicunque voluerit in vobis primus esse, sit omnium servus.

42. Secunda regula legitur *Iohan.20.v.21.* sicut misit me pater, & ego mitto vos. Quomodo verò missus fuit Chrrstus? Ipse hoc docet *Matt.20.v.27.28.* Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Quare inferimus, & Apostolos fuisse missos, ut ministrarent, non ut ipsis ministraretur.

43. Repugnat primatus iste promissionibus Christi: Nam promisit se semper adfuturum Ecclesiæ suæ, *Matt.28.v.20.* At præsentis universalis non datur vicarius. Repugnat actionibus Christi, qui quæstionem de primatu aliquoties incidentem & motam ita decidit, ut nuspiam Apostolum Petrum reliquorum Apostolorum esse caput docuerit.

44. 2. Primatus iste repugnat ipsi Apostolo Petro: Nam erat reprehensibilis, *Gal.2.v.11.* Accusabatur, *Act.11.v.2.* Satan appellatur *Matt.16.v.23.* In Samariam ablegatur, *Act.8.v.14.* Si autem summa ipsi potestas fuisset collata legati officium in sese nõ suscepisset, sed ipse alios pro sua potestate ablegasset. Non solus cõtroversias decidit, *Act.15.v.6.* Sed reliqui Apostoli non minus judicarunt, quam Petrus, *v.12.13.* Imò sententiam decisivam, non Petrus, sed Jacobus tulit *v.15.* Dominium super Ecclesiam non exercet; Sed primatum sibi ipsi derogat, atque sese reliquorum Apostolorum, non Principem, sed συμπρεσβύτερον agnoscit, *1. Pet.5.v.1.* Sustinere nequit totius Ecclesiæ pondus, quia socios adsciscit alios Ecclesiarum ministros. Imò partiuntur inter se Apostolus Paulus, & Petrus docendi provincias, idque ex Dei instituto, ita ut Paulus inter Gentes, Petrus inter Judæos doceret. Aut igitur Petrus nõ omnibus tanquam universalis Episcopus Ecclesiis præfuit, aut hac partitione ipsius potestas est diminuta, & quidẽ ex Dei mandato.

45. 3. *Primatus iste Petri adversatur Apostolo Paulo.* Nam ipse absque Petri vel consilio vel mandato prædicavit, *Gal.6.v.6.* Ergo à Petro tanquam summo Pontifice non fuit missus. Nam agnoscit se summis Apostolis inferiorem, *2.Cor.11.v.54.cap.12.v.11.* Certè, si

Apostolus Petrus reliquorum Apostolorum fuisset Princeps, & caput, non æstimaret seipsi Apostolus Paulus parem. Et parem qui habet, Monarcha non est. Accedit, quod Ecclesia Paulum semper nominarit *Apostolum*, quo ipso docuit, non fuisse ipsum Petro inferiorem. Et Paulus appellat *Actor.* 25. *v.* 11. à Festi tribunali non ad Petrum, sed ad Cæsarem. Denique Apostoli omnes sunt servi, in eoque sunt unum, 1. *Corinth.* 3. *vers.* 8. Eò quod Ecclesias plantent, sunt ministri, *v.* 5. Neque rigantem esse aliquid, neque plantantem, sed Deum, qui dat incrementum, docet Apostolus *v.* 7. omnia esse Corinthiorum, sive Paulum, sive Apollinem, sive Cepham *v.* 22. Hæc verò singula cadunt etiam in Apostolum Petrum ubi igitur servitur, ibi exspirat dominium, & ubi est unitas, ibi nulla est prioritas. Atqui inter Apostolos est unitas, & sunt ipsi aliorum. Ergo.

46. 4. *Adversatur hæc summa Petri potestas mutuis Petri & Pauli actionibus*: Nam Paulus in faciem restitit Petro, quia reprehensibilis erat *Galat.* 2. *vers.* 11. Et Petrus societatis dexteram dedit *Paulo, Galat.* 2. *v.* 9. Certè subditus de jure sese opponere non audet summo Magistratui: Nec summus Magistratus adeò sese dimittit ut præter dextram Magistratus det etiam suis subditis dextram societatis, eamq; cum ipsis ineat. Insuper dextras sibi dederunt, ut Paulus ad gentes, Petrus ad Judæos iret. At Monarcha præcipit, non sortitur.

47. Distinguit quidem *Bellarminus libr.* 1, *de Roman. Pontif.* inter officium prædicandi, & gubernandi, respectu illius Paulum & Petrum esse socios; Sed non respectu hujus scribit. Declarat exemplo Sauli, cujus servi socii nuncupantur, 1. *Reg.* 23. *vers.* 25. At 1. Bellarminus committit fallaciam petitionis principi. 2. Ecclesia regitur per Evangelii prædicationem. Ergo officium Evangelium prædicandi est etiam officium Ecclesiam gubernandi. Quare ut Petrus, ita & Paulus gubernavit Ecclesias docendo & præsens, & absens per epistolam, reprehendendo *Galat.* 2. Excommunicando, 1. *Cor.* 5. *v.* 5. 3. Servi Saulis nominari possunt socii ineris, sed non regiminis: Et in textu Hebræo non legitur, ivit Saul & socii; sed ivit Saul & viri ejus.

48. 5. Re-

48. 5. *Repugnat Iohanni, & Iacobo*, quorum singulares aliquot prærogativas Spiritus sanctus annotat: Fuerunt enim sanguinis cognatione Christo juncti: Christus Johannem singulariter dilexit, & ipse in illius sinu recubuit, ipsique matrem suam moriens commendavit.

49. 6. *Repugnat summa illa potestas ipsi apostolati*: Si enim ponitur Petri primatus, sequitur, Apostolicam potestatem non esse in Ecclesia maximam. At hanc esse summam docet Apostolus Paulus 1. *Corinth.* 12. *v.* 28 Posuis Deus quosdam *primum* Apostolos. At primo non datur prius. 2. Quare inter Apostolos est *æqualitas vocationis*, quæ arguit nullam inter eos esse præeminentiam: Nam idem est, qui eos vocavit Christus: *Idem vocationis modus*, nimirum immediatus miraculis confirmatus, & quidem vel in personis, vel circa personas, quique tam Apostolis reliquis omnibus, quàm Petro competit: *Eadem vocationis formula*, quæ universo Apostulatui est cõmunis, *Mat.* 28. *v.* 19. 20. *Marc.* 16. *v.* 15. *Ioh.* 20. *v.* 3. *Eadem vocationis privilegia Matt* 10. *v.* 8. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite, *Mar.* 16. *v.* 17. 18. In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpẽtes tollent, & si mortiferum quid biberint, non nocebit eis: Super ægrotos manus imponent, & bene habebunt. *Eadem ministerii claves*, quæ non soli Petro, sed & reliquis Apostolis promittuntur, & dantur, *Matt.* 18. *v.* 18. *Ioh.* 20. *v.* 23. *Idem officium*, quod declarat vocationis formula, & confirmat Petrus *Act.* 1. *v.* 17. dicens de Juda: Qui connumeratus erat in nobis, & sortitus est sortem ministerii hujus. Idem finis. 2. *Cor.* 5. *v.* 20. Pro Christo legatione fungimur tanquam Deo, exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. *Denique eadem Ecclesiarum cura*, 2. *Cor.* 11. *v.* 28. Instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum.

50. 6. *Eusebius lib.* 2. *Hist. cap.* 1. dicit: Clemens libro sexto Hypotyposeon refert, Petrum, Jacobum & Johannem, post Salvatoris ad cœlum ascensum, cum essent à Domino summum dignitatis gradum adepti, non de gloriâ, & honore contendisse inter se, sed uno consensu Jacobum justum Hierosolymorum Episcopum designasse. *Cyrillus Alexandrinus in*

lib.

lib.5.in Esa.cap.54. Paulus certè, inquit, sapientissimus fundamentum dicit esse Jesum Christum, & qui in ipsum credunt, velut lapides pretiosos superstrui, ait, in sanctum templùm, in ædificium Dei, in Spiritu. Proinde sanctos Mystagogos virtutum varietate, & pulchritudine intelligibili resplendentes, lapidibus pretiosissimis comparat: Et alios dicit in fundamenta positos esse sanctæ civitati, alios in propugnacula, alios portarum, ac munitionis usum supplere.

51. Quare collatus non est Apostolo Petro primatus potestatis, seu cujusdam jurisdictionis in reliqnos etiam Apostolos, quamvis primatus ordinis nou absurdè ei assignetur, *1. quia primus est vocatione.* Andreas quidem primus cœpit Christum libenter audire, & fratri Petro, ut sequeretur, persuasit; Sed perfecta adhæsione omnium primus Petrus Christo adhæsisse creditur. *Cyprianus ad Quirinum*, Petrus, inquit, fuit primus, quem Dominus elegit *Augustinus de sancto Petro & Paulo Ser.47.* Beatus, inquit, Petrus primus Apostolorum; Beatus Paulus novissimus Apostolorũ. Quod verò *Ioh.1*, dicitur Philippum voce Domini primum vocatum, id sic explicant alii, illum tunc forsan Christo perfectè non adhæsisse. *2. Primus ætate*, quia reliquis senior, ut docet *Epiphanius hæres.51.* Dicit etiam Cassianus *lib.3. de incarn.* Petrum decuit primum respõdere, ut idem esset ordo responsionis, qui erat honoris: ipse antecederet confessione, qui antecedebat ætate. Qui fratrem Andream ætate majore fuisse statuũt illis respondetur *ex Chrisost. in Mat. hom.* 59. Didrachmum pro Petro fuisse solutum asserente, quia & ipse erat sicut & Christus, primogenitus. *3. Primus eloquentia. 4. Primus animi fortitudine*, quia reliquis erat cordatior. *5. Et amore in Christum flagrantior. 6 Primus prædicator, Act.2.* Unde dicit *Chrysostom. Hom.* Antiochenum urbem laudans: Sicut Petrus inter Apostolos primus Christum prædicavit: Sic inter civitates prima, tanquam coronam quandam admirabilem, Christianorum tulit appellationẽ. Quare Apostolus Petrus sæpe primatum egit, sed confessionis non honoris fidei, non jurisdictionis. *Et aliud est, quærere de excellentia personali, & aliud de dominio, & iurisdictione singulari*: Apostoli nominantur sæpe Principes, non ob dominium, & jurisdictionem, sed ob per-

ob personalem excellentiam, ut Apostolus Paulus, quia abundantius omnibus laboravit. Verùm Pontificii primatum jurisdictionis etiam in reliquos Apostolos Petro adscribentes duo in primis urgent dicta: *Prius* legitur *Matt. 16. v. 18. 19.* Tu es Petrus: & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ infernorum non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Ex testimonio illo aliquot objectiunculas colligunt Pontificii. *Prima est:* Qui dixerat tu est filius Dei vivi, illi promittuntur claves, quod constat ex his verbis: ego dico TIBI. Atqui solus Petrus id dixerat. Ergo.

52. Resp. 1. Petrus consideratur vel tantùm quoad suam personam in individuo; vel ut hoc loco quoad officium, quatenus sustinet personam in hoc præsenti actu omnium Apostolorum, eorumque est commune os. Interrogavit enim Christus non solum Petrum, sed omnes Apostolos, *Matt. 16. v. 15.* VOS, quem me dicitis esse. 2. Consideratur igitur hic Petrus ex suâ quidem personâ, sed non tantùm: Includuntur enim & relqui Apostoli: Et Christus alloquitur Petrum in Individuo, sed non tantùm in individuo: Verùm de hisce in subsequentibus plura.

53. *Secunda*: Petro ob hanc promissionem, & collationem imponitur novum nomen. Ergo ipsi confertur primatus. Novum enim nomen in sacris nemini imponitur, nisi ad aliquid singulare exprimendum: Et nominis istius vera additut notatio: Dicitur enim Petrus, quia super eum fundata est Ecclesia. *Bellarminus libr. 1. de Rom. Pont. c. 10.* Grammatico pugnat fundamento: Illud pronomen, inquit, HANC, cum dicitur: *Et super hanc petram*, demonstrat aliquam petram, de qua paulò ante Dominus sit locutus: proximè autem Dominus Petrum vocaverat petram: Syriacè enim loquebatur, & Syriaca lingua Petrus dicitur cephas, ut habemus *Ioh. 1.* Cephas autē Petram significat, ut Hieronymus docet in *cap. 2*, ad Galat. & res certissima est: Nam ubicunque in textu Hebræo est כֵּיפָא, id est, petra, in Syriaco est cepha; quin etiam כֵּיפָא Hebraicè saxum seu rupem significat, *Ier. 24. v. 29.* Ad rupes ascenderant. Dixit ergò Dominus: Tu es cepha, & super hoc cepha: vel Latinè: Tu *es petra, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ex

quo sequitur illud, HANC non posse referri, nisi ad Petrum, qui eo loco vocatus est petra.

54. Resp. 1. Impingit *Bellarminus* in principia Grammatica: Nam pronomen HANC non est relativum, sed demonstrativum: rem præsentem ostendens. 2. Syriaco idiomate Christus quidem est usus; Verum ab Apostolis non habemus Novum Testamentum Syriaco idiomate traditum, sed linguâ Græcâ. Ad Græcum igitur exemplar tanquam ad infallibilem fontem confugimus. 3. Quod ad Syriacam versionem attinet, quæ hodie extat, & quam primus in Europa imprimi curavit Albertus Widmànstadius Ferdinandi Imperatoris Cancellarius, de ea *Bellarminus libr. 2. de verbo Dei cap.* 4. hoc fert judicium: Præter Evangelium Matthæi, & Epistolam ad Hebræos totum N. Testamentum translatû est ex Græco Idiomate in Syriacum. *Et paulò pòst*: Quod editio Syriaca ætate horum patrum posterior est, ut ego quidem mihi certò persuadeo, non potest ejus authoritas tanta esse, ut cum editione Græca, aut Latina meritò comparari possit: Ut interim illud omittam, quod desunt etiam quædam in ea editione, quæ viris doctis, & piis non admodum placent. 4. Falsum est, quod statuit *Bellarminus* Cepham in Syriaca lingua indiscretè significare & Petrum & petram, h. e. esse proprium, & appellativum. Nam genere distinguuntur: Vocabulo Petri adjicitur masculinum הּ, & non fœminum הִיא. Nam dicitur, danth hu cepha, tu es ille Petrus. 5. Confugit deinde Bellarminus ad proprietatem Græcæ linguæ, in qua vocabulum πέτρα saxum dicit significare; Sed falsam hypothesin præsupponit, quæ est quod vocabulum πέτρα in propositione Christi sit appellativum, (cum πέτρος appellativum tantum idem sit cum πέτρα:) Nam Christus ipse jamdudum ante hoc colloquium Petro hoc ipsum nomen indiderat, cum ipsum ad Apostolatum vocaret, uti videre est *Luc.* 6. *v.* 14. *Matth.* 10. *v.* 2. *Marc.* 3. *v.* 16. 6. Ædificata igitur est Ecclesia non super ipsum Petrum, hoc est, super personam Petri; sed super ipsam petram, hoc est, ut multi Patres interpretantur, super ipsum Christum, quem profitebatur Petrus, quæ sententia probari potest ex *Act.* 4. *v.* 11. 1. *Pet.*

1. *Pet.* 2. *v.* 4. 1. *Cor.* 3. *v.* 11. *cap.* 10. *v.* 4. *Eph.* 2. *v.* 20. *Augustinus Ser.* 13. *de verb. Dom.* Tu es Petrus; Simon quippe ante vocabatur, inquit; Hoc autem nomen ei, ut Petrus appellaretur à Domino impositum est. Et hoc ut ea figura significaret Ecclesiam. Quia enim Christus Petra, Petrus populus Christianus: Petra enim principale nomen est, ideo Petrus à petra, non petra à Petro; quomodo non à Christiano Christus, sed à Christo Christianus vocatur. Tu es, ergo, inquit, Petrus, & super hanc petram, quam confessus es; super hanc petram, quam cognovisti; dicens, Tu es Christus, filius Dei vivi; ædificabo Ecclesiam meam: id est, super me ipsum filium Dei vivi, ædificabo Ecclesiam meam. Super me ædificabo te; non me super te. Idem habet *Augustinus Tract.* 124. *in Iohan.* *Hieronymus lib.* 1. *in Matt. cap.* 7. Super petram hanc, ait, Dominus fundavit Ecclesiam: Ab hac petra Apostolus Petrus sortitus est nomen, id est, à Christo, super hanc petram non inveniuntur serpentis vestigia. De hac Propheta (*Psal.* 39.) loquitur confidenter, statuit super petram pedes meos, & in alio loco (Psal. 130.) petra refugium leporibus, sive Serinaciis. vel *nomine petræ* intelligitur fidei divinitatis Christi confessio *Hilarius de Trinitat. libr* 6. Hæc fides, inquit, regni cælestis habet claves: hæc fides, quæ in terris solverit, aut ligaverit, & ligata sunt in cœlis & soluta: Hæc fides Ecclesiæ est fundamentum: per hanc fidem infirmæ adversus eam sunt portæ inferorum. *Ambrosius de Incarn. cap.* 5. Fides, inquit, est Ecclesiæ fundamentum: Non enim de carne Petri, sed de Fide dictum est, quia portæ mortis ei non pervalebunt: sed confessio vincit infernum, & hæc confessio non unam hæresin excludit: Nam cum Ecclesia multis tanquam bona navis, fluctibus sæpe tundatur, adversum omnes hæreses debet valere Ecclesiæ fundamentum. 7. Sed ponamus Petræ nomine ipsummet Petrum intelligo, & ad ipsius personam; non ut erat privata, sed ut erat publica, referri illud Christi: *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Sic intelligit *Tertulianus lib. de præscrip.* latuit, inquiens, aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ Petrum dictum. *Gregorius Nazianzenus orat. de moder. seru. in disput.* Petrus Petra

vocatur, atque Ecclesiæ fundamenta fidei suæ credita habet. *Chrysost. Hom.* 9. Petrum cum dico, petram nomino indebilem, crepidinem immobilem, Apostolum magnum, primum Discipulorũ, primum vocatum, & primum obedientem; Verum nec dum Pontificii, quod volunt, sic obtinent: Nam illi Patres docent, nomen hoc Petro obtigisse, non respectu jurisdictionis, & omnimodi super cæteros Apostolos, & totam Ecclesiam principatus; Sed respectu doctrinæ de Christo, qui est ipsa petra; quo sensu idem vocabulum Prophetis, & reliquis Apostolis competit. Nam Ecclesia extructa est super fundamento Prophetarum, & Apostolorũ ipso angulari lapide Jesu Christo, *Eph.* 2. hoc est, super doctrina illorum. *Apostolus Paulus Gal.* 2. *v.* 9. Jacobum, Cepham, & Johannem nominat στύλους, hoc est, columnas, & suo modo fundamenta Ecclesiæ. Et *Apoc.* 21. *v.* 14. de cœlesti Hierosolyma dicitur, quod murus civitatis habeat duodecim θεμελίους fundamenta, quibus sint inscripta duodecim Apostolorum agni nomina. 8. Neque præcisè nominis mutatio in Petro ejusmodi præeminentiam arguit sepositâ petræ significatione jam datâ: *Origenes in præfat. in Epist. ad Rom.* varia mutationis, & pluralitatis nominum tradit exempla sed nullius meminit primatus. Qui prius Saulus est dictus, mox Paulus dicebatur: Ex Abram commutatũ est nomen Abraham: ex Sarai Sara: Ex Jacob, Israel: filii Zebedæi Boanerges sunt nũcupati: Salomon dictus est & Idida: Sedechias, & Joachim: Ozia & Azarias: Matthæus, & Levi: Thaddæus, & Mebbæus, & Judas.

55. *Tertia*: Si Apostolus Petrus nomine omnium respondisset, absq; dubio illi hanc provinciam reliqui demandassent. At non hoc, quia ex revelatione Patris hoc didicit, non ex consultatione hominum. Ergo.

56. Resp. 1. Quæstio hæc de Christo anteà mota, & edita fuit, *Ioh.* 6. *v.* 69. *Matt.* 14. 2. Non revelavit verò ipsis caro, & sanguis, sed ipse Deus. 3. Petrus igitur non unius, sed unitatis sustinens personã, ut loquitur Augustinus, respondet, quia amore in Christum flagrantior, quia cordatior, quia senior, quia eloquentior.

57. Quare, *quod communiter omnibus Apostolis est promissum, & commissum, illud non præeminentiam, & excellentiam denotat in Apostolo Petro. Atqui claves regni cœlorum communiter omnibus Apostolis sunt promis-*

promissa & commissæ, *Matth.*18.*v.*18. Et quid amplius, nisi potestas solvendi, & ligandi continetur in clavibus, quæ potestas æqualiter est præmissa, & commissa Apostolis; Nam Apostolo Petro dicitur: *Quodcunque ligaveris, & solveris.* Apostolis reliquis: *Quæcunq; alligaveritis. & solveritis, &c. Ergo.*

58. Deinde aliud est ipsum preceptum, & aliud modus præcipiẽdi, & aliud res promissa, & aliud promissionis verba: Verba ipsa Christi licet ad Petrum dirigantur: claves tamen ipsæ & promissæ, & commissæ sunt reliquis etiam Apostolis. Cur verò Dominus solum Petrum alloquatur reliquis Apostolis præsentibus de fundatione Ecclesiæ, & de clavibus, ostendimus in præcedentibus. Rationes ejusdem variæ redduntur à Patribus, ut sunt, ratio unitatis Ecclesiæ, unitatis inter Apostolos, figuræ & typi Ecclesiæ, ratio consensus fidei cum fide Petri, atque imitationis.

59. *Posterius testimonium, ex quo primatum Petri ostendere conantur Pontificii*, legitur *Ioh.*21 Ubi Christus Petrum ter appellat, eique agnos, hoc est, populum fidelium: Et oviculas, h. e. clericos inferiores: Atque oves, h. e. Episcopos tanquam matres agnorum pascendos, h. e. regendos committit, ut interpretantur Pontificii. Urgent ipsi pronomen illud meas oves.

60. Resp. 1. Nulla continetur vocabulo *pascendi* authoritas, & potestas, quæ non reliquis Apostolis pariter sit cõcessa: Nam & ipsis omnibus est dictum, *Matt* 28. Docete omnes gentes. *Ioh.*17 Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. *Matt.*18. Omnibus Apostolis claves regni cœlorum committuntur. Apostolus Petrus 1. *Epist. c.*5.*v.*2. *Pascite*, inquit, qui in vobis est gregem Christi. Quod etiam Apostolus Paulus Ephesinæ Ecclesiæ diligentissimè injungit. Et *Eph.*4.*v.*11.12. Ipsemet Christus dedit alios quosdam quidem Apostolos. Alios autem Pastores, & Doctores. *Bernhardus de consider. lib.* 4.*c.*3 Evangelizare, *inquit*, pascere est. *Et Basil. in const. Monast. c.* 22. Atque hoc, inquit, à Christo ipso docemur, dum Petrum Ecclesiæ suæ Pastorem post se constituit. Petre enim, inquit, amas me plus *his?* Pasce oves meas. Et omnibus præterea deinceps pastoribus, ac magistris eandem tribuit potestatem; cujus quidem rei signum est, quod omnes similiter, atque ille, & ligent, & solvant. 2. Vocabulis agnorum, ovicularum, & ovium nullum continetur mysterium:

rium. Intelliguntur enim homines cura, & instructione indigentes, qui differenter commendatur Petro, & reliquis Apostolis. 3. Qui illis verbis, *pasce oves meas*, Petro reliquorum Apostolorum curam esse commissam opinantur; nullo nituntur fundamento. Ad quid enim commissa esset? Certè non ad docendum, & informandum, non ad corrigendum & corripiendum. Apostolus Petrus correctus legitur à Paulo, sed non reliqui Apostoli ab Apostolo Petro. 4. Coram aliis verò in particulari dicitur Apostolo Petro, pasce oves meas, non ob potestatem Monarchicam, sed *ob metum*, quem abnegatio incusserat, ne existimaret, se à Christo abjectum esse, & munere Apostolico excidisse; & ob unitatem collegii Apostolici, ne ipsum dissolveretur. Reliqui enim Apostoli Petrum ob abnegationem Christi poterant abjicere, & excludere, atque sic dissoluta fuisset unitas Collegii Apostolici.

61. Quæstio quinta· *Num certò probari possit, Apostolum Petrum fuisse Episcopum Ecclesiæ Romanæ, & quidem per annos viginti quinque?*

62. Resp. Communis est sententia pontificiorum Petrum Episcopum Romanum egisse annos 25.

63. Mittimus verò assertionem eorum, qui in dubium vocant, num Petrus unquam venerit Romam. Pontificiorũ opinioni sequentia apponimus. 1. Lucas describens omnia Apostolorum Acta, ne verbo mentionem facit hujus Episcopatus. Verisimile autem non est, eum neglexisse Episcopatum præcipui Apostoli. 2. Apostoli in universum orbem terrarum exire, & Evangelium omnibus hominibus ubique annunciare jubentur, *Matth. 26. Marc. 16. Rom. 15. 2. Corinth. 11.* Ergo cum ipsorum pugnat vocatione, & missione, ut in uno certo loco sedem fixam perpetuò habeant. Sedem enim sibi figere est uni particulari Ecclesiæ se allgare. 3. *Apostolus Paulus, & Petrus Gal. 2.* inter se transigunt, ut ille potissimum Gentibus; Hic Judæis Evangelium annunciet. Verisimile igitur non est, Apostolum Petrum immemorem hujus solennis pacti Romam proficisci, atque illic ordinarium Episcopum agere voluisse. 4. Apostolus Paulus inscribens Romanis Epistolam salutat *cap. 16.* Christianos, eorumque magnum recensct salutando-

rum

rum numerum nullum mentionem injiciens Petri, quem primo loco absque dubio nominasset, si tunc temporis pontificem Romanum egisset. 5. Chronologia opinionem hanc oculariter refutat, qua de re consulantur alii. 6. Nam si viginti quinque annos sedisset Romæ, oportuisset eum Romam venire circa annum Christi 44. cum in annum 68. crucifixio ejus cadat. 7. At Hierosolymis erat, non Romæ in cujus anni paschate ex carcere est liberatus, *Actor*:12. 8. Hierosolymis erat anno 32. in concilio Apostolico, *Actor*. 15. 9. Post concilium reprehendebatur à Paulo Antiochiæ *Galat*. 2. *vers*.11. 10. Anno 54. cum Apostolus inscriberet Romanis Epistolam suam Romæ non erat, ut ostendimus argumento 4.11. Ann. 54. Paulus Romam adducitur vinctus, & fratres atque fideles ad Appii forum, & tres tabernas obvios habet, *Actor*.28.*versic*.5. Sed non Petrum. 12. Paulus in libera custodia detentus per biennium, anno 58. 59. excipiebat omnes ad se venientes, *Actor*. 28. *vers*.30. Sed non Petrum. 13. In Epistolis igitur ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses ad Timotheum secunda, & ad Philemonem aliorum Christianorum Romæ degentium fit mentio, sed nulla Petri. 14. Apostolus *Philipp*. 2. *vers*. 20. neminem se habere scribit pari animo præditum, cum omnes, quæ sua sunt quærant. *Colos*. 4.*v*.10.11. Solatio ipsi tantum sunt Marcus consobrinus Barnabæ, & Jesus, qui vocabatur Justus. 2. *Tim*.4.*v*.11. Lucas, inquit, est mecum solus. *v*.16. In prima mea defensione, ait, nemo mihi astitit. Romæ igitur Petrus tunc non fuit. 15. Denique non Romæ, sed Hierosolymis ipsum crucifixum esse testatur D. Hieronymus Ecclesiæ Romanæ Presbyter in 23. cap. Matth. Et Lyra in glossa cap. 23. Matth.

64. Quæstio sexta: *Num Pontifex Romanus sit successor Petri?*

65. Respon. 1. Sanctorum filii non sunt, qui loca tenent sanctorum, sed qui exercent opera eorum. 2. Pater pius habere potest filium nequam. 3. Non cathedra facit Sacerdotem, sed sacerdos cathedram, *Distinct*. 41. *Iur. canon. cap*. 12. 4. Tempore Christi Mosis cathedram occupabat Scribæ, & Pharisæi, *Matt* 23.*v*.2. Sese Mosis discipulos jactitantes, *Iohan*. 9.*v*. 28.

Sed

Sed istorum doctrinam Christus fermentum nominat, ab eaq; cavendum monet, *Matt.16.v.6.* 5. Christus docet *Ioh.3.v.8.* Spiritum S. certis locis non esse alligatum. 6. Idem docet Apostolus, distribuit, inquiens, dona sicut vult. 7. *Cyrill. Alexandrinus lib.12. Thes.c.13.* Episcopos illos, qui adhuc vivente Petro fuerant ab Apostolis instituti nominat Petri successores. 8. Petro nuspiam ejusmodi primatus, qualem sibi Papa arrogat fuit collatus, nec uspiam eum usurpavit. Ergo Papa hac in re non est Petri successor. 9. Successores Petri esse possunt duplices virtutum, & vitiorum. Pontifices Romani hodierni non sunt Petri sucuessores in virtutibus, ut in Delineat. Error. Pontif.th.38. ostendimus, & his ipsis Disputationibus evincimus; Sed in defectibus, & vitiis, ut 1. *in Christi abnegatione.* Nam tempore persecutionis & passionis à Christo deficiebat, cũq; abnegabat: Ita & Pontifex Romanus à Christo defecit, & rex civilis vult videri. 2. *In ambitione.* Absque dubio Petrus non postremus erat inter discipulos de primatu disputantes, *Matt.9.20. Marc.* 9.10. *Luc.9.22.* Sed non in errore perseveravit; At Papa obstinacter perseverat. 3. *In Christi obiurgatione:* Objurgat enim Christum, quod ad patiendum pro genere humano sit paratus, *Matth.16.v.4.* 4. *In gladiorum apparatu:* Pontifex enim Romanus gladio terrestri pugnat. 5. *In exprobatione, Matth.19.* Objicit enim Christo quod omnia deseruerit: Ita & Pontificii gloriantur de bonorum suorum desertione, & aliorum opes ad se attrahunt.

6. *In audacia*, & similibus.

FINIS DISPVT. VII.

DE PAPISMO

DISPVTATIO VIII.

Et quidem in ſpecie

DE

PONTIFICE ROMANO

POSTERIOR

In qua

Chriſto Duce & auſpice Chriſto

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS GISENII,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS,

ET ORDINARII IN INCLY-

ta Academiâ Giſſenâ Pro-

feſſoris,

RESPONDEBIT

NICOLAUS SCHMIDT OBEREIS-

ſemenſis Francus.

In Auditorio Theologico ad diem 17. Decemb. horis ante-meridianis & pomeridianis.

GIESSÆ CATTORUM,

Ex Officina Typographica Caſparis Chemlini.

cIↃ IↃ cXVII.



DISPUTATIO OCTAVA
QVÆ EST
De
Romano Pontifice posterior.

THESIS I.

DERGIMUS controversias de Pontifice Romano, ejusque authoritate examinare. Pontificii igitur, quoniam vident, fieri nõ posse ut suas defendant impietates, & abominationes, si verbo Dei scripto sit standum; ideò aliud fingunt verbum Dei non scriptum in pari pretio cum verbo Dei scripto habendum. Huic ut authoritatem concilient summã, ex censu ferè hominum eximunt Pontificem verbi Dei non scripti authorem, errare eum non posse garriunt: Effugio aliquo impietatem hanc tegere studeant. *Collocutores Bavarici in Colloq. Ratisb. pag. 74. Tannerus* dicit: Tantum hoc est negatum, quod summus sacerdos in definiendo possit errare, non negamus potuisse illum errare in moribus: Sed id potestate illâ judiciariâ, ejusque exercitio errare non potuit. *Bellarminus lib. 4. de Rom. Pont. cap. 2. pag. 960.* Variè sese torquet: Pontifex, inquit, quatuor modis consideratur, primò ut persona quidam particularis, sive Doctor particularis. Secundò, ut Pontifex, sed solus. Tertiò, ut Pontifex, sed adjuncto cætu solito consiliariorum. Quartò, ut Pontifex, sed unà cum concilio generali. Deinde convenire dicit, omnes Catholicos, & hæreticos in duobus. 1. Posse Pontificem etiam ut Pontificem, & cum suo cœtu consiliariorum, vel cum generali concilio errare in Controversiis facti particularibus, quæ ex informatione, testimoniisque hominum præcipuè pendent. 2. Posse Pontificem ut privatum Doctorem errare etiam in quæstionib. Juris universalibus tam fidei, quã morum, idque ex ignorantia. At 1. summus pontifex cum totam

Ecclesiam docet, in his, quæ ad fidem pertinent, nullo casu errare potest, *Idem ibidem lib.4.C.3.pag.962.* 2. Non solum in decretis fidei errare non potest summus Pontifex, sed neque in præceptis morum, quæ toti Ecclesiæ præscribuntur, & quæ in rebus necessariis ad salutem, vel in iis, quæ per se bona, vel mala sunt, versantur. *Ibidem cap.5.p.973.* 3. probabile est, pieque credi potest, summum Pontificem non solum ut Pontificem errare non posse, sed etiam ut particularem personam hæreticum esse non posse, falsũ aliquid contra fidem pertinaciter credendo. *Ibidem cap.5.pag.974.* Quare Romanus Pontifex errare non potest ex catedra docens, *Bellarminus lib.3.de Verb.Dei cap.5.p.179.* Et verbum Ecclesiæ, id est, concilii, vel Pontificis docentis ex cathedrâ, non est omninò verbum hominis, id est, verbum errori obnoxium, sed aliquo modo verbum Dei, *Ibidem c.10.*

2. *Costerus in Enchir. de summo Pontifice cap.3.pag.135.* Christus, inquit, summâ sapientiâ, & charitate unum judicavit in Ecclesiâ constituendum nominandumque hominem, cui sic suam præsentiam, Sanctique Spiritus gratiam addiceret, ut de Quæstionibus fidei, & religionis discernens, nunquam erraret, sed fidem ab Apostolis plantatam, inviolatam, integramque semper conservaret &c. *Ibidem pag.136.* Quisquis in B. Petri cathetra sedet, seu pius, seu sceleratus, seu doctus, seu imperitus, seu nobilis, seu obscurus, dummodo ex officio pronunciat, Christum habet directorẽ. *Gregorius de Valent. Tom.3.pag.303.* Quodcunque Pontifex in aliquâ de religione controversiâ sic asserit, certâ fide credendum est, illũ infallibiliter, ac proinde ex authoritate pontificiâ, hoc est, divinâ assistentiâ id asserere. *Ibidem:* Quicquid Pontifex determinat, id suggerente Spiritu S. tanquam legitimus Pastor, ac proinde ex Pontificiâ authoritate infallibiliter determinat.

3. Assertionem verò illam impiam damnantes protestantes docent, *Pontificem Romanum non modo in fide posse errare, sed etiam sæpe errasse.* Nam. 1. Omnis homo est mendax *Psal.116.v.11*, hoc est, vanus, & inconstans. *& Rom.3.v.4.* Est Deus verax: omnis autẽ homo mendax, 2. Errare igitur humanum est, non errare Angelicum.

licum, errorem defendere, & in eo perseverare diabolicum, *Tertullianus adversus Marcion. Augustinus lib.2. de Baptismo.*

4. 3. *Idem evincitur exemplorum inductione*: Nam Aaron erravit cultum constituendo, & vitulum aureum erigendo · Atqui Aaron tunc erat summus Pontifex & quidem à Deo ipso constitutus. Ergo.

5. *At Gretserus in Colloq. Rat. pag* 55. Aaron, inquit, nihil definivit circa illam idololatriam commissam, sed vi multitudinis coactus permisit, ut idololatria committeretur. Deinde Aaron, inquit, non fuit summus Sacerdos, sed Moses, qui ab hoc scelere fuit immunis.

6. Resp. 1. Aaron à populo rogatus author, & suasor idololatriæ existit, & propterea à Mose arguitur, *Exod.32.v.2.21.* Ergo à populo non est coactus. Et licet populus incitarit, & instigarit: Aaron tamen est executus, *Exo.32.v.4.* 2. Aaroni summum Sacerdotium commendatur, *Exo.28.v.1.* Ordinariè sacrificat, & propterea summus Sacerdos nominatur, *Heb.7.* Quamvis igitur Moses quoad actum ordinationis fuerit major, & sacrificaverit tanquam Propheta: Attamen non sacrificavit, ut Sacerdos, nec major fuit post ordinationis actum.

7. 4 Urias erravit, quando removit aram Domini, & in ejus locum aliam constituit, idque hoc fine ut sacrificia immolarentur Diis alienis. Atqui Urias fuit Pontifex. Ergo.

8. *Gretserus in Coll. Ratis. pag.73.* Uriam, inquit, quod attinet, erravit ipse non ut sacerdos. Erravit igitur errore non sacerdotali, sed personali. *Tannerus ibidem pag.74.* Erravit in moribus, inquit & non in doctrinâ.

9. Resp. primò, Urias tunc temporis fuit sacerdos. 2. Nominatur Sacerdos. 3. In illo suo facto dispofuit in cultu. Quod verò dicit *Gretserus pag.73.* eum non legitimè disposuisse, illud pro nobis est. Hinc n. inferimus, eum disponendo erasse, & proinde vitiosum fuisse Sacerdotem. Deinde Urias destruxit altare Domini, & ædificavit novum hoc fine, ut idolis immolarentur. Erravit igitur in doctrinâ.

10 5. Tempore Hieremiæ errarunt in doctrinâ Pontifices cum universo sacerdotum collegio, qui ipsi quoque gloriabantur se errare non posse Hier.7.&8.

11. 6. Caiphas cum suo Synedrio erravit. At fuit ipse summus sacerdos. Ergo. Erravit non tunc demum, quando Christum Filium Dei ad mortem condemnavit, sed sæpius etiam ante hanc latam sententiam. Nam aliquoties de Christo interficiendo sunt agitata consilia, *Ioh.*7. Et anteà homines ipsi fuerunt obsessi à Diabolo, *Ioh.*8.

12. At insurgit *Tannerus in Colloq.Rat.p.*69. Caiphas, inquiens, tunc non fuit simpliciter summus Sacerdos, sed Christus, alioqui Caiphas fuisset Christo superior.

13. Resp. Nondum omnia erant tunc temporis consummata, nec velum templi scissum, neq; Christus inthronisatus. Durabat igitur adhuc sacerdotium Leviticum, idque declaravit Christus remittendo leprosos ad sacerdotes Leviticos, *Matt.*9. Et ipse frequentavit sacra Judęorum ascendendo Hierosolymam ad festa.

14. 7 Idem probatur exemplis ipsorum Pontificum: De *Anastasio* dicitur *Dist.*19.*cap.*8.9.*Iur.Can.* Quia ergò illicitè, & non canonicè, sed contra decreta prædecessorum, & successorum suorum hæc rescripta dedit (ut probat Felix, & Gelasius, qui Acacium ante Anastasium excommunicaverunt, & Hormisda, qui ab ipso Anastasio tertius, eundem Acacium posteà damnavit) ideò ab Ecclesia Romana repudiatur, & à Deo percussus legitur. Ratio additur, quia communicaverat Arianis nempe Photino, & Ariano. *Marcellinus Papa dist.*21.*cap.*7. teste Nicolao Papa tempore Diocletiani, & Maximiani Augustorũ in templo Papanorum grana thuris super prunas imposuit, &c. adeoque idolis sacrificavit. *Liberius* fuit Arianus teste Athanasio in Epist. ad solitariam vitam agentes & *Hieronymo in Catal scrip. Eccle. Felix* itidem subscripsit Ario, idque colligitur ex historia *Socratis lib.*2.*cap.*29. *Ruffini lib.*10.*cap.*22. *Theodoreti lib.*2.*c.*17. *Honorius primus* fuit Monotheleta, & hæresin docuit, ut constat ex ipsius literis in Act. Synodi sextæ Act.12. *Johannes XII. quem alii XIII.* numerant in ludo aleæ Diabolum invocavit. *Sylvester II.* ex pacto se eidem tradidit, juxta Fasciculum temp. *Gregorius VII.* ut hæreticus, & Nigromanticus damnatur in synodo

Brixi-

Brixinensi, testibus historicis, Urspergensi, Schaffnaburgensi & Gemblacensi. *Cœlestinus III.* hæreticis annumeratur ab Alfonso de Castro lib.1.cap.4. *Johanne XXII.* animas defunctorum ante judicium finale non videre Deum statuit, & propterea hæreseos arguitur à Gersone serm. de pass. Tom.4. Occamo in opere 90.dierum. *Johannes XXIII.* dogmatizavit (ut habent verba concilii Constantiensis) vitam æternam non esse, neque aliam post hanc expectandam: Dixit, & pertinaciter credidit, animam hominis cum corpore mori & extingui ad instar brutorum animalium, ac proinde non esse carnis resurrectionem. *Eugenius IV.* hæreticus, & schismaticus pronunciatur in concilio Basiliensi Sess.41.quia scripta schismatica à fide devia, & hæretica in publicum sparserit.

15. 8. Pontifices sæpe contraria decreta fecerunt, quæ certè simul vera esse nequeunt. *Gelasius* & vetus Ecclesia Romana canones Apostolorum, & alios ab hæreticis sub nomine Apostolorum compositos, in totum improbarunt; At *Zepherinus* illorum 60. Leo I. 30 Sexta synodus 58. approbarunt, *Dist.25.cap.3.Distin. 16.cap.1.2.3.4. Nicolaus I.* approbavit Baptismum in nomine Christi factum sine expressa trium Personarum mentione. *de consecrat. dist. 4.cap.24. A quodam Judæo*; *At Pelagius & Zacharias* ejusmodi Baptismum improbant, *de consecrat. distinct. 4.cap.82.83.* Dicitur enim ibi: Multi sunt, qui in nomine solummodo CHRISTI unâ etiam mersione se asserunt baptizare. Evangelicum verò præceptum ipso DEO, & Domino Salvatore nostro JESU Christo tradente, nos admonet in nomine Trinitatis trinâ etiam mersione sanctum baptisma unicuique tribuere *Gelasius Papa* arguit mutilationem Cœnæ sacrilegii, *De Consecr.distin.2.c.12.* Aut integra, inquit, sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius ejusdemque mysterii sine *grandi sacrilegio* non potest provenire; At *Martinus V. in concilio Constantiensi* & alii severè mandarunt, ut altera pars denegetur Laicis. *Stephanus VI.* antecessoris sui Formosi decreta fecit irrita, ut legere est in vita ipsius. Platina testatur ex eo tempore id observatum esse, ut successores Antecessorum suorum decreta vel in totum, vel ex parte abrogarint.

16. 9. Quam miserè torserint, & depravarint scripturas ex in-

ex innumerabilibus ferè patet exemplis: *Anacletus Papa* primatum Petri & quod sit reliquorum Apostolorũ *caput* evincere studet ex vocabulo *Cephas*, cũ in græca lingua, κεφαλὴ câput significet. *Dist.* 22. *cap.* 2. Petro, inquit, à Domino concessum est (& ipsi inter se idipsum voluerunt) ut reliquis omnibus præesset Apostolis, & *Cephas, id est, caput.* At Syriacum illud esse, & Cepham dici Petrum, videre, est *Joh.* 1. *v.* 42.

17. 10 Quare *Archiepiscopus Florentinus par.* 3. *tit.* 22. *C.* 7. Cum omnia, inquit, Possit Papa, & multa alia, potest etiam & hoc quod est commune omnibus, scilicet errare, & peccare, juxta illud: omnis homo mendax. *Alphonsus de Castro lib.* 1. C. 2. contra hæres. Pontifex, ait, potest esse hæreticus, & hæresin docere. *Papa Adrianus sextus* in Imperii senatu anno 1522. Norimbergæ habito per legatum publicè confessus est: Scimus in hac nostrâ sede Romanâ multa abominanda fuisse, abusus in spiritualibus, & omnia denique in perversum mutata. *Petrus de Aliaco Cardinalis Cameracensis in* Conc. constantiensi anno 1417 habito, manifestum est, inquit, quod longè jam tempore Ecclesia Romana fuit multipliciter deformata, indiguitque, & nunc maximè indiget, ut in fide, & moribus reformetur. *Andreas Friccius cap.* 5. *lib.* 4. *de* Repub. emendandâ, Pontificii plærique, ait, multa & indoctrinâ, & in Sacramentorũ administratione, & in disciplina emendari optant. *Author oneris Ecclesiæ cap.* 15. *Sect.* 34. licet Papa, inquit, cum cardinalium cœtu censeatur esse Ecclesia virtualis, & repræsentativa, tamen errare potest. *Bonifacius* 1. *in Jure Can. Dist.* 40. *cap.* 6. definit: Si Papa suæ & fraternæ salutis negligens deprehenditur inutilis &c. Inutilis certè hic esset canon, si Papa errare non posset, & quidem quatenus Papa.

18. 11, *Nicolaus Pasta. Dist.* 79. *cap.* 1. Siquis, inquit, Apostolicæ sedi sine concordi, & canonicâ electione cardinalium ejusdẽ Ecclesiæ, ac deinde sequentium religiosorum Clericorum intronizatur, non Papa, vel Apostolicus, sed apostaticus habeatur. At *Author oneris Ecclesiæ cap.* 15. *sect.* 35. Plerique contra Ecclesiastica statuta in Pontifices simoniacè inquit, electi, ambitiosè intrusi, & aliquando in tantum vitiati fuerunt, quod rursus ab Ecclesia rejecti, è sede expulsi damnatique sunt. *Stephanum VI.* largitionibus

pontifi-

Pontificatum esse adeptum, referunt Stella, Volateranus, Platina, & Nauclerus. *Sylvestrum* 11. adjuvante Diabolo sellam conscendisse pontificalem, plurimi Pontificii scriptores perhibent.

19. Vesania igitur est, inficiari Papam errare posse. Blasphemia est verbum Papæ è Cathedrâ docentis nominare Dei verbum. *in Jure Can. Dist.* 40. *cap.* 12. dicitur: Videte quomodo sedetis super cathedram, qnia non cathedra facit Sacerdotem, sed sacerdos Cathedram, non locus sanctificat hominem, sed homo locum, non omnis Sacerdos sanctus, sed omnis sanctus Sacerdos.

20. Audire quidem debemus verbi Pastores, sed tantisper dum sedent in cathedrâ Mosis, hoc est, dum doctrinam Mosis sincerè proponunt. Hanc verò quãprimum suis falsis opinionibus inficiunt, cavere nobis ab ipsis jubemur. Audiendũ igitur esse Pontificem, quatenus Scripturæ ductum sequitur, non negamus. Quàm primùm ab eâ recedit, cavere nobis ab illo tenemur.

21 Quæstio 2. *An Antichristus ille magnus venerit?*

22. Resp. Vocabulum *Antichristi* usurpatur generaliter & specialiter. Generaliter notat quemlibet hæreticum, impostorem, & adversarium, qui quoquo modo sive palam & apertè, sive tectè & obliquè sese Christo, eiusque doctrinæ opponit; In specie notat eximium adversarium, quem Apostolus vocat ἀντιχείμενον. Deinde Antichristus est duplex, orientalis seu extra Ecclesiam; Et occidentalis, seu intra Ecclesiam: Ille est Mahomet, & de eo intelligi etiam potest dictũ 1. *Joh.* 1. *v* 18. Scripsit enim Johannes contra Ebionem, & Cerinthum Deitatem filii negantes, & Mahometanis bipatentes portas aperientes. Et de eo agit Antichristo, qui ex Ecclesiâ egressus est. De hoc, qui est in Ecclesia agitur 1. *Tim.* 4. 2. *Thess.* 2. *Dan.* 7. *Apoc* 11.

23. Antichristum illum magnum, qui est in Ecclesiâ nondum venisse statuunt Pontificii. *Bellarminus lib.* 3. *de Pontifice Romano cap.* 4. Est vera, inquit, sententia nondum (Antichristum) regnare cæpisse, neque venisse, sed venturum, & regnaturum circa mundi finem. *Josephus à Costa* lib. 2. de *novissimis temporibus cap.* 2. *pag.* 462. cum Romani regni nomen penitus de medio fuerit sublatum tunc apparebit mundo ille sceleratissimus hostis Christi. Schioppius in suo de Antichristo Syntag. cap. 1. Hoc, inquit, dictum sa-

crarum literarum secuti, affirmare possumus, Antichristum venturum in fine mundi; hoc est, mille trecentis triginta quinque diebus ante adventum Chtisti ad judicium, *Becanus Tom. 2. de Antich. reformato pagin. 162.* Tota, inquit, quæstio est, an Antichristus propriè dictus venerit in suâ personâ? Nos negamus. Adversarii affirmant.

24. Protestantes verò Antichristum venisse evincunt primò ex *2. Thess. 2. v. 7.* Mysterium jam operatur iniquitatis.

25. Excipit *Bellarminus* scribens, Antichristum non in propriâ personâ, sed in præcursoribus notari. *Becanus pagin. 161.* Si illata, inquit, scripturæ testimonia probarent Antichristum venisse, sine dubio probarent venisse tempore Apostolorum: At si certum est, tunc venisse, cur adversarii de tempore adventus ipsius dissentiunt.

26. Respon. 1. Aliud sunt Antichristiani regni rudera, seu Antichristi in occulto latentis operatio, aliud plenaria ejus dominatio, & aliud ejus manifestatio: Jam tum tempore Apostolorum mysterium hoc iniquitatis Antichristus operabatur, quod dilabente Romano imperio erupit, manifestãdum postremis mundi temporibus, & Christi adventu abolendum. 2. Apostolus loquitur de Antichristo manifestando. Ergo in propria tum fuit personâ, nisi dixeris in præcursoribus, & typo eum revelandum esse. Et operationem Antichristo adscribit Apostolus. Hæc autem personam propriè operantem præsupponit.

27. Secundò: In mundo est, cui notæ seu requisita Antichristi competunt, ut in subsequentibus ostendemus. Ergo Antichristus venit: Positâ enim definitione ponitur definitum.

28. At *Bellarminus*, Iciendum, inquit, est, spiritum Sanctum divinis literis sex signa certa adventus Antichristi nobis dedisse: Duo ipsum præcedentia, nempe prædicationem Evangelii in toto mundo, & imperii Romani desolationem: Duo comitantia, videlicet prædicationem Enoch, & Eliæ; Et persecutionẽ maximam, & notissimam, ita ut publica sacra omninò cessent: Duo consequentia, nimirum interitum Antichristi post tres annos cũ medio, & finem mundi: quorum nullum adhuc videmus existere. *Blasius Viega Lusitanus in expos. Apoc. pag. 770.* Antichristum nondum venisse infert

1. quia

1. quia nondum præcessit imperii in decem reges divisio. 2. Urbis Romæ à suo Pontifice defectio. 3. Evangelii per totum orbē prædicatio. 4. Gravissima, & novissima omnium Christianorum persecutio. 5. Summa morum licentia. 6. Character Antichristi in fronte aut manu dextra impressus. 7. Numerus nominis conficiens 666. 8. Enochi & Eliæ prædicatio. *Becanus pag.* 170. Ex dictis inquit, concludo, Antichristum nondum venisse. Primò, quia Romanum imperium nondum eversum est. Secundo, quia Prophetæ illi, de quibus loquitur Johannes in Apocalypsi, nondū à Deo missi sunt. Tertio, quia adversarii nullo solido fundamento possunt probare, illum venisse. solum probant, venisse hæreticos tempore Apostolorum.

29. Resp. Verum argumenta illa & signa exigui sunt valoris. *Primum* de divisione Romani imperii ex *Dan.* 7. *v.* 20. *& Apoc.* 13. jam pridem impletum est. Nam *Dan.* 2 *v.* 41. quartam Monarchiā, seu Romanum imperium divisum iri. Et *v* 44. In diebus regnorū illorum Deum suscitaturum, cœli regnum, quod in æternum nō sit dissipandum, qnodq; universa regna hæc sit consumpturū. Hinc colligimus, Antichristum ante totalē regni Romani destructionē omninò venturum. Joh. *Apoc.* 17. *v.* 17. docet lethali plaga affectum iri: Sit, & non sit, inquit, & tamen sit, h.e. mutetur, minuatur, affligatur & non prorsus tamen aboleatur. Divisum esse Rom. Imper. atq; Imperatorē nostrum, nō potestate, sed tantū successione Monarcham esse, res ipsa docet *Avent. lib.* 7. *Annal. Adrian. Pontif.* apud Aventin. lib. 7. Annal. Urbs Romana nostra, inquit, est, non Imperatoris. Quare sive cornua decem de decem Regibus, sive de decē Romanorum provinciis, sive de totidem tyrannis, & Ecclesiæ persecutoribus explicare libuerit, jampridem divisio illa impleta est.

30. *Secundum signum* de urbis Romæ à suo Pontifice, non habet fundamentum in Scriptura, nec ullibi prædicitur. De defectione Ecclesiæ Romanæ à verâ fide legitur 2. *Thess.* 2. *v.* 3. *&* 10. *& Apoc.* 15. Et hanc factam est, dolemus.

31. *Tertium signum* de universali prædicatione Evangelii per universum orbem complementum suum sortitum esse probamus ex mandato Christi, & ejus executione. Mandatū legitur *Matt.* 28. *v.* 19. *Mar.* 16. *v.* 16. Prædicate Evangelium omni creaturæ. Execu-

tio legitur, *Act.17.v.30.* Tempora hujus ignorantiæ dissimulavit. Nunc autem annunciat, ut *Vbique* homines resipiscant. *Rom.10.v.* 18. Annon audiverunt? imò verò in omnem terram exivit sonus eorũ,& in fines orbis terrarum verba eorum *Col.1.v.6.*Evangelium pervenit ad vos,sicut &in universo mundo est.*Et ver.*23.Evangelium prædicatum est in *universa creatura*, quæ sub cœlo est.Quomodo verò sonus Apostolorum ad remotissimas nonnullas pervenerit insulas,nihil juvat nos rimari, & quærere: Sufficit nobis Dei intentio, universalis promissio: Christi jussio, & jussionis executio. Sed de his plenius egimus*in Calvinismo Disp.*11.Accedit quod *Matt* 24.agatur non de revelatione Antichristi, sed de destructione urbis Hierosolymitanæ & de fine mundi. Nam de his duobus interrogatur à discipulis Christus *ver.*3.

32. *Quartum signum* de novissima persecutione Christianorum, nullo adversarii stabiliunt Scripturæ fundamento. Annon durissima & gravissima est persecutio quam his ultimis temporibus Ecclesia patitur sub Antichristi regno; Meretrix babylonica sanguine Martyrum fit ebria. Testantur sanguinariæ inquisitiones: Septendecimmillia Martyrum tempore Diocletiani sunt cæsa ut refert Damasus in vitâ Marcellini,videatur etiam Eusebius lib.8.cap.6. Quare

Sanguine,fundata est Ecclesia,sanguine crevit:
Sanguine succrevit,sanguine finis erit.

33. *Quinti signi* de morum licentia, impletio expectanda non est:Malitia enim hominum progredi ulterius vix potest.Detestanda igitur est,& deploranda.

34. *Sextum signum* de charactere, jampridem apparuit in illorum frontibus, qui fornicantur cum idolo Romano. Intelliguntur enim nomine *characteris* traditionum humanarum observatio, Papæ Romani veneratio, operum superstitiosa æstimatio, &c. *Apoc.*14.Si quis *characteris* nomine intelligat externam quandam semperque visibilem notam fronti vel dextræ impressam, ipsi in Papatu & hunc characterem ostendimus ex confirmationis Sacramento: Nam Pontifex neminem admittit ad sacras præbendas, nisi in fictitio confirmationis Sacramento chrismate exorcisato inunctus in fronte, characterem acceperit indelebilem

lebilem in anima, ut nominatur in *Trident. Concil. sess. 7. Can. 9.* Et nisi dextera suâ in omnes Ecclesiæ articulos juraverit. *Martinus V. Papa sancivit in Bulla ad inquisit. hæret. pravit.* ut, hoc qui non facerent, nec contractus inirent, nec negotia & mercantias exercerent, neque humanitatis solatia cum Christi fidelibus haberent. Sic Sacerdotibus permissum non est, missas celebrare, & iis nundinari, nisi prius in Sacramento ordinationis characterem indelebilem acceperint, quod ipsis est chrisma exorcismis multis confectum, quo sacrificuli in fronte, & manu dexterâ unguuntur.

35. *Septimum signum* de numero nominis conficiente *666.* multis quidem nominibus potest tribui; Sed omnium accommodatissimè Pontifici Romano, sive in vocabulo λατεῖνος, sive εὐάνθας, sive πάπας, ut observavit *Irenæus lib. 5. adv. hæres.* qui censet, intelligendum esse nomen non personale, seu proprium, sed appellativum & ab adjuncto aliquo sumptum. *Johannes Foxus super Apoc. p.* 457. numerum istum ostendit absolvi in vocabulo, (*Romanus*) Hebraicè, Græcè, Latinè, & Anglicè sumpto.

36. Alii ad rem ipsam respondent: Verba enim Johannis *Apocal. 13 vers. 18.* Numerus ejus hominis est: Et numerus ejus sexcenti sexaginta sex; sic interpretantur: *Numerus hominis est*, hoc est, numerus est, quem facile homo industrius fide, & labore assequatur. Numerus nominis bestiæ est supputatio ipsa, per quam pervenitur ad nomen ipsius. Est verò nomen brevis cujusvis rei descriptio, unde quæ, & qualis sit cognoscitur. Jam ergò numerum hunc disertè edit, & jubet nos numerare annos *666.* Supputatio horum annorum ineunda est ab eo tempore, quo Johannes Apocalypsin vidit. Eusebius verò in Chronicis dicit, illum annum fuisse à nativitate Domini 97. Idcircò restant adhuc anni tres ad complendam primam à nativitate Domini centuriam. Adde ergò annis centum annos hos numeri nominis bestiæ *666.* & detrahe annos illos primæ centuriæ tres, & habebis annum Domini 763. qui fuit 13. aut circiter, regni Pipini. Jam verò non spectandum quid illo veluti puncto anni 763. evenerit, sed quid proximis annis præcedentibus & consequentibus contigerit. Quibus ea omnia contigere, quæ & Antichristo nomen dant, & ex quibus seu res quælibet ex suo nomine cognoscitur, & ipse nomen adipiscitur, & agnoscitur, ut post-

eâ caveri possit. His annis & religio, ritus, ceremoniaque Romana obtrusa est, confirmata idololatria, & Papa universalis Episcopus dictus est, & potentissimus Rex factus ex donatione Cæsarum, Pipini, ac Caroli magni præcipuè, Hæc illi: *Chytraus in cap.* 9. 11. & 13. *Apoc.* tempus Antichristi cum hoc numero ita conciliandum esse docet, ut hinc cognoscatur tempus Antichristi, in manifesto dominantis quod incidit in annum Christi 666. Circa illud enim tempus Bonifacius III. Gregorii successor, Episcopi universalis titulum à Phocâ parricida impetravit. Quare & hoc vaticinium est impletum.

37: *Octavum signum* de reditu Enoch, & Eliæ eorum lamentabili interitu, & post tres dies & dimidium resurrectione, mera sunt Rabinorum figmenta, & fabulæ. Nam 1. Sanctorum animæ in manu Dei sunt, & non patiuntur tormentum, *Sap.* 3. *v.* 1. Magnus est hiatus confirmatus inter hos, & cæteros, ut è sede beatitudinis suæ exire non possint, *Luc.* 16. *v.* 26. Corpora ipsorum sunt glorificata, spiritualia, & incorruptibilia, 1. *Cor.* 15. Ergo Antichristus in ea nequit sævire. 2. Mal. 4. vaticinatur Propheta, non de Antichristi temporibus, sed de ortu & nativitate Christi, quam *ver.* 2. solem justitiæ nominat. 3. Helias intelligitur non Thesbites, sed Johannes Baptista, qui per mataphoram dicitur Helias, idque docet Christus, *Matt.* 11. *v.* 24. Si vultis eum (Johannem) recipere, ipse est Elias, qui venturus est. *Matt.* 17. *v.* 11. Elias quidem venturus est, & restituet omnia: Dico autem vobis, quia Elias jam venit, & non cognoverunt eum. Et Archangelus Gabriel de Johanne dicit, *Luc.* 1. *v.* 17. Ipse præcedet ante illum in Spiritu & virtute Eliæ, ut convertat corda patrum ad filios, & incredulos ad prudentiam justorũ 4. *Apoc.* 11. fit quidem mentio duorum testium, sed non Enochi, & Eliæ. Per duos autem testes intelliguntur quivis Christiani, inprimis sinceri Ecclesiæ doctores: Dicuntur hi duo testes, quia respectu Pontificiorum horum numerus fuit admodum exiguus, & nihilominus ad veritatis testimonium sufficiens. In ore enim duorum, aut trium consistit omne verbum, *Deut.* 19. *v.* 15. *Matt.* 18. *v.* 16. *Joh.* 8. *v.* 17. 2. *Cor.* 13. *v.* 2. *Heb.* 10. *v.* 28.

38. Quæstio tertia: *Num Antichristus sit unicus tantum futurus homo;*

39. Resp.

39. Resp. *Bellarminus lib. 3. de Rom. Pont. cap. 12.* Antichristū, ait, de fornicariâ muliere nasciturum, non ex legitimo matrimonio, & quidem ex tribu Dan: Venturum propter Judæos, & ab illis pro Messiâ receptum iri. *Viega super Apocal. pag. 752.* Antichristum futurum, ait, ex tribu Dan, adeòque gente Judæum, communis est patrum sententia, videatur etiam *Distel. Meierus pagin. 6. Pistorius pagin. 678.*

40. Protestantes verò docent ex scripturâ, Antichristum futurum non unicum hominem, sed instituturum in templo Dei integrum regnum, sub se multos falsos Doctores habiturum, insignis defectionis authorem futurum, Reges terræ sibi associaturum, quod regnum circa tempora Apostolorum, & brevi postea cæperit, fraudulenter sit adauctum & duraturum ad finem mundi; idque ostendunt 1. ex 2. Thes. 2. Nam mysterium iniquitatis, filius ille perditionis operabatur tempore Apostolorum *v. 7.* quem Dominus Jesus interficiet Spiritu oris sui & destruet illustratione adventus sui. Antichristus cæpit mysterium iniquitatis suæ operari tempore Apostolorum, & dominabitur ad finem mundi. Ergo non est unicus homo.

41. 2. Antichristus author existet insignis defectionis à fide, 2. *Thes. 2. v. 3.* Quidam discedent à fide attendentes doctrinis dæmoniorum 1. *Tim. 4. ver. 1.* Antichristus igitur non est unicus tantum homo: unius enim hominis opus non est in orbe Christiano tantam à fide defectionem, & impietatem operari.

42. 3. Antichristus sedebit in templo Dei ostendens se tanquam sit Deus. 2. *Thes. 2. v. 4.* hoc est, imperium monarchicum sibi arrogabit, & potestatem atque primatum super omnes Christianos: Extolletur enim super omne, quod dicitur Deus, 1. *Thes. 2. v. 4.* Impossibile est ut unicus homo tanti regni sit author. Agitur enim de rebus salutem concernentibus; Religio vero non propagatur armis.

43. 4. Antichristus introducitur, & describitur sub nomine bestiæ, *Apoc. 13. v. 1. 2.* At nomine hujusmodi bestiæ non una tantum intelligitur persona, sed integrum regnum, *Dan. 7.*

44. 5. Cum

44. 5. Cum meretrice illa babylonicâ fornicati sunt reges terræ, & inebriati sunt, qui inhabitant terram de vino prostitutionis ejus. *Apoc.17.v.2.* At Reges terræ ita dementare, illudere, ipsorumque oculis glaucoma obducere, labor, vel potius fraus est, non unius, sed multorum hominum: Amplissima est terra, potentissimi sunt Reges.

45. Denique huc referunt nonnulli & illud 1. Joh. 4. *ver.3.* Omnis spiritus, qui non confitetur Jesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus, de quo audistis, quod venturus sit, & nunc jam in mundo est.

46. *At, inquis,* Antichristus in singulari numero dicitur homo peccati, filius perditionis. Ergo singularis erit persona. Resp. 1. Quasi vocabulum (*unius*) usurpetur tantùm distributivè, nũquam collectivè. 2. In singulari dicitur Papa, Pontifex. Ergò unicus tantum est Pontifex Romanus. Diabolus tanquam Leo rugiens obambulat quærens quem devoret, 1. *Pet.5.ver.8.* Numigitur unus tantum est Diabolus? 3. Vocabulum igitur *unius* in hisce vel genus unum, vel speciem unam, vel apostasiam unam notat, ad quam omnes pertinent.

47. *Instas,* Christus, inquiens, dicit *Joh.5.v.43.* Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Ut igitur Christus unica est persona, ita & Antichristus. Resp. Christus semetipsum explicat, Matth. 24. v.5. Multi, inquiens, venient in nomine meo, dicentes, Ego sum Christus, & multos seducent. v. 11. Multi Pseudoprophetæ surgent, & seducent multos *v.24.* Surgent Pseudochristi, & Pseudoprophetę.

45. Quæstio quarta: *Num Antichristus ministerium iniquitatis sit operaturus per tres tantum annos & dimidium?*

49. Resp. *Josephus à Costa* de temporali, inquit, Antichristi, quod opulentissimum, potentissimumque omnium regnorũ, quæ unquam fuêre, futurum sit, devictis magnis Regibus, vastatis urbibus nobilissimis, direptisq; infinitis opibus, copiosè docet liber Danielis in 11. & 7. c. *Pererius in Danielem edit. Lugdun. p.858.* tantam potentiam consequetur Antichristus, & tàm longè, lateq; dominatum, & imperium suum extendet, ut maximus, qui fuerunt ante ipsum, Monarcha futurus sit. *Bellar. lib.3.c.8.* Antichristus, inquit,

inquit, non regnabit nisi tres annos cum medio, *Dan.* 7. & 12. *Apoc.* 12. *Becanus Tom.* 2. *de Antichristo reformato pag.* 171. Antichristus, inquit non regnabit, nisi tres annos cum dimidio, Dan. 7. v. 25. Sermones contra excelsum loquetur, & sanctos altissimi conteret, & tradentur in manus ejus usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis. Hic per tempus intelligitur unus annus, & per tempora duo anni; & per dimidium temporis dimidius annus. *Johannes in Apoc. cap.* 13. *v.* 5. dicit, Antichristum regnaturum mensibus 42. quī rectè faciunt tres annos cum dimidio. *& cap.* 11. *v.* 3. duos illos Prophetas, qui se opponent regnanti Antichristo prædicaturos diebus 1260, qui idem tempus efficiunt.

50. Verùm docent Protestantes assertionem illam pontificiam, nullo niti certo fundamento sed meris conjecturis scripturæ & veritati contrariis. Nam 1 In hisce mysteriis annos præcisè supputare prohibemur, *Act.* 1. *v.* 7. Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Qui igitur in hisce curiosè momēta temporum rimatur scripturæ adversatur.

51. 2, Præcisè cognito regno Antichristi, præcisè cognoscetur & extremus dies contrè illud Christi *Mar.* 13. *v.* 32. Et latet unus dies, ut observentur omnes dies.

52. 3. Spiritus S. verbis expressis annos non definivit. Ergo magna est præsumptio, & curiositas per tempus, annum, per tempora, duos, per dimidium temporis, dimidium præcisè fingere annum. 4. Imò Spiritus S. in temporis descriptione variat. Ergò hac variatione à curiosâ inquisitione nos revocat. *Dan.* 12. *v.* 7. Et audivi virum, qui indutus erat lineis, quia in tempus, tempora, & dimidium temporis. *v.* 11. Et à tempore cum ablatum fuerit juge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolatione, dies mille ducenti nonaginta. *v.* 12. Beatus, qui expectat, & pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque. Si dixeris agi hic de Antichristo orientali, non repugnabimus, sed variationem ipsam in temporis descriptione urgebimus. Et ipsos Pontificios ea ad Antichristum occidentatem transferre ostendemus. Vel ira inferimus Spiritus S. non proponit dierum annorum, & mensium Synonymiam. Ergo Pontificii contra Scripturam de eâ fabulantur, eamque ex suo cerebro fingunt, & urgent. Nam dierum non esse Syno-

nymiam jam ostendimus: Modò numerantur 1290. modò 1335. Dan.22 v.11.12. Modò 1260. *Apoc.*11.*v.*3. Neque annorum dierum & mensium est Synonymia. Nam si Pontificii intelligant annum solarem, qui continet dies 365. horas ferè 6. tum neque dies 1260. neque 1290 constituunt tres annos cum dimidio. Si annum intelligant lunarem, qui duodecim mensium lunarium, & undecim dierum periodo apud hebræos absolvebatur, referente *Johanne Lucidio lib.*1.*Chron.cap.*5. tum anni tres cum dimidio constituunt menses 43. atque sic quoquo se vertant, dierum, mensium, & annorum nulla est synonymia.

51. 5. Apostolus dicit 2.*Thess.*2.*v.*7. Mysterium jam operatur iniquitatis. Cæpit igitur tempore Apostoli: Et non subitò regnum Antichristi invaliturum, sed latenter irrepturum, Apostolus simul inculcat.

54. 6. Impossibile est tam brevi temporis spatio tantam tyrannidem, & abominationem posse Antichristum perficere, adeò ut Reges terræ in orbe Christiano cum ipso fornicentur, & nemini liceat mercaturam exercere nisi ipsius characterem in fronte habeat, cum sæpe ne una civitas tàm brevi temporis spatio ad aliam religionem possit perduci, ut eam per omnia approbet, etiamsi externâ vi cogatur.

55. 7. Denique sermones erunt clausi, & signati, *Dan.*12. *v.*9. Ergo de vulgaribus annis non possunt, nec debent intelligi.

56. Quare cum sanioribus Ecclesiæ doctoribus censemus in illis dictis, tempus certum pro incerto poni, & esse aliquod infinuari, ut temeritas humana in tantis mysteriis dimetiendis compescatur.

57. Pertinacibus disputatoribus respondemus, intelligendos esse annos non solares, nec lunares, sed angelicos, quorum singuli tot annos, ac menses complectuntur, quot alioquin dies. Nam 1. non homo. sed Angelus Dei hic est locutus. Vulgares igitur anni non intelliguntur, sicut nec Dan. 9. v. 24. septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, hoc est, 490 anni. Nam hebdomodes istæ dividuntur *ver.*25.26.27. in hebdomades septem, Sexaginta duas, & hebdomadem unam. Resolvendæ v. sunt hebdomades in dies, & dies in annos. *Ezech.*4.*v.*6. Diem

pro

pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi. 2. Judæi duplicis generis habuerunt hebdomadas. Prius sumebatur pro septem dierum spatio, ut *Lev.23.v.15.16.* ubi septem hebdomadæ numerantur intra festum Paschatos & Pentecostes; posterius pro septem annorum curriculo, *Lev.25.v.8.* Si igitur tempus illud exactè resolverimus, habebimus 1260 annos. vel 1290. Verum initium Antichristi certò sciri nequit, cum latenter regnum suum inchoarit. Ergo nec duratio ejus.

58. Opponunt sese huic manifestæ veritati Pontificii: *Becanus pag.171.* Nonnulli, inquit, volunt, tempus certum pro incerto positum esse. Sed pugnant contra communem consensum antiquitatis. Adde, tunc solum poni certum numerum pro incerto, quando ponitur aliquis plenus, & perfectus numerus, ut decem, centum, mille, non autem, quando parvi & magni permixti sunt Quorsum enim numerorum varietas, & permixtio.

59. Resp. 1. Mirum non est Patres quosdam in expositione horum locorum hallucinatos esse: Nam Danieli in specie præcipitur ut claudat sermones suos, & obsignet librum usque ad tempus statutum, hoc est, donec eventus respondeat, *Dan.12.v.4.* Jehova, *Jer.28.v.9.* cum venerit, inquit, verbum ejus, scietur Propheta, quem mittit Deus in veritate, *Irenæus lib.4. contra Valent. cap.43.* Omnis inquit, prophetia antequam habeat efficaciam, ænigma, & ambiguitas est hominibus. Cum autem venit tempus, & evenit, quod prophetatum est, tunc demum habet liquidam, & certam expositionem. 2. Non omnes Patres tempus illud de communibus annis intellexisse, vel inde patet, quod suo tempore Antichristum venisse affirment, *Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone Judæo,* Et is, inquit, qui impiè, & temerariè maledicta in altissimum proloquututus est, jam pro foribus assistit, quem tempus, & tempora, & dimidium temporis detenturum esse, Daniel præmonstravit, *Cyprianus lib.4. Epist.6.* scire debes, & pro certo credere ac tenere pressuræ diem super caput esse cæpisse, & occasum sæculi, & Antichristi tempus appropinquasse, ut parati omnes ad prœliũ stemus. 3. Synonymiã annorum, mensium, & dierum non esse ostendimus th.52. 4. Variatio illa temporum usurpatur etiam de Antichristo orientali, nimirum de Turca. *Daniel 12.* Num igitur regnum

Turcicum per tres tantum annos, & dimidium est duraturum. 5. Et num variatio mysterium importat *Luc.* 13. *v.* 33. Oportet me hodie, & cras, & sequenti die ambulare?

60. Deinde ex altero responsione inferunt. *Bellarm. & Becanus* absurdum, nimirum Ezechielem per annos integros 390. super latus sinistrum dormivisse. Resp. aliud est visio, & aliud rei gerendæ viva actio: Somnus Ezechielis tot dierum repræsentabat tot annorum peccata, atque sic dies pro anno erat.

61. *Instat Bellarminus*, adventus, inquiens, Antichristi erit novissimis temporibus. Si igitur Antichristus jamdudum venisset, jamdudum etiam mundus esset finitus.

62. Resp. 1. Novissimum tempus vocatur ultima pars mundi à Christo exhibito ad finem usq; seculi, 1. *Joh.* 2. *v.* 18. Et quidem respectu reliquorum seculorum elapsorum. 2. Nam qui prohibituri sunt cibos, & nuptias, dicuntur venturi novissimis temporibus, 1. *Tim.* 4. v. 1. At hos venturos ante finem primùm mundi, non concedunt ipsi Pontificii.

63. *Inferunt Pontificii, regnum Antichristi breve futurum.* Resp. Breve istud erit non respectu certi definitorum annorum spatii; Sed 1. respectu ipsius Ecclesiæ, quæ altius habet initium, & in æternum durabit. 2. Respectu Dei, in cujus oculis mille anni sunt instar unius diei, 2. *Pet.* 3. *ver.* 3. 3. Respectu modi loquendi Scripturæ, in quâ hora novissima nominatur spatium aliquot seculorum ut jam ex 1. *Joh.* 2. *v.* 8. est ostensum. 4. Respectu abbreviationis temporũ, *Matt.* 24. *v.* 21.

64. Quæstio quinta. *Quis sit Antichristus ille magnus, & quidem occidentalis?*

65. Resp. Accusant Pontificii Protestantes insignis injuriæ, & iniquitatis, quod ausint Antichristi nomen impurare Pont. Romano, uti videre est ex *Bellarm. lib. 3. de Pont. Rom. c. 4. & seqq. ex colloq. Ratis. p. 330. Becano de Antichristo refor. c. 2. p. 170. ex Coster. de sum. Pontif. cap. 3. pag. 115.* & sequentibus. *Salmeron Tom. 15. pagin. 389.* Ex sepulchris, ait, veterum hæresiarcharum prodierunt quidam blasphemi, & imperiti Sophistæ, quos veros Antichristi præcursores nominare possumus, qui non audentes Christum negare Deũ, quia illud servatum est tanquam proprium Antichristi, vero eorũ capiti

& Præ-

& Præceptori: Ipsi tamen ejus vicarium, quem in terris reliquit, pernegant, & insigni blasphemiâ, ac perfidiâ illum verum esse Antichristum docent, &c. *Posse vinus in Epist. ad Regem Poloniæ, operis Muschov. p.* 302. Certissimum est, inquit, Pontificem maximum neque Antichristum habendum esse, neque unquam habitum fuisse, à quoquam, nisi à procacissimo aliquo hæreticorum.

66. *Verum non Protestantes primos esse, qui Antichristi magni occidentalis nomine Pontifices Romanos intelligendos censeant, ex veterum scriptis facilimè ostenditur: In concilio Rhemensi, anno Christi* 980. *Arnulphus, Episcopus Aurelianensis.* Quid hunc, inquit, in sublimi solio residentem, veste purpureâ & aureâ censetis? Nimirùm, si charitate destituatur solaque scientiâ inflatur, & tollitur, *Antichristus est, in templo Dei sedens, & sese ostentans, quasi Deus sit. D. Bernh. Epist.* 125. Bestia, inquit, illa de Apocalypsi, cui datum est os loquens blasphemias, & bellum gerere cum sanctis Petri cathedram occupat, tanquam leo paratus ad prædam. Testatur *Aventinus lib.* 7. *Anal.* publico totius Imperii Romani decreto, Romanum Pontificem, Johannem XXII *Antichristum* esse declaratum, & proclamatum. *Gregorius Magnus lib.* 6. C. 30. Antichristi præcursorum esse, ait, quisquis universalem Sacerdotem vel se vocet, vel vocari desideret. *Aventinus lib.* 5. *Anal.* De Gregorio VII. sive Hildebrando scribit: Plerique omnes boni, aperti, justi, ingenui simplices tùm *imperium Antichristi* cæpisse, quod ea, quæ Christus servator nosset tot annos antè nobis cantavit, evenisse eo tempore cernebant, memoriâ literarum prodidêre.

67. *Assertionem verò ipsam probamus à notis Antichristi: In quē cadunt omnes, & singulæ notæ Antichristi, quas usquam Spiritus S. in scripturis de Antichristo tradidit, & annotavit, is est Antichristus. Atqui in Pontificem Romanum post tempora in primis Gregorii cadunt omnes & singulæ notæ, quas unquam Spiritus S. in scripturis de Antichristo tradidit, Ergo.* Cui igitur competit definitio, ei & definitum.

68. Nota prima est *defectio à fide*, 1. *Tim.* 4. *v.* 1. 2. *Thess.* 2. *v.* 3. in novissimis temporibus discedent quidam à fide. Hanc notam In Pontifice Romano completam esse his ipsis evincimus disputationibus.

69. Nota secunda est, *sessio in templo Dei*, 2. *Thess.* 2. *v.* 4. hoc

est,in Ecclesiâ, in quâ dominium affectabit: Et hanc in Pontifice Romano finem suum sortitam esse,experientia testatur.

70. Tertia nota est,*descriptio loci*, *& sedis*, in qua regnaturus & dominaturus prædicitur,de hac dicit Johannes, *Apoc.17.v.3*, Se vidisse mulierem,cum qua fornicati sunt Reges terræ, sedentẽ super bestiam,&c. At bestia decem habens cornua est quarta Monarchia,Romana videl.decem provinciis imperans,*Dan.7.v.7*.Bestiæ huic insidens mulier est civitas magna, *Apoc.17.v.17*.Et quidem septicollis, *Apoc.17. vers.9*. Romam verò septem superstructam esse montibus testatur *Virgil.lib.7.Æneid.*

Septemq; una sibi muro circumdabit arces.

Et Ovidius de Trist.Eleg.7.

Dumq; suis victrix septem de montibus orbem
Prospiciet domitum Martia Roma,legar.

71. Quarta nota est,*quod sit filius perditionis 2.Thess.2.v.3.4*.At Papam Romanum perditum esse,& perdere,declarat *Dist.40.cap. Si Papa.*

72. Quinta nota est,*quod Antichristus se elaturus sit supra omne id,quod dicitur Deus,aut colitur,ita ut in templo Dei sedeat ostentans se tãquam sit Deus,Dan.11.v.36.2.Thess.2.v.7.8*. Et hæc prædicatio in regno pontificio est completa. Nam licet non verbis se extollat supra id, quod dicitur Deus (Ecquis n. hisce ipsius verbis fidem haberet?) Tamen,quod longè est atrocius & acerbius ipsa re,& facto sese ei præfert, 1. quia sua scripta, & decreta præfert verbo scripto ipsius æterni Dei.2. Jactat,& gloriatur de se, & suâ Ecclesiâ, quod hujus major, quàm Scripturæ sacræ sit authoritas. 3.Gloriãtur Canonistæ,posse Pontificem contra Epistolas Pauli statuere. 4. Papa non solum verbis gloriatur, posse à se Sacramentorum formã mutari,sed ipso facto palã id tentavit. Exaltat igitur se supra Sacramẽtorum autorem,qui est ipse Deus. Abnegando verò voluntatẽ Patris,officiumque Filii,Patrem,& Filium abnegat,sicut impii abnegando Providentiã Dei, dicuntur abnegasse ipsum Deũ,*Ps.14.v.1.*

73. Sexta nota est *matrimonii prohibitio*, *1.Tim.4.v.3.Dan.11.v.* 37.Septima nota est *ciborum à Deo permissorum interdictio.1.Tim.4.v.3* Octava,*negociatio.Ap.18.v.3*.Nona,*spiritualis fornicatio*.Decima falsorum miraculorum enumeratio,& ostentatio,*2.Thes.2.v.9*. Quadrare hæc singula in ipsum Papam Romanum,res ipsa docet.

74. Quæstio sexta: *An vera sit historia de Johanne octavo Papa, seu de Johanna Romani Pontificis sedem occupante, atq; pariente?*

74. Resp. Sacrificus quidam Anglicus scortum quoddam secum duxit *Moguntium*. Cum verò isthic subsisteret, venit dies partus ejus, peperitque filiam, cui nomen Gilbertæ est datũ: Hæc verò cum esset eximio ingenio donata, literas apud aliquem eruditum educata didicit, ac sexum mentita à Monacho quodam, ejus rei nõ ignaro, in cœnobium Fuldense est introducta; Sed cum vereretur diu latere non posse, ideò Monachus Athenas discendi causa sese confert, Gilbertam tanquam juvenem sub veste Monachali secum abducens. Gilberta ibi cum hominib. doctis versata, Græcam addidicit linguam, ac disputando sibi comparavit solertiam. Mortuo verò Monacho seu Amasio, Romam sese contulit, ubi in sacrarum literarum cognitione paucos pares habuit, superiorem neminem. Ob suam igitur eruditionem, disputandi promptitudinem, & acumen in magna authoritate est versata, & tantum sibi hominum comparavit favorem, ut communi Cleri, & plebis suffragio Pontifex mortuo Leone IV. fuerit creata, qui Johannes VII. (ut placet Sabellico, vel VIII. ut Platinæ) est dictus, anno Christi 853. juxta Martinum, aut 854. juxta Sigebertum, imperante Lothario, Ludovici pii filio.

76. Postquam igitur Pontificatum consecuta fuit, divitiis, otio & delitiis vacans, libidines sub sanctitatis, & castitatis velamento horrendas exercuit, quas Deus mirabiliter patefecit. Nam à Cardinale domestico impregnata, cum aliquam diu ventrem occultè tulisset, Dei providentiâ in solemni processione à S. Petri ad Lateranensem Basilicam tendens, inter theatrum, quod Colossæum vocant, à Neronis Colosso, & S. Clementis templum præter spem partus doloribus circumventa est, & Papalibus ornamentis ornata, peperit in strata publica, ibidemq; est defuncta.

77. Verissimam hanc esse Historiam his confirmamus fundamentis 1. *Fides historica, si à plurimis, & quidem diversis confirmetur & narretur, rata habetur. At qui factũ illud fide historicâ plurimi diversi, etiã Pontificii confirmant. & narrant, ut: Marianus Scotus*, Fuldẽs. Monach. ordin. Bened. *Ranolph. Flaviac.* Monach. Bened. *Charanza Archiep. Toletan. Raphaël Valaterran. Martin. Polon.* Archiep. Cosentinus, &

Pœni-

Pœnitentiarius Nic.III. *Platina, Trithemius Spanheimenſis, Wernerus Rolevinck, Matthæus Palmerius,* & alii. 2. Calculus certus temporum idem evincit: Nam Leo electus eſt anno 846. qui pōtificatum geſſit annos 8. Bened. III. (quē ſucceſſiſſe opinantur Pontificii hodierni Leoni) anno 856. ſi jam fiat computatio annorum, biennium adhuc integrum abeſſe deprehendetur, per quod Pontificem egit illa Gilberta. 3. Idem evincunt circumſtantiæ & ſigna, ut ſunt primò *ſtatua mulieris*: Nam Romæ eo ipſo loco, quò abortivit, marmoream poſitam à Senatu, vel populo Rom. ſtatuam figurativè factum demonſtrantem teſtatur *Theodor. de Niem lib. 2. de privil. & jur. Imper. Antonin. Archiep. tit. 16. c. 1. par. 7. Joh. Naucler. & alii*: Statuam hanc Pio V. ut memoria hujus hiſtoriæ aboleretur in Tyberim abjectā eſſe refert Haſenmüllerus. Sienæ in celebri templo inter reliquos Pontifices, ejus etiam Papiſſæ conſpicua imago extabat, quæ tandem *Florimundi Ræmundi*, ipſo referente tr. de hac re ſing. p. 194. Et *Cardinalis* Baronii poſtulatu à Clem. VIII. ſublata eſt. Secundò, *ſedes perforata*: Nam hinc factum eſt ut novi Pontificis virilia à Diacono poſteà ſint attacta, & explorata, videatur Laonicus Chalcondyl de reb. Turc. lib. 6. p. 78. Morem explorandi ſexum tanquam minus convenientem Petri ſucceſſoribus abrogaſſe fertur Paulus III. qui oſtenſis aliquot liberis ſexum ſuum demonſtravit. Ritus hæc abrogatio à Johanne Pannonio Epiſcopo Quinqueccleſienſi ante hanc motam controverſiam his verſiculis nota fuit:

Non poterat quiſquam reſerantes æthera claves
Non exploratis ſumere teſticulis.
Cur igitur noſtro mos hic nunc tempore ceſſat?
Ante probat, quod ſe quilibet eſſe marem.

Tertiò *declinatio à via*: Nam Pontifices in proceſſionibus eam plateam ob facti ignominiam declinare ajunt, videatur *Philippus Bergomenſ. ſupp. Chron. ad ann. 858. Johan. Bocatius in lib. de char. mul. c. 99.*

4. Ipſi Romani in libro Romæ impreſſo de indulgentiis Romanis referunt, hanc mulierem ob Angelo fuiſſe interrogatam, utrum ob tantum malitiam malit coram toto mundo confundi; quàm æternùm damnari; prælegiſſe, ajunt prius, idque commendant.

FINIS DISPVT. IX.

DE PAPISMO

DISPVTATIO IX.

Et quidem in ſpecie

DE

DE CONCILIIS

PRIOR

In qua

Chriſto Duce & auſpice Chriſto

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS GISENII,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS,
ET ORDINARII IN INCLY-
ta Academiâ Giſſenâ Pro-
feſſoris,

RESPONDEBIT

HENRICUS GÜNTHERUS D'ITH-
MARSUS BOREALIS.

In Auditorio Theologico ad diem 10. *Decemb. horis ante-meridianis & pomeridianis.*

GIESSÆ, Ex Typographéo Caſparis Chemlini.

M. DCXVII.

DISPUTATIO NONA
De
CONCILIIS.

THESIS I.

TANTVM de Ecclesiæ universali capite, quod est Christus: & de pontifice Romano, quem constituunt Pontificii Ecclesiæ caput universale, sed secundarium, visibile & ministeriale, atque Christi vicarium: sequitur ut de ipsâ conferamus ecclesiâ, quę consideratur bifariam. 1. In conciliis congreata 2. Per totum terrarum orbem diffusa. Præmittendam censet Bellarminus Disputationem de conciliis, disputationi de Ecclesia licet ordo naturæ contrarium suadere videatur. Præponimus, inquit, *Tom. 3. libr. 1. cap.* 1. disputationem de conciliis Disputationi de ecclesiâ licet ordo naturæ contrarium suadere videatur, quoniam disputatio de conciliis magis connexa est cum disputatione de summo Pontifice, quæ jam præcessit disputatio de Ecclesia.

2. Quemadmodum verò Pharisæi tempore Christi sua somnia de operum meritis, de corporali regno Messiæ, de Christo ejusque discipulis interimendis non scripturæ testimoniis, quibus destituebantur, sed majorum suorum traditionibus atque synagogæ, & Judaici Synedrii decretis fulciebant, *Matth.* 5. 10. 15. 22. 26. 28. *Ioh.* 11. Act. 4. 5. 6. 22. 23. Ita hoc ultimo decurrente seculo superstitiones Pontificiæ, & doctrinæ cœlestis corruptelæ nituntur in primis antecessorum traditionibus, atque Conciliorum Romanensium authoritate, & decretis. De his igitur nonnulla examinanda proponimus.

Sententia protestantium.

3. *Concilium igitur, sed Synodus est conventus, in quo publica omnium ordinum, vel saltem præcipuorum capitum è singulis ordinibus alicuius regni, seu provinciæ deliberatio de religionis abusibus tollendis, de falsâ doctrina abolendâ, & syncerâ restaurandâ suscipitur.* Vel: *Concilium est talis conventus, in quo de rebus Ecclesiam decernentibus despicitur.*

4. Originem Conciliorum inquirentes rectè distinguunt inter congressus Ecclesiasticos generaliter sic dictos, qui instituebantur ad discendum, & non ad dispiciendum, seu ad discendam, & exercendam, non ad disceptandam religionem. Hujusmodi congressus primùm fuerunt domestici, deinde facti sunt publici, *Gen.4.v.26.* Post diluvium in familiis Patriarcharum in primis fuerunt celebrati. Et cum gens Israelitica in 12. accrevisset tribus, certis temporibus, & quidem maximè diebus Sabbati fuerunt usitatissimi. *Iacobus dicit Act.15.v.21.* Moses à temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbathum legitur. Insignes fuerunt anniversarii Israëlitarum conventus, *Exod.23.v.16.c.34.v.23. Dent.16.v.16.* Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei.

5. In congressibus istis Domino gratiæ agebanrur, & porrò invocabatur. In primo enim festo, quod erat Pascha, memoriam liberationis ex Ægypto circa æquinoctium vernum Israelitæ celebrabant. In secundo, quod erat Pentecoste, legis per Mosen latæ recordationem instituebant. In utraque solennitate gratias de novis frugibus agebant: In Paschate offerebant hordei primitias; In Pentecoste panem ex novo tritico factum. In tertio, quod erat festum tabernaculorum, beneficium commemorabant, quo Deus Patres in deserto sustentavit per annos 40. & gratias agebant, quod omne genus fructuum collegissent.

3. Itaque congressus isti Ecclesiastici non annumerantur Synodis propriè sic dictis, quæ ad dispiciendum, & disceptandum instituuntur, quas primus Moses Dei jussu in integra familiâ diversarum tribuum instituit, *Exod.19.20.21.22.23.25. Deit.21.32.33* Et consequenter alii celebrarunt.

Causa & autor Conciliorum, seu ut planius dicamus, qui cogere

gere & convocare debet concilia, inprimis generalia, quique eis debet præsidere, sententiam dicere, & definire est Magistratus politicus, & quidē in primis Imperator, ita tamen, ut suum jus in conciliorum convocatione, & celebratione non derogetur reliquis ordinibus: Quod enim omnes tangit, ab omnibus debet curari. Et Cæsari ita sua sunt danda, ut: quæ sunt Dei, & ministrorum Dei inviolata maneant, *Matt.22.v.21.* Cum igitur convocatio, & celebratio Synodorum sit commune totius Ecclesiæ opus, meritò hic suum jus habet Magistratus politicus, nec derogandum suum Ministerio Ecclesiastico, concedendūm & suum ordini plebeio *Nicolaus Papa distinct.96.cap.4.* Ubinam, inquit, legistis, Imperatores antecessores vestros synodalibus conventibus interfuisse, nisi forsitan, in quibus de fide tractatum est, quæ universalis est, quæ omnium communis est, quæ non solùm ad clericos, verùm etiam ad Laicos, & ad omnes omninò pertinet Christianos?

8. Concilia igitur cum sint Senatus Ecclesiasticus, & referant totius Ecclesię faciem, ideò omnes ordines in istis suo fungantur munere, Jus citandi, & cogendi competit Magistratui; Reliquis ordinibus consulendi, & assentiendi: denique omnibus ordinibus officium despiciendi, & verum inquirendi.

9. Finis seu utilitas Conciliorum est multiplex: 1. Prosunt ad sinceram doctrinam confirmandam, & longe lateque propagandam, uti videre est ex concilio Apostolico *Act.15.* in quo vera sententia de lege ceremoniali est explicata. 2. Faciunt ad reprimendas hæreses, & falsa dogmata, quemadmodum refutata est in concilio Apostolico Pseudoapostolorum opinio de operum meritis, & de necessitate ceremoniarum Mosaicarum. 3. Sunt utilia ad emendandam disciplinam Ecclesiasticam. 4. Denique sunt nervi amicitiæ, & conjunctionis. Constantinum hoc fine adductum fuisse, ut Concilium Nicenum convocaret, testatur *Eusebius libr.3.* in vita Constantini: Hæc, inquiens, summa fuit votorum meorum, ut frui possem conventus vestri societate. Quod cum mihi contigerit, gratiam me Regi hujus universitatis debere confiteor, qui copiam præter alia cuncta, benigne dedit, id bonum contuendi, quod pluris est, quam reliqua omnia: Vos, inquā, in hoc cœtu

versos,& communem, atque concordem sententiam vestram, ut aspicere,atque cognoscere mihi concedatur.

10. Quamvis Concilia sint utilia, non tamen simpliciter sunt necessaria: Non enim congregantur, ut rebus Theologicis authoritas concilietur, sed ut illa manifesta reddatur. Ex accidenter dici posse necessaria nullus dubitat, nimirum necessitate mandati, & propter insolentiam adversariorum, atq; ad repellendum metum infamiæ, quasi causæ nostræ diffideremus.

11. Adjuncta authoritas Concilii consideratur tum respectu Scripturarum sacrarum, tum respectu suiipsius. Nam authoritas Conciliorum præferri non debet ipsis Scripturis, nec ipsis æquiparare, cum ex illis omnis ipsorum authoritas dependeat, & tum demum rata habeantur, si cum analogiâ fidei consentiant. In se considerata concilia errare posse, plurima testantur exempla.

12. Concilia alia sunt Politica, & alia Theologica. Politica sunt, quæ de rebus ad statum externum Reipublic. pertinentibus congregantur, de quibus hoc loco agere propositum nobis non est. Theologica concilia sunt consultationes de rebus ad amplificandam Dei gloriam institutis.

13. Hæc dividuntur dupliciter primò sua naturâ. Secundo amplitudine, seu frequentia.

14. Natura & authoritate sua concilia sunt primò Canonica, utpote Prophetarum à Mose, Josua, Davide, Salomone congregata; Et Apostolorum, *Actor.*15. Secundò Ecclesiastica, quæ post Apostolorum tempora in Ecclesia sunt habita. Et horum alia sunt prorsus impia, ut Pharisæorum, & Pontificum conventicula; Alia sunt puriora, ut concilia Oecumenica.

15. Respectu frequentiæ concilia alia sunt plenaria, seu οἰκουμενικὰ; alia partialia seu ptrtialia. Illa fiunt ex universo orbe Christiano. Ex his commendantur, & sunt celebria potissimum quatuor: Primum est *Nicænum*, quod Constantinus contra *Arium Niceum* Bithyniæ convocavit, anno Christi trecentesimo vigesimo, cui

cui trecenti & octodecim interfuerũt Episcopi, inter quos primas tenuit Eustachius Antiochenus. Secundum est *Constantinopolitanum*, quod Theodosius major anno Christi 381. contra Macedoniũ Pneumatomahon convocavit, cui cẽtum quinquaginta interfuerunt Episcopi, & inter hos primo sedit loco Gregorius Nazianzenus, qui Constantinopolitanæ præerat Ecclesiæ. Tertium *Ephesinum* patrum ducentorum amplius, anno Christi 431. contra Nestorium collectum, in hoc Cyrillus Alexandrinus primas tenuit. Quartum *Chalcedonense*, quod anno Christi 451. Martianus Imperator contra Eutychen *Chalcedonem* 630. patrum convocavit, qui leonis Romani Episcopi licet absentis potissimum probarunt epistolam.

16. Partialia concilia sunt, quæ per singulas regiones, vel provincias colliguntur.

17. Partialia igitur concilia dividuntur in Nationalia, & provincialia: Illa in toto regno; hæc in qualibet regni provinciâ celebrantur.

OPINIO PONTIFICIORVM.

18. Concilii nomine idem significatur in Ecclesia, quod *Conciliorum* nomine in regno. *Bellarminus lib. 1. cap. 3.* Sunt igitur ex ipsius opinione æquiparanda.

19. Sunt autem quatuor conciliorum genera: Quædam enim sunt generalia, quædam nationalia, quædam provincialia, & quædam diœcesana. *Bell. cap. 4.* Altera partitio conciliorum complectitur item quatuor membra: Quædam enim sunt ab Apostolica sede approbata, atque ab ecclesia universa recepta, quædam omninò reprobata; quædam partim approbata, partim reprobata, quædam nec approbata, nec reprobata. *Bellarminus ibidem*

20. Causa Conciliorum est. 1. Hæresis nova, id est, nunquam antea judicata. 2. Schisma inter Romanos Pontifices. 3. Resistentia communi hosti totius Ecclesiæ. 4. Suspicio hæresis in Romano pontifice. 5. Dubitatio de electione Romani pontificis.

Pontificis. 6. Reformatio generalis abusuum, & vitiorum, quæ in Ecclesiam irrepunt, *Bellarm. lib. 1. c. 9.*

21. Concilia aliqua sive generalia, sive particularia sint, omninò necessaria esse ad bonam Ecclesiæ gubernationem, vix in quæstionem revocari posse dubito, dicit *Bellarm. lib. 1. c. 9.*

21. Concilia alia sive generalia, sive particularia sint, omninò necessaria esse ad bonam Ecclesiæ gubernationem, vix in quæstionem revocari posse dubito, dicit *Bellarm. c. 11.*

21. Potestas convocandi generalia concilia non est penes Imperatorem, aut Principes Christianos, sed penes solum Pontificem, *Bellarm. cap. 12.*

22. Præses Conciliorum generalium esse nequit Imperator, aut alius Princeps secularis; sed solus Papa sive immediatè per se sive mediatè per suos legatos, *c. 19. 20.*

23 Suffragia decisiva in conciliis habent soli Episcopi & prælati majores, non reliqui Theologi multò minus Laici, *Bellarminus cap. 15.*

24. Concilia à Papa approbata, licet vel particularia fuerint, errare decernendo non possunt, Reliqua omnia etiam generalia errare possunt, *Bellarminus lib. 2. cap. 2.* Quare illa nulli Christiano licet in dubium vocare, *cap. 3.*

25. Authoritas conciliorum quoad sensum, & explicationem est major authoritate scripturæ, *cap. 12.*

26. Papa tanquam summus pastor, Monarcha, & caput est supra omnia concilia.

Status Controversiæ.

27. Disputatur igitur inter protestantes, & pontificios de jure concilia convocandi, sententiam decisivam ferendi, præsidendi: De conciliorum authoritate: De eorũ usu & necessitate: De eorundem erroribus: Et quæritur, annon concilia sint supra Papam, & quæ sit authoritas concilii Tridentini; De his igitur nonnulla examinanda proponemus.

28 Quæstio prima: *Vtrum ius generalia concilia convocandi sit penes ministerium ecclesiasticum, & in primis penes Papam: An verò penes Magistratum, & in primis penes imperatorem?*

29. Resp. *Bellarminus lib. 1. de concil. cap. 12.* convenit, inquit, inter

inter nos, & adversarios, concilia Diœcesana ab Episcopo; Provincialia ab Archiepiscopo; Nationalia à Patriarcha convocari debere. At de concilio generali maxima est controversia. Hæretici jus convocandi generalia concilia adscribunt Imperatori; At Catholici Pontifici.

30. Protestantes verò primò improbant ipsam assertionem *Bellarmini* de statu controversiæ. Nam Bellarminus in propositione, de qua dicit esse consensum aliquot occultat fraudes, idq; ostendit vel appellatio Episcoporum: Pontificiis enim Episcopi sunt mundani Principes sedi Romanæ jurejurando obstricti; At protestantes cum Scripturâ sacra appellatione Episcoporum intelligunt Pastores, quales definit Apostolus 1.*Tim.*3.*Tit.*1.*Eph.*4. Deinde Pontificii inter Episcopos, & Archiepiscopos habent primatum simplicis dominationis, ita ut superioribus in inferiores jus imperandi, & mandandi competat: At protestantes primatum ordinis, non civilis jurisdictionis inter Ecclesiæ Episcopos agnoscunt. Tertiò Superintendentes protestãtium potestatem quidem qualemcunque habent, sed determinatam, non absolutam, & determinata ea est non à pontifice Romano, sed à scriprurâ sacra. Quartò nomine *Synodorum* protestantes intelligunt non tantùm conventus Ecclesiæ pastorum, ut pontificii; Sed omnium Ecclesiæ ordinium adeoque etiam politicorum. Denique miserè confundit Bellarminus *Comitia & Concilia.* Certè quod licet Imperatori in humanis, in quibus ille ex authoritate legum ab Imperatoribus & aliis latarum definit, illud eidem non licet in divinis, in quibus ipse tantum ex Scriptura definiat oportet. Quare falsum, est, quod ait Bellarminus, de his inter protestantes & Papistas esse consensum.

31. Quod verò attinet jus generalia Concilia convocandi, non est illud penes Ministerium Ecclesiasticum, sed penes Magistratum civilem, & in primis penes Imperatorem. Confirmamus illud 1.*ab exemplis Veteris Testamenti*: Nam Pii Reges in V. Testamento soliti sunt concilia congregare, & Ecclesiam convocare, quando de Ecclesiæ salute, & negotiis Ecclesiasticis erat dispiciendum. Ergo iisdem jus illud in N. Testamento competit. Antecedens exemplorum Inductione probamus: Nam *David* de arca

reducendâ consilium congregavit. *Idem* congregavit omnes Principes Israel, & Sacerdotes, atque Levitas, 1. *Par.* 23. *v.* 2. Rex itidem, *Salomon* concilium congregavit 1. Reg. 8. *v.* 1. 2. 4. Nam tunc congregati sunt omnes majores natu Israel cum Principibus tribuum, & duces familiarum filiorum Israel ad Regem Salomonem, ut deferrent arcam fœderis, Domini, de civitate David, id est, de Sion. Convenitque ad Regem Salomonem universus Israel. Venerunt-que cuncti Senes de Israel, Et tulerunt arcam sacerdotes. *Iosias* cóvocavit senes Juda & Jerusalem, 2. *Reg.* 23. *v.* 1. 2. Nam misit, & congregati sunt ad eum omnes senes Juda, & Jerusalem. Ezechias templum instaurat, & Consilium cogit, 2. *Paral.* 29. *v.* 3. 4. Nam ipse anno & mense primo regni sui aperuit valvas domus Domini, & instauravit eas. Adduxitque Sacerdotes, atque Levitas & congregavit eos in plateam orientalem. Consequentia est immobilis: Nam Reges V. Testamenti Ecclesiam reformaturi, & de negotiis Ecclesiasticis deliberaturi cõcilium indixerunt non tantum Laicorũ, sed etiam Sacerdotum & Levitarum: Et conventus isti fuerunt Ecclesiastici. Idem igitur observetur oportet in N. Testamento cum nec modus iste sit abrogatus, nec novus præscriptus. Cumque tanta fuerit Pontificum, Sacerdotum, ac Prophetarum apud pios reges authoritas, ut non tantum in religionis sed etiam aliis regni negotiis nõ facile absq; illorum fideli consilio aliquid susceperint.

32. 2. *Ab authoritate, & potestate Magistratus*: Ejus est in primis concilia congregare, cui omnes debent obtemperare: Sine authoritate enim nullum cogitur concilium. Atqui non Papæ, sed Magistratui politico omnes debent obtemperare, *Rom.* 13. *vers.* 1. 1. *Pet.* 2. *v.* 13. Idem ostendimus in Disputationibus de Pontifice Romano. Exponemus pluribus in Disput. de Laicis. Ergo Magistratus politici est indicere concilia, *& non Ministerii* Ecclesiastici.

33. Non denegamus Ministerio Ecclesiastico omnem potestatem, sed tantum civilem & absolutam. Adscribimus igitur ei potestatem à Deo ipsi concessam, quæ est potestas Evangelium docendi, Sacramenta dispensandi Corripiendi, solvendi, ligandi, & excõmunicandi. Nec omne jus in conciliis ipsi denegamus; At ipsi soli potestatem convocandarũ Synodorum competere pernegamus. Tres enim ordines comparere debent in Conciliis, Civilis, Ecclesiasticus, & plebejus. Habet quidem Episcopus seu superin-

tendens potestatem qualemcunque in auditores, suæ Ecclesiæ sed non in auditores reliquarum Ecclesiarum. Multò minus potestatem habet civilem, & quidem in ipsum Imperatorem, Reges, Electores, Principes, &c. Cogere igitur nequit omnes ordines Ecclesiæ ad concilium, sed ipse cui competit authoritas principalis, quæ sit simul politica, & coactiva Politici n. est Magistratus in reb. externis mandare & mãdata exsequi: Et politicũ est tractare de publicorum conventuũ sumptib. loco tẽpore, & modo, seu formâ externâ.

34. 3. *A munere Ecclesiæ tranquilitatem procurandi:* Illorum in primis est concilia convocare, quorum est pacem, & tranquillitatem Ecclesiæ procurare: In conciliis enim dispicitur, & tractatur de Ecclesiæ salute. Atqui hoc spectat ad Magistratum, qui est Ecclesiæ nutritor, *Esa.* 49. & 60. qui custos esse debet utriusque tabulæ, qui Christum, Euangeliique veritatem obviis quasi ulnis excipere, eamque in ejusmodi publicis conventibus tueri, & testari, *Exo.* 18. 2. *Paral.* 20. *Psal.* 2. 24. 82. Vota igitur pro Principibus faciamus, quò vitam tranquillam, & honestam ducamus in omni pietate, & honestate, 1. *Tim.* 2. *v.* 2.

35. 4 *Ab exemplis seu praxi primitivæ Ecclesiæ.* Christiani enim Imperatores, & Reges secuti exemplum Regum V. Testamenti Synodos in primitivâ Ecclesiâ indixerunt. Ergo horum hæc fuit Principalis potestas & authoritas. Et per consequens nunc etiam in conciliis judicandi potestas cõpetit Imperatoribus, Regibus, & Principib. Antecedens probamus exemplorum inductione: Nam *Concilium Oecumenicum primum*, quod Niceæ in Bithynia circa annum Christi 325 est coactum non indixit Sylvester (utpote qui dudum mortuus erat) quod falso opinantur Pontificii, sed Imperator Constantinus Mag. teste *Eusebio lib.* 10. *cap.* 6. *Et de vit. Constan. lib.* 3. *Trip. lib.* 2. *cap.* 14. Legitur etiam *Tom.* 1. *Concil. pag.* 139. Sermo (de Arianismo) usq; ad aures religiosi Principis (Constantini Augusti) pervenit. Tum ille ex sententia Sacerdotum apud urbem Nicæam Episcopale Concilium convocat, ibique Arium trecentis decem, & octo Episcopis residentibus adesse jubet, ac de ejus propositionibus, & quæstionibus judicare.

36. *Secundum Concilium Oecumenicum*, quod constantinopoli est habitum circa annũ Christi 385. cõtra Macedoniũ, & πνευματομάχους,

πμάχους, non Damasus Papa, sed Christiani Imperatores Gratianus, & Theodosius convocarunt testibus Historicis in *Tripart.lib.* 9.c.12. ex Theodoreto *Tom.2.concil.p.*235. de Constantinopolitano concilio hæc leguntur verba: Mox ut Imperium sumpsit (Theodosius) præ omnibus de concordia Ecclesiæ cogitavit, & uniuscujusque præsulatus Episcopos Constantinopolim venire præcepit.

37. *Tertium universale concilium*, quod circa annum Christi Ephesi est habitum, & Nestorio oppositum, indixit, coëgit, & gubernavit, non Cœlestinus Papa, sed Theodosius junior Imperator, videatur *Tripar.lib.*12.c.5. De hoc concilio sic legimus *Tom.*1.*concil. p.*441. Secundum sanctionem piis morum, & amicorum Christi, Imperatorum, Theosii, & Valentiniani, congregata in Ephesia metropoli ex omni (sicut dicitur) mundo sancta hac Synodo, religiosissimorum omnium, sanctarum Ecclesiarum, Episcoporum & considente & definiente obtinere, ac firmam esse fidem, quæ exposita est per Spiritum sanctum à sanctis Patribus Nicææ congregatis, &c.

38. *Quartum Concilium Oecumenicum* Martianus Imperator anno Christi 455. contra Eutychen archimandritem, seu abbatem sive præpositum Constantinopolitanum, & Dioscorum Alexandriæ Episcopum convocavit: *Tom.*1.*concil.p.*400. dicitur, quod ex decreto piissimorum Imperatorum Valentiniani, & Martiani sit collectum. Ipse *Martianus* dicit: Nos ad confirmandam fidem, non ad ostendendam virtutem exemplo Imperatoris Constantini adesse Synodo cogitavimus. Atque idem ipsum confirmat *Leo Papa* in rescripto in Synodum Chalcedonensem *Epistol.* 59. *Tom.*1. *concil.pag.*367.

39. *Constantinopolitanum secundum concilium* juxta pium jussum à Christo amati, & à Deo custoditi Justiniani Imperatoris convocatum fuisse, dicitut *Tom.*2.*concil.pag.*12.

40. *Constantinopolitanum tertium* congregavit Constantinus Imperator, ut videre est *Dist.*16.*cap.*6.*Iure Can.* Et Leo Papa *Tom.* 2.*conc.par.*2.*p.*84. Sancta, inquit, universalis, & magna sexta Synodus, quam nutu Dei vestra clementia, & sedēdò convocavit, & cui pro Dei ministerio præfuit, Apostolicam in omnibus regulam, & probabilem, & Patrum doctrinam secuta est, &c.

41. *Sar-*

41. *De Sardicensi concilio* sic legimus apud *Theodoretum lib. 2. cap. 8.* Quapropter Dei amantissimi Reges congregaverunt nos ex diversis provinciis ac urbibus, & hanc sacratissimam synodum coëgerunt, ut omni dissensione sublata, sola pietas in Christum ab universis conservetur.

42. Jussu *Caroli Magni Imperatoris* multa sunt habita concilia minora, Moguntiæ, Francofurti, Remis, Turonis, Cabilonis, Arelati. *Tom. 2. Concil. par. 2. pagin. 129.* dicitur: Hic est ordo capitulorum breviter annotatus, quæ anno Dominicæ Incarnationis 1313. notata sunt in conventu metropolitanæ sedis Remensis Ecclesiæ, *à Domino Carolo*, piissimo Cæsare; *More priscorum Imperatorum congregato.*

43. Postremum hoc argumentum illudere conatur *Bellarminus pag. 30.* Istud, inquit, argumentum, meritò à nobis contemnitur. Nam adversarii nostri nolunt argumenta peti efficacia ex Ttraditionibus, aut consuetudine Ecclesiæ, sed solum ex divinis literis.

44. Resp. 1. Mentitur Bellarminus: Ex pia enim consuetudine argumenta posse peti pro Scriptura, sed non contra Scripturam, huc usque omnes docuerunt Protestantes. Argumenta verò ista sunt secundaria non primaria, minus principalia, non principalia, assumpta, non insita. 2. Ludit termino *Traditionis*: Nam traditiones sunt vel veræ historiæ literis commissæ; vel obsoletæ, rancidæ, incertæ, superstitiosæ, & fabulosæ opiniones Scriptura destitutæ: Illas probamus; Has damnamus.

45. Pergit *Bellarminus*, possumumus nos, inquiens opponere consuetudinem consuetudini. Si enim quatuor, aut quinque concilia induxerint Imperatores; plura quàm 12. induxerint Pontifices.

46. Resp. 1. Distinguimus inter consuetudinem bonam & pravam: Papam multa indixisse concilia concedimus, sed ex pessima consuetudine, quæ Scripturæ est contraria. 2. Si nos sola consuetudine niteremur consuetudo consuetudini posset opponi. At nitimur in primis authoritate Scripturæ.

47. Denique nullum inquit generale concilium catholi-

cum à solo Imperatore est indictum, id est, non sine consensu, & authoritate Romani Pontificis.

47. Resp. Invertit *Bellarminus* statum controversiæ: Non enim affirmamus, quod Imperator solus sine consensu Magistratus inferioris, & status Ecclesiastici cogere debeat concilium; Sed penes solum Ministerium hoc jus esse negamus.

48. Iniquum enim foret negotia fidei, & conscientiæ, quæ omnes attinent, unius potestati simpliciter subjicere. Quin potius ita sua Cæsari sunt adscribenda, ut quæ sunt Dei, & Ministrorum Dei inviolata maneant, *Matth.* 22. Convocato igitur & celebratio conciliorum est commune totius corporis Ecclesiastici opus Et omnibus ordinibus competit munus & officium verum inquirendi.

49. Ne verò distinguenda confundere videamur, distinguimus inter jus, & potestatem mandandi, præcipiendi, & cogendi; atque inter jus, & facultatem in medium consulendi, bene monendi, hortandi, & rogandi: Illa competit Magistratui superiori, & inferiori, *Luc.* 22. Hæc Ministerio Ecclesiastico.

50. Quare suum jus, & suas partes quilibet habet ordo in legitimâ Synodo. De Magistratu civili in præcedentibus egimus ordini: Ecclesiastico in concilio suum suffragium non esse denegandum docet Scriptura, docent exempla. Nam 1. si difficile, & ambiguum judicium incidit, &c. veniant ad Sacerdotes, quærantque ab eis, qui judicabunt judicii veritatem, *Deu.* 17. 2. *Par.* 19. 2. Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem ex ore ejus requirere jubemur, quia est nuncius Domini Zebaoth, *Mal.* 2. 3. Spiritus Prophetarum debet Prophetis esse subjectus. 1. *Cor.* 14. *v.* 32. 4. Et officium Ministrorũ verbi est arguere, ἐπιστόμιζειν τῶν ὑγιαινόντων λόγων servare, hostibus veritatis os obstruere, *Tit.* 1. Idque maximè in conciliis. 5. Testantur idem exempla omnium conciliorum: Remittimus ad concilium Apostolicum *Act.* 15.

51. Ordinis plebeii præsentia requiritur etiam in conciliis 1. Sunt enim concilia senatus Ecclesiasticus. At senatum Ecclesiasticum non duo tantum, sed tres constituunt ordines. 2. Concilia referunt faciem totius Ecclesiæ. At Ecclesiæ membrum est ordo plebeius. 3. Non minus ordini plebeio, & civili quàm Ecclesiastico

stico injungitur spirituum probatio 1.*Ioh.*4.*v.*1. 1.*Thess.*5.*v.*21. Pseudoprophetarum aversatio, *Matth.*7.*v.*15. 4. Christus præcipit ut controversiæ obortæ, quæ inter paucas personas nequeunt componi, indicentur Ecclesiæ, *Matth.*18.*v.*17. At ordo civilis & Ecclesiasticus non sunt integra Ecclesia. Requiritur etiam omninò ordo plebeius. 5. Idque Apostolus Paulus 1. *Cor.*5. cum incestuoso vult observari. Illi enim congregati debebant dispicere Satanæ tradere, hoc est, excommunicare, quibus Epistolam inscripsit. At eam inscripsit etiam plebi. 6. Observatum idem est in primo concilio Apostolico: Nam quidam à Judeâ descenderunt & fratres docuerunt, salvari hos non posse, nisi circumciderentur Antiochiæ igitur seditio & contentio est orta, qua commoti. Antiochenæ Ecclesiæ Antistites miserunt Paulum & Barnabam cum aliis quibusdam Hierosolymam ad Presbyteros, & Apostolos. Ad videndum de sermone hoc convenerunt Apostoli & etiam Laici. Nam Lucas dicit, *Act.*15.*v.*22. Tunc visum est Apostolis, & Presbyteris, & toti Ecclesiæ *Et v.*23. Scribentes per manus eorum hæc: Apostoli & Presbyteri, & fratres. *Ruffinus lib.*1.*cap.*3. *Sozomenus lib. cap.*17. de simplici laico referunt, quod non tantum concilio Nicæno interfuerit, sed quod sophistam quendam ita constrinxerit ut non modò mutire non auderet, sed etiam victum se esse ultrò fateretur. Referimus rem istam ex dicto Ruffino: Quantam virtutem, inquit, habeat fidei simplicitas, etiam ex his, quæ ibi gesta feruntur agnoscimus. Etenim cùm pro studio religiosi Imperatoris, ex omni Sacerdotes Dei coissent, opinione commoti Philosophi quoq; & dialectici valde nobiles, & opinatissimi convenerunt. In quibus quidam insignis in arte Dialectica per dies singulos conflictus summi certaminis cũ episcopis nostris, viris adæque in Dialecticâ nõ improbabiliter eruditis, movebat: & fiebat ingẽs spectaculũ, convenientib. ad audiendũ doctis, & liberatis viris. Nec tamẽ ullo genere Philosophus concludi à quoquã poterat, aut cõstringi. Tãta n. dicendi arte objectis quæstionib. occurrebat, ut ubi maximè putaretur adstrictus, velut anguis lubricus elaberetur. Sed ut ostenderet Deus, quia non in sermone regnũ Dei, sed in virtute consistit, quidam ex cõfessoribus simplicissimæ naturæ vir, & nihil

aliud

aliud sciens, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum, inter cæteros auditores Episcopos aderat. Qui cum vidisset Philosophum insultantem nostris, & callida se disputationis arte jactantem, poscit ab hominibus locum, velle se paucis cum philosopho sermocinari. Tum verò nostri, qui simplicitatem viri, & imperitiam de sermone duntaxat nossent, pavere, & velut pudorem quendam pati, ne forte apud callidos homines risui efficeretur sancta simplicitas. Persistit tamen senior: Et hinc movit sermonis exordium: In nomine, inquit, Jesu Christi Philosophe audi, quæ vera sunt. Deus unns est, qui fecit cœlum, & terram, quique homini, quem de terræ limo formaverat, Spiritum dedit: Universa, quæ videntur, & quæ non videntur, virtute verbi sui creavit, & Spiritus sui sanctificatione firmavit. Hoc verbum, ac sapientia, quem nos Filium dicimus, humanos miseratus errores, ex virgine nascitur, & per passionem mortis à perpetua nos morte liberavit, ac resurrectione sua æternam nobis contulit vitam. Quem & expectamus Judicem omnium, quæ gerimus esse venturum. Credis hoc ita esse Philosophe? At ille velut si nunquam ullum sermonem contradicendi didicisset, ita obstupefactus virtute dictorum, mutus ad omnia, hoc solum potuit respondere, ita sibi videri, nec aliud verum esse, quàm quod dixerat. Tum senior: Si hæc, inquit, ita esse credis surge, & sequere me ad Dominicum, & hujus fidei signaculum suscipe. Et Philosophus conversus ad discipulos suos, vel ad eos, qui audiendi gratia convenerant: Audite, inquit, ô eruditi viri. Donec verbis mecum gesta res est, verba verbis opposui, & quæ dicebantur, dicendi arte subverti: Ubi verò pro verbis virtus processit ex ore dicentis, non potuerunt resistere verba virtuti, nec homo adversari potuit Deo. Et ideò quis vestrum potuit in his, quæ dicta sunt sentire, quæ sensi, credat Christo & sequatur hunc senem, in quo locutus est Deus. Ita Philosophus Christianus effectus tandem se gratulatus est victum. Hæc ille, quæ memorabilia.

52. Deinde his rectè adduntur causæ, quibus evincitur, in conciliis requiri Laicorum præsentiam: prima est virtutum, doctrinæ, & modestiæ Episcoporum commendatio. Secunda contentiosorum

tentiosorum, ingeniorum, rixarum cohibitio. Tertia innocentum Episcoporum defensio.

53. Quæstio secunda: *Utrum solis Prælatis: an verò etiam Laicis doctis, & exercitatis in Conciliis competat sententiam dicere?*

54. Resp. *Eckius in Enchiridio p.* 18. Laici inquit, possunt interesse Conciliis, ut testes, ut defensores, ut consiliarii, ut suggestores: Tamen à Christo nato nunquam habuerunt vocem definitivam in concilio *Bellarminus lib.* 1. *de Concil. c.* 15. Ecclesia universa quatuor, inquit, continetur hominum generibus: Sunt enim aliqui Clerici, aliqui Laici, & rursum ex clericis, alii prælati, alii non prælati. Idem ex Laicis alii Principes, alii privati. Multi igitur conciliis interesse possunt: Alii interfint ut Judices, qui dicuntur habere suffragium decisivum: Alii ut disputando examinent difficultates, qui dicuntur habere suffragium consultivum: Alii ut ministrent, quales sunt notarii custodes, & alii ut defendant consilium, & dent operam, ut intus & extra omnia sint pacata. At soli prælati majores, iique omnes, id est, Episcopi in conciliis generalibus, & provincialibus habent jus suffragii decisivi ordinariè: Ex privilegio autem, & consuetudine etiam Cardinales, Abbates, & Generales ordinũ, licet Episcopi non sint.

55. Contra Protestantes distinctionem non aliam agnoscunt membrorum Ecclesiæ, quam qualis proponitur *Gal.* 6. 1. *Corint.* 9. *Heb.* 13. Cœtum igitur Eccl'siasticum partiuntur in Doctores & auditores, seu discentes. Auditorum alii sunt personæ publicæ, ut Magistratus; Alii privatæ, ut subditi, & idiotæ, *Rom.* 13. 1. *Cor.* 14. *v.* 6. Doctores distinguuntur non potestate, & dominatione, sed ordine, & officiis: Nonnulli enim sunt superintendentes. Nonnulli Diaconi. Qui enim plura acceperunt à Domino talenta, plus etiã reliquis ministrent, *Mar.* 10. *Luc.* 22. *Matt.* 25. Divisionem officiorũ in conciliis itidem admittunt: Alii enim in Synodis sunt præsides, & directores, alii disputantes, alii testes, & auditores, alii executores. Sententia verò ipsorum hæc est: *In conciliis non tantum Prælatis, sed etiam doctis, & exercitatis competit sententiam dicere.*

46. Nam ubicunque agitur de rebus æternam salutem concernentibus, ibi quemlibet attendere suamque sententiam ex scripturâ exponere oportet 2. *Tim.* 1. *v.* 12. 1. *Pet.* 3. *v.* 15. 1. *Ioh.* 4. *Matt.* 7

Atqui in conciliis agitur de ejusmodi rebus. Ergo. Vel: Causa communis communibus votis & viribus est juvanda. At causa fidei, quæ tractatur in conciliis, est communis æque ad Laicos, atque ad Episcopos pertinens. Ergo & Laici in conciliis suo quoque voto causam fidei debent juvare.

57. 2. Quod concilium quatenus concilium repræsentat ex illo constat. Atqui concilium quatenus concilium universam Ecclesiam repræsentat. Ergo ex illa constat.

58. Eludere argumentum hoc conatur *Bellarminus lib.1.cap. 16.pag.40.* Episcopi, inquiens, repræsentant suas Ecclesias, perinde ut in conciliis Principes repræsentant subditos.

59. Resp.1. Papa Romanus ex opinione Pontificiorum est universalis Ecclesiæ Episcopus. Ergo si singuli Episcopi singulas repræsentant Ecclesias totam Ecclesiam repræsentabit Papa: Et per consequens ille solus poterit universalia celebrare concilia. 2. Maxima est differentia inter concilia, & Comitia. Nam in comitiis negotia tractantur civilia, & temporalia; In conciliis spiritualia. In comitiis ad decisivam sententiam approbandam habet Princeps potestatem cogendi; At nemo illam habet in conciliis, Et in comitiis licet nova condere statuta; At in conciliis non novos fidei articulos. A Comitiis igitur ad concilia non valet consequentia. 3. Imò quia in conciliis agitur de negotiis æternam salutem concernentibus, ideò quemlibet attendere oportet, quid credat.

60. 3. Idem colligitur ex primo Concilio in N. Testam. celebrato, *Act.15.v.6.* Convenerunt Apostoli, & Presbyteri, ut de hac re dispicerent. Et *v.22.* Tunc visum est Apostolis, & Presbyteris cum totâ Ecclesiâ. Inde hoc modo colligimus: *Quibus ita visum est, illi tulerunt sententiam decisivam. Atqui non tantum Apostolis, sed etiam Presbyteris cum totâ Ecclesiâ ita est visum. Ergo decisivam tulerunt sententiam non tantum Apostoli, sed etiam Presbyteri cum totâ Ecclesiâ.*

61. *At inquis*, plebem quidem interfuisse illi concilio, sed non vocatam. Nam *v.6.* convenisse dicuntur Apostoli & Presbyteri, sed nulla ibi fit mentio plebis.

62. Resp.1. Neque dicit Lucas, authores hujus excitatæ litis fuisse vocatos. 2. *Actor.6.v.2.* docetur, solitos fuisse Apostolos totam

totam multitudinem in causis communibus convocare. Dubium igitur est nullum, idem hoc tempore fuisse factum.

62. *Pergis*, tam Apostolos inquiens, quam seniores locutos fuisse, donec discutiebatur controversia, colligi ex verbis illis, *(& cum magna disquisitio fieret.)* Solos verò Apostolos definivisse, patere ex eo, quod soli, Petrus, Paulus, Barnabas, & Jacobus introducantur loquentes, & populus dicatur tacuisse.

63. Resp. 1. At hac ratione quatuor tantum Apostoli definivissent, & non simul reliqui. 2. Confunditur disputatio & disquisitio cum judicio & definitione: Referenda sunt verba illa ad disquisitionem, & non ad judicium: Cum enim Apostoli orationem suam absolvissent, tum demum definitum est, ut patet ex *v.* 22. 3. *v.* 13. dicitur, *tacuit omnis populus.* Ergo ante Petri orationem non tacuit, sed de controversiâ sermones contulit. 4. Aliquam decisivam fuisse populi sententiam patet ex *v.* 22. visum est Apostolis, & Presbyteris cum tota Ecclesiâ. Quæstio enim ad omnes fuit delata. Unde legimus *v.* 23. nomine Apostolorum, Presbyterorum, & fratrum literas fuisse missas.

64. Denique sæpe unius hominis etiam Laici sententia totius concilii sententiæ est præposita, quia Scriptutæ testimoniis sufficienter erat munita. Ergo etiam Laici ad concilia debent vocari, & in illis audiri. *Panormitanus in c. significasti de electione.*

65. Quæstio tertia: *Cujus sit generali concilio præsidere?*

66. Resp. *Bellarminus lib. 1. de concil. c. 19.* Catholici omnes, inquit, id munus proprium esse docent summi Pontificis, ut per se, vel per legatos Synodo præsideat, & tanquam supremus Judex omnia moderetur.

67. Protestantium verò sententia hæc est: *Imperator, si ipse adfuerit, in conciliis præsidē agit, vel alium suo loco substituit, vel toti consilio jus hoc committit, in ejusque arbitrio relinquit, ut liceat congregatis moderatorem, quem velint, & dignum judicarint eligere, Papa verò jus hoc sibi vendicare nequit.*

68. Argumentis sententia hæc iisdem confirmari potest, quibus supra ostensum est, Papam non esse controversiarum Judicem, in primis in istis, quæ sunt contraversa inter ipsū, & Lutheranos, quos vocant. Nam Papa Romanus est pars altera litigantium.

Ergo nequit esse supremus Concilii præses,& Judex.2. Papa Romanus ducitur alterius partis studio. Ergo nequit esse summus Concilii Moderator.3.Papa Romanus hanc potestatem habet neque ut Doctor, neque ut auditor. Ergo nullo modo. Non habet eam ut Doctor, & Rex universalis, atque ut universalis Ecclesiæ caput, quia talem non agnoscit scriptura, *Luc.22.v.26.*idque pluribus in antecedentibus evicimus.Non ut Doctor Particularis,quia Pastoris partibus non fungitur, cum nec doceat, nec Sacramenta administret. Neque ut auditor, quia Christum ejusque verbum non audit,sed se ipsi opponit, Sacramenta adulterat, & suas traditiones verbo Dei præfert.

69. 4. Quare primorum Conciliorum generalium Moderator,& supremus præses non fuit Papa, sed Imperator, qua de re legatur *Magdeburgensium Centuria 4.cap.7.p.536.*

70. Observandum verò est *præsidem conciliorum esse duplicem. Prior est, cuius officium est positum in potestate, & Maiestate præcipiendi, ac efficiendi virtute, atque imperandi authoritate.* Potestas hæc est duplex, altera est infinita, & absoluta, quæ soli competit Deo, *Psal.8. v.1.* Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deus judicat.*Matt.17.v.5.* Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacuit, ipsum audite. *Act.15.v.28.* Visum est Spiritui S. & nobis. Altera est finita,& ad verbum Dei astricta: Sic Imperator, vel cuicunque ille hanc potestatem commiserit imperiõ, & præcipiendi potestate præest Conciliis, *Posterior conciliorum præses est, cuius officiũ est in ordinis directione.* Directio & moderatio hæc conciliorum,& sententiarum in deliberationibus theologicis meritò committitur communi suffragio,alicui Episcopo,qui præ aliis eruditione,rerum usu,prudentia, authoritate, aliisque donis pollet & est præditus. Alius igitur est præses politicæ potestatis, & alius theologicæ authoritatis. Vel præses dicitur à politico regimine, vel à directione quantum attinet ad res theologicas, 2.*Par.19.v.11.* Amarias Sacerdos, & Pontifex vester in his quæ ad Deum pertinent, præsidebit.

FINIS DISPVT. IX.

DE PAPISMO

DISPVTATIO X.

Et quidem in specie

DE

CONCILIIS

POSTERIOR

In qua

Christo Duce & auspice Christo

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS GISENII,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS,
ET ORDINARII IN INCLY.
ta Academiâ Gissenâ Pro-
fessoris,

RESPONDEBIT

Johannes Rurupius Hervordiâ Westphalus.

In Auditorio Theologico ad diem 17. Decemb. horis ante-meridianis & pomeridianis.

GIESSÆ CATTORUM,
Ex officina libraria Caspari Chemlini.

cIↃ IↃ cXVII.

DISPUTATIO DECIMA

QVÆ EST

De Conciliis posterior.

THESIS I.

PEnes quem sit Potestas concilia convocandi, disquirendi, iisq; præsidendi, atq; simul quinam conciliis interesse debeant, ostendimus disputatione præcedente: Quæ verò conciliorum sit necessitas, eorumq; authoritas restat, ut indagemus.

2. Quæstio igitur sit prima: *An concilia quædam simpliciter sint necessaria?*

3. Resp. Disputat *Bellarminus lib. 1. de conciliis cap.* 10. Concilia quidem utilia, suoque modo necessaria, sed non simpliciter necessaria esse. Et quidem, inquit, de generalibus Conciliis ita statuo, ejusmodi Conciliorum convocationes utilissimas, & suo quodam modo necessarias, non tamen absolutè, & simpliciter necessarias esse. Ibidem: Nulla ex enumeratis causis generale cõcilium absolutè necessarium esse convincit; At paulò pòst sui quasi oblitus. nimirum *lib* 1. *c.* 11. disputat, quædam concilia simpliciter esse necessaria: Quamvis generalia, inquiens, Concilia non sint absolutè necessaria, tamen Concilia aliqua, sive generalia, sive particularia sint, omninò necessaria esse ad bonam Ecclesiæ gubernationem, vix in quæstionem revocari posse dubito. Contradictoria hæc est assertio, & falsa. Contradictoria est, quia pugnantes sunt propositiones, nulla concilia esse simpliciter necessaria, & quædam esse simpliciter necessaria.

4. Falsam eam esse ostensuri præsupponimus, cõcedi à nobis, cõcilia esse quidẽ utilia, ut in præcedẽte Disputatione est expositũ; Sed utilitatib. singulis quas urgẽt Pontificii non subscribimus, eò quod nonnullæ per se sint inhonestæ, adeò ut necessariũ non sit ut

propter eas congregetur concilium. Schisma obortum inter Romanos Pontifices de Romano pontificatu contendentes, deciden dum est ab iis, quibus competit jus vocandi Ecclesiæ ministros: Quod in unaquaque Ecclesiâ competit magistratui. Presbyterio, & populo. Ad hanc igitur rem decidendam, non requiruntur aliarum Ecclesiarum vota. Neque necessarium est, ut concilium cogatur, in quo dispiciatur de bello contra communem hostem suscipiendo, quia Episcopis non competit corporalis defensio Ecclesiæ, verbi & sacramentorum.

5. Concilia quædam simpliciter, & omninò esse necessaria, pernegamus. Nam 1. Verbum Dei est sufficiens ad docendũ, corripiendum, & ad hæreses tollendas, *Johan.15.v.12.cap.20.v.31. Act.20.v.20.2.Thess.2.v.8.2.Tim.3.v.15.16.* Unde omnem doctrinam ad legem, & testimonium tanquam ad lydium lapidem exigere jubemur. *Esa.8.* Et qui evangelizat præter id, quod ab Apostolis prædicatum est, anathema sit *Gal.1.v.8.* Ergo ad hæreses tollendas concilia nequeunt esse simpliciter necessaria.

6. 2. Si generalia concilia simpliciter sunt necessaria adeò ut sine his nihil de veritate doctrinæ, & emendatione disciplinæ morumque statui debeat, sequitur nos annos jam multos certitudine caruisse in doctrinâ, & in disciplinâ eamque deinceps non habituros. Atqui consequens est absurdum, & impium. Ergo. Consequentię ratio est manifesta. Generalia enim concilia convocare debet mundanus Princeps, seu Monarha qui potest omnes cogere. At Monarcha, qui gubernet orientem simul & occidentẽ destituimur, & expectandus ille deinceps non est.

7. 3. Scriptura sacra est lucidissima, lucet in tenebris, est lucerna pedibus nostris, illuminat oculos nostros, *Psal.119.v. 105:130.2.Pet.1.v.19.* Est perfecta, & omnibus numeris absoluta; perficit hominẽ, & ad omne opus bonũ, perfectè instruit, *Ps.19.v.8. 1.Joh.2.v.5.2.Tim.3.v.16.17.* Ergo ad hæreses refutantas est sufficientissima. Ergo concilia ad eas obortas refutandas non sunt simpliciter necessaria.

8. 4. Generalia concilia nusquam in scripturâ sunt mandata, & urgens ratio dari nequit, cur simpliciter sint necessaria. Ergo efficitur, non esse ea omninò necessaria.

9. 5.

9. 5. Idem docet praxis Christi, Apostolorum, & piorum Patrum in primitivâ Ecclesiâ. Nam plurimæ hæreses absque generalis concilii congregatione sunt damnatæ: Simonem Magum, qui fuit hæreticorum in N. Testamento Pater, Apostolus Petrus absque ullius concilii congregatione solo verbo Dei refutavit, teste *Eusebio lib.2.cap.12.& seqq.* Absque Synodi congregatione solidissimè repressi sunt solo verbo Dei Hymenæus,& Alexander,2.*Tim.*1.*v.*20.Philetus,2.*Tim.*2.*v.*17.Nicolaitæ, *Apoc.*2.Phygellus, & Hermogenes, 2 *Tim.*1.*v.*15.Et plurimi hæretici alii,1.*Cor.*11. *v.*9.Hieronymus dicit; Ubi & quam primùm scorpius apparuerit, ibi illicò conterendus est.

10. 6. Viri docti, & prudentes in conciliis congregati aut suâ propriâ authoritate, aut ex scripturâ controvetsias decidunt. At niti non debent suâ authoritate,eaque freti controversias decidere.quia Articuli fidei non nituntur authoritate humanâ. Ergo decidere debent ex scripturâ. Quare subsumimus hoc modo: Ex quo controversia deciditur in concilio, ex eodem decidi potest extra concilium. Atqui in concilio deciditur, & decidenda est ex scriptura. Ergo eadem decidi potest ex scriptura extra concilium: Et per consequens licet concilia ad decidendas controversias sint utilia,non tamen simpliciter sunt necessaria.

11. *Non est, quod multitudinem in Synodo congregatam considerandũ exhibes.*Nam 1.Quemadmodũ multitudo errantiũ non parit errori patrocinium: ita veritas paucitate testium non amittit robur testimonii. 2. Christus *Matt.* 18. promittit, ubi duo vel tres fuerint congregati in nomine suo, ibi se in medio adfuturum. Non tantum igitur in magnis adest cœtibus, sed etiam in duorum congressu. 3. Idque unius Paphnutii testimonium ostendit evidentissimè, qui 318. suffragia uno scripturæ testimonio cohibuit,*Sozomenus lib.*1.*cap.*22.

12. Confirmat verò præconceptam suam opinionem *Bellarminus lib.*1.*de conciliis cap.*11.hoc unico argumento:Necesse est,ut veniant scandala*Matt.*18.Et oportet hæreses esse, 1.*Cor.*11.Ergo necesse est etiam, ut in Ecclesia sit certum aliquod judicium,quo & scandala tolli, & hæreses damnari possint, alioqui brevi tempore Ecclesia universa in partes scinderetur, & periret. Nam omne re-

gnum in se divisum desolabitur, *Mat.*12. Ordinarium verò ac necessarium medium hæresium tollendarum, & damnandarum est cõcilium, sive magnum, sive parvum: Patet id 1. *ex divinâ promissione, Matt.*18. Ubi fuerint duo vel tres congregati, &c. 2. *ex facto Apostolorum*: Hi enim cum possent singuli definire controversias, tamen ne viderentur negligere medium ordinarium, & à Christo ipso monstratum non sine concilio controversiam de legalibus Antiochiæ ex ortam definire voluerunt, *Act.*15. 3. *Ex consuetudine totius Ecclesiæ*: Semper enim fuit in Ecclesiâ ista consuetudo ut ad res dubias explicandas concilia Episcoporum haberentur.

13. Resp. 1. Repetimus, quod ante diximus Bellarminum secum pugnare, 2. Necesse quidem est, scandala & hæreses esse, verum non necessitate simplici, absolutâ, & consequentis, sed necessitate hypothetica, conditionatâ, & consequentiæ, nimirum ob Diaboli & hominum malitiam. 3. Ordinarium medium hæresium damnandarum, simpliciter necessarium non esse concilium sed scripturam sacram. ostendimus th. 10. Et Christus ad amputanda scandala non remittit ad concilia, sed unicuique dicit seorsim si pes tuus scandalizate abscinde te illum, &c. *Mat.*18. Hoc verò fieri potest extra Synodum per verbum & preces Ephes. 6. Apostolus Paulus, cum dixisset, oporet esse hæreses non remittit ad canones Synodorum, sed ad Dei verbum & ad sacræ cænæ institutionem. Ad probationem verò Bellarmini primam respondemus, non negari à nobis, veris conciliis Sp. S. adesse sed propterea non sequitur esse ea simpliciter necessaria, imò contrarium potius ex assistentia illa evincitur: Nam eo ipso dum promittit Christus, se duobus, vel tribus, in nomine suo congregatis adfuturum, docet, se absque numerosâ copiâ per paucorum hominum industriam veritatem verbi sui propagaturum.

14. In secundâ probatione committitur fallacia causæ finalis: Convenerunt Apostoli *Act.*15. non quasi de quæstione illâ dubii essent, & ut certi quid definirent atque quasi non ante seorsim illam decidissent: Nam jam ante docuerant, observationem Legis ad salutem non esse necessariam ut Paulus *Gal* 1. & 2. imò ex hoc eodem capite *Act.*15. patet Paulum, & Barnabam Pseudo Apostolis viriliter restitisse. Et Petrus *Act.*10. remissionem peccatorum,

rorum, & spem vitæ æternæ annunciat, nulla facta circumcisionis & Mosaicarum cæremoniarum mentione; Sed 1. quia Deus mandaverat: Unde Paulus, se non proprio, inquit, motu, sed divino instinctu Hierosolymam ascendisse. 2. Ut constaret de consensu Pauli & Barnabæ. 3. Ut de commoditate Ecclesiæ, ejusque salute dispicerent, seditionem præcaverent, Pseudoapostolos refutarent.

14. Tertiam probationem falsitatis arguit historica relatio: Nam trecentis annis ante concilium Nicænum Ecclesia hæreses & schismata sine Synodi congregatione sustulit. Et universale concilium deinceps vix sperandum est. *Author Oneris Ecclesiæ cap. 19. sect. 16.* Heu cum formidine, inquit, conjicio, nostrum seculum non esse dignum congregatione legitimi concilii: in quo vitiis reprehensis, & virtutibus promotis, Ecclesia reformetur: adeò eorum illudimur operationibus. Concilia profectò debita rarò, & segniter celebrantur, vel Romæ, seu alibi coram potentibus tractantur, ubi humilibus, & fidelibus non libera est expressio, ut in eis lentè corrigantur ea, quæ divinum cultum, & Christianam religionem, reformationemque concernunt.

15. Quæstio secunda: *An concilia cum particularia, tum universalia, sive à Papa congregata, & confirmata fuerint, sive nõ, possint errare?*

16. Resp. *Eckius in Enchir. de concil. prop. 2. p. 15.* Fatemur eos, inquit, qui in concilio conveniunt esse homines. At in cõcilio generali legitimo reguntur ductore S. S. qui eos falli non sinit. *Melchior Canus lib. 5. c. 4. L. com.* propositionibus quibusdam opinionem suã includit. *Prima*: Concilium generale, quod nec congregatum, nec confirmatũ est authoritate Rom. Pontif. potest in fide errare. *Secunda*: Concilium generale etiam à Rom. Pontif. congregatum, errare potest, nisi abeo confirmatum fuerit. *Tertia*: Concilium generale à Rom. Pontifice congregatũ, simul & confirmatum, certã fidem facit dogmatum catholicorum & contrariũ tenere hęreticũ est. His subjicit, Provincialia igitur concilia ea, quæ à Papâ nõ confirmantur, posse errare; quæ verò à Papa confirmantur, non posse. *Bellarm.* rem eandem duabus propositionibus proponit: *Priorem* habet *lib. 2. de concil. c. 2.* Fide Catholica tenendũ est, cõcilia generalia à summo Pontif. confirmata, errare non posse, nec in fide, nec

in mo-

in moribus, id est, in tradendis morum præceptis toti Ecclesiæ communibus. *Posteriorem lib. 2. de conciliis cap. 5.* Concilia particularia à Summo Pontifice confirmata in fide, & moribus errare non possunt.

17. *Protestantes contrà docent, & profitentur, Concilia & universalia, & particularia errare posse tam in fide, quàm in moribus, etiam à Papâ approbata. Non igitur sine prævio examine sunt admittenda.*

18. Propositionem hanc confirmamus, 1. ex testimoniis Scripturæ V. Testamenti huc applicandis, quibus asseritur, *Ordinarios* quoslibet verbi *Ministros*, tum singulos seorsim acceptos, tum *omnes* simul in unum congregatos, sæpius in doctrinâ fidei, & vitæ graviter errare *Esa 65. v. 10.* Speculatores ejus cœci omnes neque quicquam noverunt, omnes canes muti, nec valent latrare jacentes dormiunt, & amant dormitionem, & pastores ipsi nihil sciunt, nec intelligunt, & in universum respiciunt ad vias suas. *Jer. 6. v. 13.* A Propheta ad Sacerdotem quisque sectatur mendacium. *cap. 14. v. 14.* Prophetæ mendacium prophetant in nomine meo. *Osea 9. v. 8.* Speculator Ephraim cum Deo, laqueus aucupis, odium in domo Dei. *Ezech. 22. v. 25.* Conjuratio Prophetarum in medio ejus, sicut Leo rugiens, & qui rapit prædam; Sacerdotes ejus violarunt legem meam. Ex his ita colligimus: *Pastores Ecclesiæ illius aliquando fuerunt perditi, & non modò cœcutierunt, verùm etiam gravissimè errarunt, & in erroribus fuerunt constituti. Ergo veritas non semper in concilio Pastorum reperitur.* vel ita: *Omnes Prophetæ, & Sacerdotes in populo Dei graviter errarunt, & quandoq; mendacia docuerunt. Ergo Episcopis & Pastoribus in N. Testamento etiam idem accidere potest.*

19. *Excipit Bellarminus*, sensum urgens synecdochicum, frequenter accidit, inquit, *pag. 75. lib. 2. c. 6.* ut propter aliquos malos reprehendantur omnes, & vicissim propter aliquos bonos, laudentur omnes, quò videlicet vehementior sit tum vituperatio, tùm commendatio.

20. Resp. 1. Deus propter hanc impietatem non quosdam tantum Sacerdotes, sed universum Ministerium corruptum in captivitatem Babylonicam abducendum permisit. Totum igitur fuit corruptum. 2. Ut evidentissimè id ostentat Jeremias, distributione utitur *cap. 6.* A Propheta inquiens usque ad Sacerdotem quis-

quisque sectatur mendacium. Nam regula est. *Auctiora videntur, quæ per distributionem in partes explicantur, quàm quæ totius appellatione designantur.* 3. Posito quosdam superfuisse Sacerdotes bonos, constat tamen multitudinem pravam longè superasse numerum bonorum. At multitudo votorum in concilio concludit, juxta illud: *vota numerantur, non ponderantur.* In omnibus igitur conciliis vinci nequit veritas.

21. *Pergit Bellarminus*, nihil horum, inquiens, dicitur in concilium Sacerdotum, sed in Pastores, & Prophetas, qui separatim populum decipiebant. Ergo testimonia illa ad rem non faciunt: Alia enim est ratio Pastorum in concilio congregatorum, & alia dispersorum.

22. Resp. 1. A quibus separatis recessit Spiritus S. illis non cohabitat conjunctis. Congregatio eos non reddit meliores nec causa est collationis Spiritus S. Num animum mutant, qui ad concilia eunt? Quales fuerunt domi tales etiam sunt in conciliis. 2. Unde Dominus per *Esaiam cap.* 7. integra sacrificulorum collegia damnat, vos venistis, inquiens, & stetistis coram me in domo hac, in quâ invocatum est nomen meum. *Jer.* 4. *v.* 9. obstupescent Sacerdotes, & Prophetæ terrebuntur. *Ezech.* 7. *v.* 26. Lex peribit à Sacerdote & consilium à Senibus, *Mich.* 3. *v.* 6. Nox vobis pro visione erit, & tenebræ pro divinatione, & occumbet Sol super Prophetas, & obtenebrabitur super eos dies. 3. Sacerdotes, Pastores & Prophetæ non modò populum decipiunt separatim, sed etiam in suis conciliabulis conjunctim. Comparat igitur Propheta *Oseas cap.* 6. *v.* 10. congregationem malorum Sacerdotum latronibus, qui viarum angustias obsident. 4. Arguunt idem exempla: Nam totum cõcilium Baaliticorum sacrificulorum idololatriam in publicâ congregatione exercentium interfecit Elias 1. *Reg.* 8. Universa societas pseudophetarum Achabi mendacium in nomine Domini prophetabant, & prophetam Michæam ludibrio habebant, 1. *Reg.* 22.

23. *Deniq; instat Bellarminus pag.* 75. Etiamsi nihil horum, inquiens, haberemus, tamen non continuò liceret omnia, quæ dicuntur in Scripturis adversus Prophetas, & Sacerdotes T. Veteris, illa omnia transferre ad Sacerdotes T. Novi, præsertim in cõcilio

congregatos: Certiores enim & majores promissiones Dei habet Ecclesia quàm Synagoga. Nec enim de Synagoga usquam legimus, quod de Ecclesiâ Christus dicit, *Matt.16.* Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

24. Resp. 1. Confundit Bellarminus Ecclesiam hodiernam Romanam cum Ecclesiâ N. Testamenti quasi hæc non esset alia, quam Ecclesia illa Romana, seu Antichristiana: 2. Quæritur vel de beneficiorum Christi promissione, vel de eorum exhibitione: Respectu exhibitionis longè præstantiora sunt N. Testamenti beneficia, quam Veteris; Sed non respectu promissionis 3. Quæritur hoc loco, non de exhibitione beneficiorũ Christi in N. Testamento facta, sed de conservatione Ecclesiæ in veritate, de quâ plures promissiones esse factas Ecclesiæ V. Testamenti, quam Novi, constanter affirmamus: Nam Jehova dicit Abrahamo *Gen.17.* Ero Deus tuus, & Deus seminis tui post te. Ecclesia igitur Israelitica ornatur insignibus præ aliis nominibus, nominatur peculium Dei, regnum Sacerdotale, gens Dei sancta, *Exod.19.* Primogenitus Dei filius *Exo.4.* Non fecit Deus taliter ulli nationi, *Psa.147.* Singulari igitur præsentiâ, & inhabitatione Deus huic populo se ad futurum promisit, illum ut pupillam oculi sui custodivit *Deut.32.* Elegit in possessionem suam *Psal.134.* 4. Et si quis nihilominus in N. Testamento splendidores esse promissiones contentat; inferemus, ob contemptum gratiæ divinæ graviores etiam esse pœnas. 5. Quas nectit *Bellarminus* ex allegatis dictis consequentias, eas partim examinavimus in antecedentibus, partim suis in locis examinabimus.

25. 2. *Confirmamus eandem propositionem testimoniis N. Testamenti*, ut 2. *Pet.2.v* 1. Quemadmodũ fuerunt in populo veteri Pseudoprophetæ: Sic & inter vos erunt falsi doctores sectas perditionis insinuantes, *Act.20.v.29.* Scio, quod post discessum meũ intrabunt in vos lupi rapaces loquẽtes perversa, ut abducant discipulos post se. *Matt.24.v.11.24.* Multi Pseudoprophetæ surgent, & seducent multos. Ex his ita inferimus: Si errarunt sæpe concilia V. Testamenti errabunt non minus concilia N. Testamenti, quia quemadmodum in populo veteri fuerunt Pseudoprophetæ, sic & in novo. Atqui sæpe errarunt, ut præcedenti argumento est ostensum. Ergo.

26.

26. Effugium Bellarmini hoc est pag. 76. Tantum abest, ut de conciliis Episcoporum intelligi debeant loca illa, ut potius eâ de causâ ordinaria concilia fiant, ut falsi Prophetæ detegantur, & confutentur.

27. Resp. 1. Quamvis explicita non iniiciatur mentio conciliorum, tamen cum hæsint generales admonitiones, docentque nullis veritatem esse alligatam, ac proinde quod cavere nobis debeamus. Ergo rectè etiam ad concilia applicantur, quia à genere ad speciem rectè argumentamur, & sæpe concilia ex meris lupis rapacibus sunt collecta. 2. Verum quidem est, legitimas Synodos convocari ad falsos doctores refutandos; At conciliabula Pontificiorum legitimas esse Synodos negamus 1. ob authorem convocantem 2. ob præsidem. 3. Et denique ob materiâ, quæ in istis tractatur.

28. 3. *Ab exemplorum inductione:* Multa concilia de facto errarunt. Ergo concilia errare possunt. Antecedentis veritas ex apertis patet exemplis: Nam cõcilium quadringentorum Pseudoapostolorum, etiam in unum coactum erravit, qui hortati sunt Achabum, & Josaphatum, ut contra Ramoth, & Giliead in bellum proficiscerentur, & bellum hoc prosperè ipsis successurum sunt pollitici, 1. *Reg.* 22. Quoddam igitur Concilium erravit. Deinde summus Pontifex cum totâ Synagogâ Hierosolymitana codicem amisit sacrum, & illo ad tempus satis longum caruit, 2. *Reg.* 22. Hos igitur etiam in publicis conventibus in gravissimis erroribus versatos esse dubium est nullum. Tertio, Urias summus sacerdos altare Domini removit, & Ethnicum ad nutum Regis substituit, 2. *Reg.* 16. Annon igiturerravit? Annon etiam in conciliis errare potuit? Quartò concilium Judæorum præside Caipha erravit excommunicando eos, qui Jesum esse Messiam profitebantur, *Joh.* 9. *v.* 27. Christumque blasphemiæ accusando, & mortis reum judicando, *Joh.* 11 *v.* 53. *Mar.* 14. *v.* 64. Atqui hoc concilium fuit legitimum, quia aderat summus Pontifex cum reliquis sacerdotibus. Ergo

29. Considerationedigna non sunt, quæ contra opponit Bellarminus, ut 1. Prophetas illos non fuisse veros Domini Prophetas. 2. Concilia non Prophetarum, sed Sacerdotum esse de-

bere. 3. Non à Rege, sed à Sacerdote cogenda fuisse. 4. Pontifices, & concilia Judæorum non potuisse quidem errare, antequã Christus veniret, sed eo præsente potuisse, imò fuisse prædictum erraturos Judæos, & Christum negaturos. Nam 1. Quadringenti Prophetæ Achabi jactitabant, non minus ac Pontifices Romani, se habere Spiritum S. Sedezias filius Chanana reprehensus à Michæâ, mene, inquit, dimisit Spiritus Domini, & locutus est tibi. 2. Falsum est, solos Sacerdotes conciliis interesse debere, & non Prophetas. Nam Moses, David, & Elias Prophetæ fuerunt, & nihilominus Conciliis interfuerunt. 3. Convocanda esse Concilia à Magistratu civili in præcedente Disputatione evicimus. Michæas certè non à summo Sacerdote, sed à Rege Achabo per Eunuchum ad Concilium vocatus erat, & tamen verum dicit. 4. Num præsentia Christi erroris causa est in Pontifice? Annon Pontifices errarunt ante adventum Christi, ut Aaron, Heli & alii?

30. 4. *Ab inductione eorum conciliorum*, quæ ipsi Pontificii alius approbare consueverunt, in quibus tamen multa reperiuntur, quæ iidem rejiciunt, ut sunt concilia, in quibus disputatum est de conjugio Sacerdotum, deque aliis id genus compluribus.

31. 5. A legitimis consequentiis: Nam si concilia à Spiritu S. ita gubernantur, ut errare nequeant, erunt Canonicis scriptis eorum decreta paria. At consequens est absurdum. Ergo. Deinde ubi vota non ponderantur, sed numerantur, ibi facile committi potest error, ob multiplicem, scilicet, hominum ignorantiam, ambitionem, invidiam, & consimiles animorum morbos, quibus ordinarii Ecclesiæ pastores, non minus, quàm alii vulgares Christiani nimiùm laborant. In Conciliis verò Pontificiorum vota non ponderantur. Ergo. Denique Concilium potest constare ex Episcopis hæreticis, & schismaticis. Ergo in decernendo facilè committi potest error.

32. 6. Scribit igitur *Augustinus contra Maximinum Arianorum Episcopum lib. 3. cap. 14.* Nec ego Nicenum, nec tu debes Ariminense, tanquam præjudicaturus, proferre concilium, nec ego hujus authoritate, nec tu illius detineris.

33. *Opinionem verò suam defensurus Bellarminus profert quadam Scripturæ testimonia malè applicata*, quæ ad quatuor classes reduci possunt:

possunt: In primâ sunt testimonia propria; In secũda illa, quæ probant Ecclesiam non posse errare; In tertiâ ea, quæ probant Papam non posse errare; In quartâ illa, quæ probant Episcopos, & Doctores Ecclesiæ non posse errare. Testimonia propria sunt tria. *Primum est Matth.* 18. Ubi duo vel tres sunt congregati in nomine meo, illic sum in medio. Quorum verborum hic est sensus: si duo, vel tres congregati in nomine meo, obtinent semper, quod petunt à Deo, nimirum sapientiam, & lumen, quod sufficit eis ad cognoscenda, quæ ipsis necessaria sunt, quantò magis Episcopi, omnes congregati in nomine meo, semper obtinent, quod justè petunt, id est, sapientiam, & lumen ad judicanda ea, quæ ad totam Ecclesiam dirigendam pertinent.

34. Resp. Argumenta illa Bellarmini examinavimus partim in Disputat. de Pontifice Romano, partim in Disputat. præcedente, partim examinanda erunt in Disput. de Ecclesia. Hoc igitur loco quædam tantum attingemus. 1. Quare *in nomine Christi convenire* duo notat: *Prius* congregatorum fideliratem, & in religione, quam non aliunde, quàm ex Scriprurâ sacra didicerunt, sinceritatem. *Hilarius in commentariis super hunc locum*: Ubi duo, atque tres, inquit, pari Spiritu, ac voluntate collecti sunt, ibi se medium illorum pollicetur futurum. Ipse enim, qui pax, atque charitas est, sedem atque habitationem in bonis, & pacificis voluntatibus collocavit, Et *Cyprianus in lib. de unit. Eccl.* Quomodo, inquit, duo aut tres possunt in nomine Christi colligi, quos constat à Christo & ejus Evangelio separari. *Posterius*, ut propter Christum conveniant, hoc est, ut nihil nisi Dei gloriam quærant, eamque ex solâ scripturâ inquirant. Verè dicit *Augustinus*: Non fit in nomine salvatoris, quod fit contra rationem salutis. Neutro modo congregantur papistica conciliabula: Nam in ipsorum conciliis dominatur potius cæca superstitio, & idololatria, quàm vera religio: Et ipsi potius conveniunt ad regnum suum stabiliendum quàm ad gloriam Christi propagandam.

35. 2. *In medio esse*, notat Christi præsentiam. Si verò ab errore illi sunt immunes, quibus Christus est præsens, certè non errarunt discipuli Christi opinionem de mundano regno alentes: Nam his Christus etiam visibiliter erat præsentissimus. Nec erra-

bunt singuli pii, quibus præsentiam suam Christus promisit. ἄπαξ hoc. 3 Præsentiam suam Christus hoc loco promittit omnibus Christianis, & fidelibus. Ergo Pontificii absurdè eam ad solos Episcopos, & Prælatos in Conciliis congregatos restringunt. 4. Locus ipse agit de quorumvis duorum aut trium fidelium congregatione. Quid causæ igitur est, quod Pontificii ex eo non colligãt, nulla concilia posse errare; Sed distinctionem faciant inter concilia à Pontifice summo approbata, & non approbata? 5. Quicquid ex istis verbis colligitur pro authotitate, & ab erroris i nmunitate generalis concilii; idem omne afferri potest pro authoritate duorum, aut trium. 6. Denique scopum Apostoli urgemus, qui est de conveniendo ad petenda ea à Deo, quæ nobis sunt necessaria. Duo enim vel tres congregati in nomine Christi, & necessaria à Deo petentes, ea impetrabunt.

36. *Secundum testimonium, ex quo argumentatur Bellarmin. legitur Joh.* 16. Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem. Ne putemus hoc dici solis Apostolis, & non etiam successoribus, v. 14. apertè Dominus testatur Spiritum S. mansurum cum Apostolis in æternum, id est, cum eis, & cum successoribus perpetuò. At Episcopos seorsim existentes non docet Spiritus S. omnem veritatem: Ergo saltem Episcopos omnes in unum congregatos docebit omnem veritatem: Et cum non sit major in Ecclesiâ, quàm summi Pontificis cathedra, de hac promissio hæc nempe, quod falli non possit, est intelligenda.

37. Resp. 1. Ad Apostolos præcipuè promissio hæc pertinet, qui plura à Spiritu S. sunt edocti, quàm ulli alii Christiani, idq; ex sequentibus his colligitur verbis: Et ea, quæ ventura sunt, declarabit vobis. 2. In fonte ipso non legitur διδάξει, docebit vos omnem veritatem, sed ὁδηγήσει deducet vos in omnem veritatem, Spiritus S. enim non novam traditurus erat doctrinam, ante, patefactoverbo non revelatam; Sed in ejus cognitionem deducturus; At Pontificii traditiones suas pro oraculis Spiritus S. & verbo Dei nõ scripto habent, eas in conciliis approbari, & pari pietatis affectu cum Scripturâ sacrâ observari volunt. Commentũ hoc improbat Christus eodem in loco *v.* 13. Sp. S. non loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur. Et *v.* 14. Ille me clarificabit, quia de meo acci-

accipiet, & annunciabit vobis. 3. Promissio illa est facta non soli Petro, sed omnibus Apostolis, & quidem non tantum congregatis, sed etiam separatis. Nam Sp.S. separatos etiam duxit in omnem veritatem. Et quæ docuerunt ipsi seorsim ab invicem, vera sunt omnia. 4. Quare si promissio illa simpliciter fuerit intelligenda, sequetur, nullos Ecclesiæ Doctores, qui sunt veri Apostolorum successores, posse errare: Quicquid enim Petri successores, ex hoc loco, idem omnes omnium Apostolorum successores vendicare possunt. 5. Descriptio eorum, quibus gratiam Spiritus sanctus communicare vult, ab ipso CHRISTO *Johan.* 14. tradita, ostendit non absolutè promissionem illam esse intelligendam. Nam postulat ab eis primò veram dilectionem, quæ absque salvificâ fide est nulla. Secundò, flagitat præceptorum suorum observationem. Tertiò, vetam in suo nomine invocationem verâ agnitione, & fiduciâ in patrem cœlestem nitentem: Hæc qui negligunt, & iis, qui destituuntur, in omnem veritatem à Spiritu S. non deducuntur 5. Dona Spiritus S. non sunt promissa successionis loco, sedi & cathedræ neque soli Petro, ejusque successoribus; Sed omnibus crediturís, & sincerè ipsum diligentibus: Christus in precatione suâ ad æternum Patrem dicit: Non pro his solum modò oro, sed pro omnibus, qui crediturí sunt in me per sermonem illorum, *Joh.* 17. *v.* 20. *Ibidem v.* 17. de collatione Spiritus S, dicit Sanctifica eos in veritate tuâ, sermo tuus est veritas. Confertur igitur Sp.S. non per successionem loci; sed per meditationem verbi.

38. *Tertius, quem urget Bellarminus locum, legitur Act.* 15. *v.* 28. Ubi primum, inquit, concilium confidenter ait: Visum est Spiritui S. & nobis. Si autem illud consilium, ex quo formam acceperunt omnia alia concilia, asserit decreta sua, esse decreta Spiritus S. certè idem asserere possunt cœtera legitima concilia, quæ universæ Ecclesiæ regulas credendi, & operandi præscribunt. Deinde dicit Bellarminus: Si illi concilio adfuit Spiritus S. quia id necesse erat propter Ecclesiæ conservationem: non minus aliis temporibus, novis hæreticis exorientibus id necessarium fuit, atq; etiam erit.

39. Resp. 1. A singulari illo concilio singularibus privilegiis donato, cui ipsi interfuerunt Apostoli ad conciliabula pontificia non valet consequentia 2. Apostoli in suo concilio non

nova

nova cudunt dogmata, sed prophetica defendunt; At Pontificii in suis conciliis nova tradunt dogmata, novas traditiones humanas.

3. Legitima concilia, quæ ad scripturam sacram sunt alligata, dicere possunt, decreta sua esse decreta Spiritus S. At illegitima sunt concilia Pontificia, quæ nituntur traditionibus humanis: Nã si quis ἑτεροδιδασκαλεῖ, hoc est, alienam doctrinam tradit, & non attendit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, & doctrinæ, quæ est secundum pietatem, hic excæcatus est nihil sciens. 3. Hæreses necessario quidem refutandæ sunt, sed medium ad has refutandas necessarium non esse concilia sed scripturam sacram in præcedente ostendimus quæstione: Non enim Ecclesia super concilia, sed super Christum, & doctrinam Propheticam & Apostolicam est ædificata, *Matt.*16.1.*Cor.*3.*Eph.*2.

40. Quæstio tertia: *Vtrum ex scriptura de conciliis: An verò è conciliis de scripturâ statui debeat?*

41. Resp. Consideravimus concilii authoritatem respectu sui ipsius: videndum igitur est de conciliorum authoritate respectu scripturæ sacræ. Veteres Pontificii eandem authoritatem tribuere conciliis, quam scripturæ non sunt veriti. *Dist.*15.*cap.*2.*in Jur.Can.dicit Gregorius*: Sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere, & venerari me fateor. *Dist.*19 *c.*6. Inter Canonicas Scripturas Decretales Epistolæ connumerantur *Dist.*20 Decretales Epistolæ Canonibus conciliorum parí jure exæquantur. Recentiores verò Pontificii, ut Bellarminus lib.2. de conciliis & alii, aliquot discriminibus adductis impietatem istam tegere allaborant? & elidere videntur. Sed reverâ etiam hi Scripturam hominum opinionibus audacius, quam isti, subjiciunt: Siquidem dicti alicujus interpretationem non ex Scripturâ, sed ex Conciliorum decretis esse petendam statuunt.

42. Cum hisce igitur de tribus est disputandum. *Primò*: Utrum scriptura, in his, quæ ad salutem sunt necessaria, sit perspicua, clara, & manifesta; An Verò obscura, *Secundò*, Utrum obscurioris alicujus dicti interpretatio sit petenda ex ipsâ scripturâ & ex collatione testimoniorum Scripturæ; An verò ex conciliis & Patribus?. *Tertiò* An interpretatio quam exhibet Scriptura sit certior,

quam

quam ea, quam suppeditant concilia, & Patres; Cum verò de his quæstionibus egerimus in Disputat. de scrip. ideò superfluum est easdem hoc loco pertractare.

43. Repetimus vero inde pauca. 1. Scripturæ interpretatio non est inferenda, 2.*Pet.*1.*v.*20. Ergo ex scriptura,& non simpliciter ex conciliis est petenda. 2. Apostolus *Rom.*12.*v.*6. Interpretationem vult institui secundum conformitatem fidei. Atqui fidei fundamentum est sola Scriptura,1.*Cor.*3.*Eph.*2. Interpretatio igitur Scripturæ examinatur secundum scripturam & non simpliciter secundum conciliorum decreta. 3. Apostolus igitur Paulus *Gal.*1. exhibet Canonem Evangelicum, secundum quem examinari debeat Pseudoapostolorum doctrina. Et *Gal.*6. Quicunque, inquit,hunc canonem secuti fuerint,pax super illos. 4. Josua, Samuel, & reliqui sancti Mosen ex ipso Mose exponebant. 5. Christus in Disputatione cum Satana *Matt.*4.cum Pharisæis, *Matt.*5.23. *Joh.*8.10. cum Sadducæis *Mat.*22. Scripturarum genuinam sententiam ex Scriptura depromit. 6.Idem observarunt Apostoli in concilio Hierosolymitano, *Act.*15. 7. Idem etiam observatum est in quatuor Oecumenicis conciliis; *Constantinus ita alloquitur Patres apud Theodoret.lib.*1.*c.*7. Evangelici,& Apostolici libri,& veterum Prophetarum oracula *perspicue* nos erudiunt,quæ oporteat nos de Deo sentire;abjectâ igitur contentione dissidiorum, ac bellorum effectrice *è verbis divinitus inspiratis* solutionem eorum, quæ quæruntur,accipiamus.Quare è scripturâ de conciliis, & non è conciliis de scripturâ statui debet.

44. Quæstio quartâ *Vtrum Papa supra: An verò infra sit concilium?*

45. Resp.De propositâ illa quæstione in Ecclesiâ disputari cœptum est, cum in Ecclesiâ Antichristus palàm dominari cœpisset: In quibusdam Conciliis decretnm est, Concilium esse supra Papam; *At in Lateranensi concilio Canon.* 11. definitum est, Papam esse supra concilium. Hinc de eadem quæstione teste *Bellarmin.lib.*2.*c.*13. inter ipsos disputatur Pontificios. *Canus lib.*5.*cap.*5. Pondus,inquit, concilii dat summi pontificis & gravitas,&authoritas, quæ si adsit, centum Patres satis sunt: Sin desit, nulli sunt

satis, sint quamlibet plurimi. *Pighius libr. 6. de Ecclesiastica Hierarchiâ caput* 13. Certius est judicium, inquit, Papæ, quàm judicium generalis Concilii, aut totius orbis terrarum. *Bellarminus lib. 2. cap.* 17. his verbis suam exponit opinionem; Summus Pontifex simpliciter, & absolutè est supra Ecclesiam universam, & supra Concilium generale, ita ut nullum in terris supra se judicium agnoscat. *Alvarus Pelagius in lib.* 1. *de planctu Ecclesiæ Artic. 6.* Synodus universalis, inquit, Papam judicare non potest. Plus standum est sententiæ solius Papæ, quam totius mundi. Omnia Concilia recipiunt ab ipso potestatem. *Augustinus Anconita in libr. de potestate Eccles. quæst. 6. articul. 6.* Major, ait, est potestas in Papa, quàm in Concilio, majoritate actuali; Sed contra major est potestas in Concilio, majoritate habituali; quia mortuo Papâ, non moritur hæc potestas, sed manet in Ecclesiâ, & concilio habitualiter, quam tamen actu exercere non potest sine Papa; Sed in Papa actualiter est, illum posse plus agere, quàm totum concilium.

46. *Sententia verò Protestantium, quæ cum scriptura sacra consentit hæc est: Papa non est supra concilium, sed infra illud. Seu: Papa cum sit unius tantum Ecclesia Episcopus, non modò omnibus Episcopis congregatis, sed ne quidem separatis esse superiorem judicandi potestate. Itaq; concilium invito Papâ posse convocari, in quo ipso invito decernatur, ejus causa cognoscatur, judicetur, leges ipsi præscribantur, ipse hæreticus damnetur, & suo munere abdicetur.*

47. *Confirmamus sententiam hanc* 1. *ex Matt.* 18. *v.* 17. Dic Ecclesiæ. Petrus ipse remittitur ad Ecclesiam, tanquam ad superius judicium, jubeturque ad eam offensiones deferre. Ergo Ecclesia Petro, & quovis alio est major potestate judicandi. Si igitur Ecclesia est supra Papam, est etiam concilium, quod repræsentat totam Ecclesiam.

48. *Inepta est exceptio Bellarmini* statuentis præceptum hoc tenere in aliis Episcopis, sed non in Pontifice Romano, qui solius Dei judicio sit reservandus, si peccarit; Nomine enim *fratris* quivis intelligitur Christianus. Ergo & Pontifex Romanus, si modò est frater & Christianus.

48. 2. Sum-

49. 2. Summi Pontificis authoritas in V. Testamento nō fuit major authoritate conciliorum. Ergo nec ejus authoritas in N. Testamento est superior, si modò aliquis datur, quia non minus in V. Testamento, quam in Novo, omnis authoritas ejus est à Deo: Et Pontificem V. Testamenti Deus ipse constituit. Antecedens probatur: Nam *Deut.* 17. *v.* 9. Judæi mittuntur non ad unum Sacerdotem, Sed ad Sacerdotes Levitici generis, hoc est, ad Concilium Sacerdotum. Et 1. *Reg.* 1. *&* 2. Abiathar à Civili Magistratu Salomone, non propter hæresin, (quo casu si hæresis aperta fuerit, Papam deponi posse concedunt Pontificii) sed propter conspirationem cum Adonia, Sacerdotio privatur.

50. 3. Ecclesia universalis, qualis est illa, quæ in Concilio est congregata, est mater omnium fidelium, *Prov.* 1. *v.* 8. Ne dimittas legem matris tuæ, id est, Ecclesiæ ut interpretantur ipsi Pontificii. Et *Gal.* 4. *v.* 26. Hierusalem, quæ sursum est libera est, quæ est mater omnium nostrûm. *Bernhardus lib.* 4. *de considerat. ad Eugen.* Consideres, inquit, Ecclesiam, cui præes, matrem esse, non dominam, & te non dominum Episcoporum, sed unum ex eis. *Causa.* 12. *Quæst.* 2. *cap.* 6. Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creavit: Mater verò nostra Ecclesia, quæ nos in Baptismo spiritualiter regeneravit. Ergo Ecclesia est etiam mater Papæ, si modò fidelis fuerit. Ergo hac Ecclesiâ Papa non est superior: Filius enim non anteponit se matri suæ.

51. 4. Membrum est minus, & inferius suo toto. Atqui Papa est membrum, seu pars Ecclesiæ, & Concilii. Ergo. *Gerson* dicit. Papa est membrum Ecclesiæ: Ergo est minor suo toto, quod est Ecclesia, & potest, & debet amputari, si inficiat Ecclesiam, quia de jure naturæ est, ut membra inficientia totum corpus abscindantur, *Gregorius lib.* 4. *Epist.* 82. Certè Petrus, inquit, Apostolorum primus, membrum sanctæ, & universalis Ecclesiæ est.

52. 5. Si major est authoritas Papæ, quàm generalis Concilii, frustrà Concilium congregatur, cum solus Papa præstare possit ea, & longè plura quàm Concilium decernit. Aut igitur major est authoritas in Synodis, quàm in Papa, aut frustrà coguntur.

53. 6. *Concilium igitur Basilienſe Seſs.* 33. dicit: De fide catholicâ tenendum est, Concilium esse supra Papam. *Concilium Co-*

stantiense sess. 4. definit, Concilium habere authoritatem à CHRISTO immediatam: cui omnis potestas debeat obedire etiam papalis.

54. Concludimus locum hunc de Conciliis sententiâ Æneæ Sylvii: *Istorum sententia, inquit, qui volunt, non posse Concilia cogi sine consensu Papæ, si inviolata persistat, ruinam secum Ecclesiæ trahit. Quid enim remedii erit, si criminosus Papa perturbet Ecclesiam, si animas perdat, si pervertat malo exemplo populos, si denig; contraria fidei prædicet, hæreticisq; dogmatibus imbuat subditos? Quis est, qui existimet Romanum Pontificem ad sui emendationem congregare? nempe ut peccant homines, sic etiam impunè peccare volunt. At ego dum veteres lego historias, dum actus perspicio Apostolorum, hunc equidem usum non invenio, quod soli Papæ concilia congregaverint.*

FINIS DISPVT. X.

DE PAPISMO

DISPVTATIO XI.

Et quidem in ſpecie

DE

ECCLESIA PRIOR

In qua

Chriſto Duce & auſpice Chriſto

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS GISENII,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS,

ET ORDINARII IN INCLY-

ta Academiâ Giſſenâ Pro-

feſſoris,

RESPONDEBIT

M. JOHANNES HENRICUS TONSOR,

Alsfeldanus Haſſus.

In Auditorio Theologico ad diem 5. Januar. horis antemeridianis & pomeridianis.

GIESSÆ CATTORUM,

Ex officina libraria Caſparis Chemlini.

cIↃ IↃ cXVIII.

DISPUTATIO UNDECIMA

QVÆ EST

De Ecclesia prior.

THESIS I.

CONtulimus de Ecclesia in concilio congregata: Examinabimus igitur breviter controversias de Ecclesia per totum orbem diffusa.

Sententia Protestantium cum ipsius Scripturæ & veritatis voce consentiens.

2. *Ecclesia est cœtus hominum prædicatione verbi, & usu Sacramentorum ex mundo ad regnum Dei vocatorum & congregatorum.*

3. Nomen habet *Ecclesia* ab evocatione hominum è mundo ad congregationem sanctorum.

4. Ut cœtus hic distinguatur à cœtibus profanis, ideò vocatur Ecclesia Dei, *Nehem.13.v 1. Act.20.v.28.1.Cor.1.v.2.* Ecclesia in Deo, *1.Thess.1.v.1.* Ecclesia Domini, *Deut.23.v.1.Mich.2.v.5.* Ut distinguatur ab Ecclesiâ malignantium, ideò appellatur Ecclesia sanctorum, *Psal.89.v.6.*

5. In Symbolo Niceno dicitur: *Credo unam sanctam, catholicam, & Apostolicam Ecclesiam:* Epitheta hæc de totâ prædicantur Ecclesia potissimùm συνεκδοχικῶς propter præcipuam partem; Agemus de his plærisque in quæstionum controversarum decisionibus.

6. Ecclesia est *una, quia est ab uno, sub uno, in uno, per unum, ad unum*, hoc est, una dicitur respectu efficientis principalis, quia ab uno est Deo, Patre, Filio, & Spiritu S. 2. *Respectu fundamenti Christi*, cujus dominio est subjecta, & qui unicum ejus est fundamentum. 3. *Respectu unius Spiritu S.* in quo pii vivificantur. 4. *Respectu*

doctrina fidei, quod est Evangelium potentia Dei ad salutem. 5. *Respectu finis*, qui est salus & vita æterna. 6. *Respectu unitatis fidei, & confessionis.* 7. *Respectu unitatis corporis mystici*, in quo est summa membrorum conjunctio. *Eph.4.v.3.4.5.6.* Studentes servare unitatem Spiritus per vinculum pacis. Unum corpus, & unus Spiritus, quêadmodum & vocati estis in unâ spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum Baptisma. *Phil.2.v.2.* Implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes.

7. In se igitur licet Ecclesia sit una', tamen certis distinguitur respectibus, & modis.

8. Nam primò *Ecclesia est visibilis, vel invisibilis*: Hæc dicitur quod in oculis solius sit Dei; Illa quod hominibus sit aspectabilis. Unius igitur Ecclesiæ facies est gemina. Et unius Ecclesiæ duplex est cœtus, Electorum & vocatorum.

9. Visibilis Ecclesia dicitur propter visibilem Sacramentorum usum, & prædicationem verbi; Invisibilis propter fidem & electionem, quæ nequit humanis oculis perspici, *1.Reg.8.v.39. cap.19.v.18. Rom.2.v.28.29. Psal.45.v.14. Col.3.v.3.2.Tim.2.v.19.1.Pet. 3.v.4. Ecclesia igitur visibilis est* Cœtus hominum verbum Dei profitentium, & Sacramentis divinitus institutis utentium; Ecclesia invisibilis est Cœtus verè credentium, & finem fidei, nempè salutem æternam certò consequentium, *Rom.8.ver.29.30.1.Pet.1.v.3. 4.8.9.*

10. *Secundò Ecclesia est universalis, vel particularis, Ecclesia universalis* dicitur vel absolutè, vel limitatè. Absolutè respectu omnium fidelium ab origine mundi ad finem seculi, sive illi de peccato, carne, mundo, & Sathana devictis triũphent (quæ Ecclesia dicitur triumphans;) Sive adversus peccatum, carnem, mundum, & Satanam decertent (quæ Ecclesia nominatur militans) Ecclesia limitatè uuiversalis est cœtus fidelium uno tempore ubivis locorum viventium.

11. *Ecclesia particularis* est cœtus aliquis certus certo loco congregatus. Ad eam refertur *Ecclesia domestica* cujusmodi fuit in domo Priscillæ, & Aquilæ, *Rom.16.v.3.5.1.Cor.16.v.19.*

12. Tertiò, Ecclesia est vel Novi, vel veteris Testamenti.

Ecclesia

Ecclesia V. Testamenti est cœtus hominum ante Messiam in carne exhibitum apud Patriarchas, & posteà in populo Judaico collectorum. Ecclesia Novi Testamenti est cœtus hominum, nato jam Christo ubivis locorum per sermonem divinum collectorum.

13. Quamvis Ecclesia universalis actu ipso non errat: Particulares tamen Ecclesiæ non tantum sæpe errant, sed aliquando temporaliter, vel etiam finaliter deficiunt.

14. Notæ Ecclesiæ sunt duæ, verbi divini prædicatio, & legitimus Sacramentorum usus.

Sententia Pontificiorum.

15. Ecclesia est cœtus hominum ejusdem Christianæ fidei professione, & eorundem Sacramentorum communione colligatus sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipuè unius Christi in terris vicarii, *Bellarminus lib. 3. de Eccles. cap. 2.*

16. Tres hujus definitionis sunt partes: Professio veræ fidei, Sacramentorum communio, & subjectio ad legitimum Pastorem Romanum Pontificem, *Ibidem.*

17. *Canisius in Inst. Christ. p. 6.* Ecclesia, inquit, est omnium Christi fidem, atque doctrinam profitentium congregatio, quæ sub uno, & summo post Christum capite, & pastore in terris gubernatur.

18. Hinc facile percipitur quinam ad Ecclesiam pertineant, & quinam ab eâ segregentur. Non pertinent ad eam quotquot nondum sunt baptizati, item Catechumeni, & quovis modo excommunicati, licet verâ fide sint præditi *Bellarminus libr. 3. cap. 3.*

19. Ecclesia vera semper est visibilis, seu conspicua nunquam invisibilis, *Bellarminus libr. 3. cap. 12. Stapletonus controvers. 1. de Eccl. quæst. 3. Art. 1. Costerus pag. 109.*

20. Tantum abest ut aliquando Ecclesia possit deficere, ut nunquam possit errare, *Bellar. lib. 3. c. 13. 14.*

21. Notæ veræ Ecclesiæ sunt quindecim, ut: Appellatio Catholica: antiquitas: duratio diuturna: amplitudo: continua successio: conspiratio in doctrinâ cum Ecclesiâ antiquâ: Unio membrorum inter se, & cum capite: Sanctitas doctrinæ veræ: Efficaciæ

ficacia doctrinæ: Sanctitas vitæ auctorum: Gloria miraculorum: Lumen propheticum: Confessio adversariorum: Infelix exitus, seu finis eorum, qui Ecclesiam oppugnant, Bellarminus lib. 4. c. 3. & seqq.

22. Notæ hæ cum omnes competant Ecclesiæ Romanæ, hæc vera est Ecclesia; Reliquæ omnes sunt hæreticæ & schismaticæ.

Status controversiæ.

23. Disputatur igitur in hoc Articulo, 1. De Ecclesiæ definitione. 2. De ejus membris. 3. De ejus visibilitate, & invisibilitate. 4. De ejusdem errore, & defectione. 5. De legitimis notis. 6. Et quænam Christi in his terris sit vera Ecclesia. Agemus de his singulis.

24. Quæstio prima: *An colligatio membrorum Ecclesiæ sub regimine Pontificis Romani sit de Ecclesiæ essentiâ.*

25. Respondent Pontificii. Non esse veram Ecclesiæ membra, nisi sub regimine pontificis Romani colligantur. Unde *Bellarminus lib. 3. de Eccl. cap. 2.* hanc particulam Ecclesiæ definitioni infert. *Turrianus in lib. de Eccles. & ordinat. Minist.* Ecclesia, inquit, est fidelium cœtus, & congregatio facta ab Episcopis, sub uno visibili capite, Romano pontifice.

26. Absurdam, & impiam hanc Pontificiorum esse assertionem docent Protestantes. Nam 1. Falsam præsupponunt Pontificii opinionem, statuentes, Papam esse Christi in terris, vicarium, universalis Ecclesiæ caput, & fundamentum: Hanc in disputationibus de pontifice Romano refutavimus.

27. 2. Ante fuit vera Ecclesia, quàm pontifex Romanus utrumque gladium sibi arrogans sederet in templo Dei, hoc est, dominaretur, & Monarcha haberi vellet nimirum tempore Apostolorum, & Ecclesiæ primitivæ. Ergo colligatio membrorum sub regimine pontificis Romani non est de Ecclesiæ essentiâ, atq; sic nec de Ecclesiæ definitione. Num enim membra Ecclesiæ sub regimine pontificis Romani colligari potuerunt, quando nullus in mundo fuit Pontifex Romanus?

28. 3. Narrant Historici duos sæpe, pluresve uno tempore sedisse Pontifices, teste etiam *Bellarmino lib. 4. de Pontifice Rom. c. 14. col.*

1023. Erant; inquit, eo tempore tres, quî Pontifices haberi volebant. Gregorius XII. Benedictus XIII. Et Johannes XXIII. Nec poterat facile judicari, quis eorum verus, ac legitimus esset Pontifex, cum non deessent singulis doctissimi patroni. Hinc ita argumentamur: Ignorato verò pontifice, necessum est Ecclesiæ veritatem ignorari. At cum tres simul pontifices haberi vellēt, ignorabatur verus pontifex. Ergò tum Ecclesiæ veritas, seu vera Ecclesia ignorabatur: Et per consequens colligatio membrorum Ecclesiæ sub regimine pontificis Romani est incerta. Nititur illatio hæc hypothesi Pontificiorum statuentium pontificem Romanum universalis Ecclesiæ esse caput.

29. 4. Quos pontificii ab Ecclesiâ sequestrant, sub eorum regimine nulla Ecclesia colligitur. Atqui pontificii, & ipse *Bellarminus lib. 3. de Eccl. c. 2. 4.* ab Ecclesiâ sequestrant Apostatas, & hæreticos. Ergo. Hujusmodi verò sedisse Romæ in præcedentibuss monstravimus. *Apostatæ fuerunt*, Marcellinus, Johannes XII. Sylvester II. Gregorius VII. *Hæretici fuerunt*, Liberius, Felix II. Anastasius. II. Vigilius, Honorius I. *Athei fuerunt*, Johannes XXIII. Alexander VI. Julius II. Leo X. Et num scortum illud Johan. VIII. legitimus fuit Pontifex sub cujus regimine universalis colligi potuit Ecclesia?

30. 5. Adversarius Christi, & filius perditionis non est de Ecclesiæ essentiâ, atque sic nec de Ecclesiæ definitione. Atqui Antichristus hic magnus, 2. *Thess.* 2. *v.* 4. est adversarius Christi, & filius perditionis. Ergò. Num igitur colligatio membrorum Ecclesiæ sub filii hujus regimine est de essentiâ, & definitione Ecclesiæ?

31. Quæstio secunda: *An nulli non baptizati, Catechumeni hæretici, Schismatici, & excommunicati ad Ecclesiam pertineant?*

32. Resp. Excludit *Bellarminus* ab Ecclesiâ non baptizatos & Catechumenos lib. 3. cap. 3. Hæreticos, & Apostatas, cap. 4. Schismaticos, cap. 5. excommunicatos, *cap. 6. Stapletonus quæst. 2. Art. 2. pag.* 12 Catechumeni, inquit, & quicunque non baptizati, non sunt membra Ecclesiæ.

33. Cum autem primariò de his non disputetur, brevissimè ea percurremus. Sit igitur assertio prima: *Infantes alii nascuntur extra Ecclesiam, alii intra Ecclesiam.* De illis, qui foris sunt nostrum non est judi-

est judicare, 1.*Cor.*5.*v.*12. Hi jus habent, & aditum ad Baptismum quia sunt in sinu Ecclesiæ nati Argumentis moti sequentibus. *Primum sumimus ab analogiâ circumcisionis, & Baptismi*: Utrumque enim Sacramentum est medium initiationis, & utriusque respectu hominum summa est necessitas, *Gen.*17.*v.*14. *Joh.*3.*v.*5. Sic igitur colligimus: Incircumcisi Judæorum filii ante diem octavum morientes non obstante ista comminatione sunt salvati. Ergo utiq; non baptizati Christianorum infantes si non adsit contempus etiam salvari poterunt. Antecedentis veritas probatur exemplis, ut sunt 1. *masculi in Ægypto*, qui statim ac in lucem editi fuerant à ministris Pharaonis abripiebantur, & incircumcisi in fluentem proiicie bantur, Exod.1.v.22, 2. *Infantes in deserto tempore peregrinationis Israeliticæ*: Hi non sunt circumcisi propter continuas profectiones, & longinqua itinera, *Joh.*5.*v.*7. Certè si Moses omnes istos æternùm Periisse judicasset, tum certè neglecto tempotalis vitæ periculo, eos circumcidi jussisset. 3. *Filiolus Davidis ex Bethsabeâ susceptus*: Mortuus ille est ante circumcisionem die nimirum septimo, 2.*Sam.*12. *v.*18. Nihilominus tamen dicit David *v.*23. Ego vadam ad eum, ille non revertetur ad me. At si ob privationem circumcisionis æternùm damnatus fuisset, dicere non potuisset, se ad illum abiturum. 4. *Infantes plurimi tempore persecutionis Antiochenæ*, 1.*Mac.*1. 2.*Mac.*6. Hi non ad circumcisionem admittebantur, sed miserrimè trucidabantur.

34. *Secundum ab exemplo latronis cum Christo crucifix, & in cruce primùm conversi*: De hoc dicit Christus hodie mecum eris in Paradiso, *Luc.*23.*v.*43. At sine Baptismo decessit. *Quartum ab exemplo Catechumenorum*, de quibus in assertione agemus sequenti.

35. Consternati igitur parentes consolandi sunt, & certi de salute suorum infantum æternâ reddendi: Consolationum genera possunt esse triplicia. *Primum ex parte Dei.* Nam Deus est summè potens, *Zac.*8.*v.*6. *Eph.*3.*v.*20.21. *Apoc.*15.*v.*3. Infinita igitur suâ potestate infinitis modis potest in infantibus operari fidem. Gratia enim Dei non est simpliciter alligata Sacramentis, ac si extra ea operari, & salvare non possit. Non sibi, sed nobis leges eas, ordinemque istum præscripsit. *Deinde Deus est summè misericors*: Non igitur tantum potest operari infantum salutem, sed etiam vult: Declarat

hanc

hanc voluntatem. 1. *fœderalis promissio. Gen.17.v.7. Rom.4.v.17. Act.2.v.38.* Applicanda huc sunt exempla jam antè allegata. 2. *Specialis vocatio Matt.19.v.14. Mar.10.v.13. Luc.18.v.16.* Sinite parvulos ad me venire. Talium enim est regnum Cœlorum. 3. *Severa Domini asseveratio. Es.48.v.18.19.* Utinam attendissēt mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua, & justitia tua sicut gurgites maris Et fuisset quasi arena *semen* tuum, & stirps uteri tui, ut lapilli ejus: nō interiisset, & non fuisset attritum nomen ejus à facie meâ. Quorumcunque igitur parentes sunt fideles & Christiani de eorum salute non est simpliciter desperandum. Addunt nonnulli & illud *Esa.49.v.25.* filios tuos ego salvabo.

36. *Secundum ex parte infantum* consolationis fundamentum suppeditat, *in Ecclesia nativitas.* Est enim magnum discrimen inter eos, qui sunt nati in Ecclesia à Christianis, & inter eos, qui sunt nati extra eam à paganis: Hinc est, quod accuratè distinguat Apostolus Petrus inter filios pacti, & exteros, *Act.3.v.25.* Paulus inter circumcisos, & præputiatos, *Rom.2.v.28.19.* Inter eos, qui intus sunt, & qui foris, *1.Cor.5.v.12.cap.7.v.14.* Qui enim in Ecclesiâ sunt nati, illos immediatè ad Sacramenta & bona Ecclesiæ Deus vult admitti: Unde *1.Cor.7.v.14.* dicuntur sancti. Ergo Deus eos in infantili ætate vult fieri salvos. Quare, si necessariò ab ordinariis excludantur mediis, Deus aliis modis ipsis succurrit. 2. *Simplex Baptismi carentia.* Canon theologicus est: *Non privatio, sed contemptus Sacramentorum damnat.* Colligitur id ex ipsis comminationibus: Nam *Gen.17.* adduntur verba: quia irritum fecit pactum meum. *Joh.3* Loquitur Christus cum Nicodemo adulto, qui renascentiam inconvenientem & impossibilem faciebat. Ipse igitur dicit *Lombardus lib.4.Sent.Dist.4.lit.E.* Intelligendum est de iis, qui possunt, & contemnunt baptizari.

37. *Tertium ex parte parentum consolationis fundamentum suppeditat ardens precatio:* Nam cum ab ipsis parentibus, tum à totâ Ecclesiâ infantes in utero materno adhuc latentes commendantur Deo: Quamvis verò infantes non fide alienâ, & parentum salventur, sed propriâ, *Hab.2.v.34. Rom.1.v.17.* Tamen beneficio precum à parentibus, & totâ Ecclesiâ fusarum adipisci possunt medium salutis, nimirum fidem. Nam quod piorum ardens precatio

fidem, & auxilium fide carentibus impetret, testatur famulus centurionis, *Matt.*8.*v.*6.filia mulieris Chananææ, *Matt.*15.*v.*22.filia Iairi, Luc.8.v.38.filius lunaticus, *Luc.*9.*v.*39.filius Reguli, *Joh.*4.*v.*47.

38. Quod igitur dicit Christus, *Joh.*3.*v.*5. Nisi quis renatus fuerit ex aquâ, & Spiritu, non potest intrare regnum Dei; Illud non absolutè, & simpliciter, sed limitatè & conditionaliter est intelligendum, nimirum 1. sub conditione possibilitatis. 2.extra casum necessitatis. 3. atque sic de modo non extraordinario, sed ordinàrio *Augustinus lib.*4.*Contra, Donat.* C.23. Sicut in latrone, inquit, quia per necessitatam corporaliter Baptismus defuit, perfecta salus est, quia per pietatem Spiritualiter adfuit: Sic & cum ipsâ præsto est, si per necessitatem desit, quod latroni defuit, perficitur salus. *Idem lib.*1.*de Baptis.*C,22.24. Tunc sacramentum Baptismi impletur visibiliter, cum idipsum non contemptus religionis, sed necessitatis articulus excludit.

39. Assertio secunda: *Catechumeni fideles sunt de Ecclesiâ, & membra Ecclesiæ.* Nam. 1. Catechumeni fideles sunt membra Christi, quia fidei hoc proprium est, ut Christo nos inserat. Negare hoc nequit *Bellarminus*, quippe qui asserit illos qui internis Spiritus S.donis fide, spe, & charitate sunt præditi, esse interius Christe capiti unitos. Membrum vetò Christi est membrum Ecclesiæ. Ecclesia enim est corpus mysticum, cujus Christus est caput. 2. Quicunque servantur, sunt de Ecclesiâ, & quidem non tantum voto, & potentiâ, sed actu ipso. Atqui quidam Catechumeni servantur, teste ipso *Bellarmino lib.*3.*cap.*3.*pag.*139. Dicit ipse: Quomodo salvantur, si sunt extra Ecclesiam; Auctor libri de Ecclesiasticis dogmatibus *cap.*74.apertè respondet, Catechumenos non salvari. Sed nimis hoc durum esse videtur, Cettè *Ambrosius* in oratione de obitu Valentiniani orum disertis verbis affirmat, Catechumenos posse salvari, de quorum numero Valentinianus erat, cum de hac vitâ migraret. Hæc ille. Commẽdant Pontificii unanimiter canonem hunc theologicũ: extra Ecclesiã nõ est salus. Christus dicit: Fides tua te salvum fecit: Et qui crediderit habet vitam æternã. Ergo.

40. *Bellarminus pag.*139. Nihilominus, inquit, certum est, Catechumenos non esse in Ecclesiâ actu, & propriè, sed tantum in potentiâ, quomodo homo conceptus, sed nondum formatus & natus, non dicitur homo, nisi in potentiâ. 41. Resp.

41. Resp. Perinde, hoc est, ac si dixeris, servatos nonnullos esse, & non interiisse qui non actu fuerunt in arcâ, sed tantum voto. Imò contrà, sicut nemo in diluvio servabatur, nisi actu esset in arca Noæ; ita nemo actu salvatur, nisi sit in Ecclesia. *Augustinus quæst.* 65. ad Orosium scribit: Sicut in arca Noæ nemo, nisi qui in ea erat, à diluvio liberabatur: Ita nullus, nisi Ecclesiæ membrum fuerit salvabitur. Ne dixeris cum Bellarmino, similitudines non convenire in omnibus: Nam in Articulo, seu in tertio, in quo est collocatio, conveniant oportet.

42. 3. Ecclesia est cœtus hominum è mundo evocatorum &c. Quotquot igitur ex impiorum cœtu evocantur, illi aliquò vocantur, Atqui Catechumeni ex impiorum hominum Cœtu evocantur. Ergo aliquò vocantur. Quò autem vocabuntur nisi in Ecclesiam? Ergo non potentiâ; sed actu sunt in Ecclesiâ: Et per consequens Ecclesiæ membra.

43. 4. Filius Dei est filius Ecclesiæ. Atqui Catechmeni fideles sunt filii Dei: Ergo etiam sunt filii Ecclesiæ, atque sic Ecclesiæ membra. Majoris veritas patet ex *Gal.* 4. *v.* 26. Illa quæ sursum est Jerusalem, est mater omnium nostrum. In spirituali igitur regeneratione, Deum agnoscimus Patrem, Ecclesiam matrem. Hinc est versiculus: Non Pater in Cœlis, cui non Ecclesia mater. Minor legitur *Joh.* 1. *v.* 12. Quotquot receperunt eum, dedit eis, ut liceret filios Dei fieri, videlicet his, qui credidissent in nomine ipsius *Gal.* 3. *v.* 26. Omnes filii Dei estis, per fidem in Christo Jesu.

44. 5. Cuicunque peccata remittuntur, & qui Spiritu S. donantur, illi sunt in Ecclesiâ. Atqui Catechumenis fidelibus peccata remittuntur, & iidem Spiritu S. donantur. Ergo.

45. 6. Arguit idem exemplum latronis in cruce conversi, *Luc.* 23. *v.* 43. 7. *Augustinus lib.* 4. *de Bap. contra Donatistas cap.* 21. Non dubito Catechumenum catholicum, inquit, divinâ caritate flagrantem hæretico baptizato anteponere.

46. Assertio tertia: *Hæretici, Schismatici, & excommunicati, sensu pontificio sic dicti, esse possunt in Ecclesiâ.*

47. Nam Pontificiis sunt hæretici, qui spretis traditionibus & idolomaniis Pontificiis, Scripturâ lucem in loco caliginoso lucêtem sequuntur, Schismatici, qui nolunt subesse Pontif. Rom. At

veri hæretici sunt, qui dogmata contra fundamentum fidei pugnantia pertinaciter defendunt: Hic igitur si manifestus fuerit ab Ecclesiâ est separandus. Quos verò nominant hæreticos Pontificii; eos viva esse posse Ecclesiæ membra non dubitamus. 1. Opponunt enim sese iis, quibus Deus frustra colitur. 2. Dominatus Pontificius non est Apostolicus, sed apostaticus, & tyrannicus, ut alibi evicimus. Schismatici igitur non sunt, qui huic ad hæresin cogenti subesse nolunt. 3. Excommunicatio alia est justa, alia injusta: Qui justè excommunicantur, ab Ecclesiâ separantur, & Satanæ traduntur, 1. *Cor.* 5. Qui injustè excommunicantur, nihil prorsus amittunt *Luc.* 6. *v* 22. Beati eritis, cum vos oderint homines, & cum separaverint vos, & exprobraverint, & ejecerint nomen vestrum, tanquam malum, propter Filium hominis. *Causa* 24. *quæst.* 3. *c.* 4. *Iur. Canon.* Si quis non recto judicio eorum, qui præsunt Ecclesiæ depellatur, & foras mittatur, si ipse non ante exit, hoc est, si non ita egit, ut mereretur exire, nihil læditur in eo quod non recto iudicio ab hominibus videtur expulsus. Et ita fit, ut interdum ille, qui foras mittitur, intus sit; Et ille foris, qui intus retineri videtur. *Causa* 11. *quæst.* 3. *c.* 60. Ipse ligandi atque solvendi potestate se privat, qui hanc pro suis voluntatibus, & non pro subjectorum moribus exercet.

48. Quæstio tertia: *An Ecclesia certo quodam modo sit, & dicatur invisibilis?*

49. Respondet *Bellarminus lib.* 3. *de Eccl. milit. cap.* 12. Quòd vera, inquiens, Ecclesia sit visibilis, probatur ex scripturis omnibus ubicunque invenitur nomen Ecclesiæ: Nam semper nomine Ecclesiæ visibilis congregatio significatur. idem sentut *Stapletonus Tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 13. 14. 15. *Costerus. cap.* 2. *pag.* 111. Voluit Christus, inquit, non modò visibilem esse Ecclesiam suam, sed valdè conspicuam, ut innotesceret gratia Dei, quæ in hac sanctâ congregatione & non alibi asservatur, atque confertur: Unde etiam civitati, quæ in monte posita est, & candelæ supra candelabrum similem fecit.

50. *Protestantes verò credunt, docent, & profitentur, Ecclesiam esse numero unam, eamq; respectu vocatorum Cœtus, & publici Ministerii* esse visibilem; Sed sub illo vocatorum cætu contineri cætum ad vitam

æternam

æternam prędestinatorum, cujus respectu Ecclesia dicatur invisibilis. Quæstio igitur est: *An Ecclesia certo quodam modo ac respectu sit & verè dicatur invisibilis, scilicet non Deo, sed hominibus propter fidem, & electionem, quæ per se humanis oculis perspici nequeunt? Vel ut cum Stapletono loquamur. An Eccesia dicatur invisibilis propter eos, qui principaliter ad eam pertinent* hoc est propter electos, & verè credentes?

51. Affirmativam quæstionis hujus partem sequentibus confirmamus fundamentis, 1. *à primario Ecclesiæ membro*: Nam principalis Ecclesiæ pars, ut sunt Electi, & verè credentes sunt invisibiles, Ergo Ecclesia, quæ est congregatio Sanctorum, certo respectu dicitur invisibilis. Antecedentis veritas patet ex propriissimâ, & verè credentium notâ, quæ est fidei constantia, & sinceritas: Hæc quoniam in corde latet, ideò à nullo homine potest perspici: Solius enim Dei est corda scrutari, 1. *Reg.* 8. *v.* 39.

52. 2. *Ex Articulo symbol Apostolici, credo Ecclesiam*: Quicquid credimus, illud invisibile esse profitemur. Atqui Ecclesiam credimus. Ergo eam invisibilem esse dicto jam ante sensu, profitemur. Major est ipsius scripturæ, *Heb.* 11. *v.* 1. Fides est argumentum earum rerum, quæ non videntur. Per fidem ambulamus, & non per aspectum, *Heb.* 11. *v.* 7. Beati, qui non viderunt, & crediderunt, *Joh.* 20. *v.* 29. *Augustinus. Tract.* 10. *in Joh.* Hoc est, fides, credere quod non vides. *Gregorius Homil.* 26. *in Evang.* Quæ apparent, jam nō fidem habent, sed cognitionem. *Et Homil.* 32. *in Evang.* Quod videri potest, melius dicitur sciri, quam credi.

53. In eludendo argumento hoc torquet se *Bellarminus*, Primò dicit *lib.* 3. *de Eccl. cap.* 15. *pag.* 191. In Symbolo non ponitur tantum, *credo Ecclesiam*, sed *credo sanctam* Ecclesiam. Ecclesia verò videtur, sed sanctitas Ecclesiæ est invisibilis.

54. Resp. 1. quæstio quod sit, naturâ est prior quæstione, quale quid sit: Si igitur Pontificii credunt Ecclesiam sanctam esse visibilem, credant prius necesse est, Ecclesiam esse. 2. Et ipsa Ecclesia, & Ecclesiæ sanctitas est fidei Articulus. Non enim dicimus, credo sanctitatem Ecclesiæ, sed credo sanctam Ecclesiam. Utrumque igitur credimus, & Ecclesiam, & eam esse sanctam. 3. Nihil habetur in Symbolo illo de videndo, sed tantum legitur de credendo: Non igitur est sensus Articuli hujus: Video Ecclesiam

Catholicam, & credo eam sanctam, sed credo Ecclesiam catholicam, & eandam sanctam.

55. Deinde videns *Bellarminus* exceptionem illam suam subsistere non posse, aliam substituit *pag.* 191. 192. Sed melius dico, inquit, in Ecclesiâ aliquid videri, & aliquid credi: Videmus enim eum cœtum hominum, qui est Ecclesia, sed quod ille cœtus sit ipsa vera Christi Ecclesia, non videmus, sed credimus. Quis autem evidenter scit, nostram fidem esse Chtisti? Id quidem firmâ, ac certissimâ fide credimus: Sed aliud est credere, aliud videre: imò ipsum credere definitur ab Apostolo argnmentum non apparentium. Idem habet *Costerus pag.* 112. *Enchir.* Homines, inquiens, videmus oculis, qui ad Ecclesiam pertinent: Eos autem homines credimus, Ecclesiam esse sanctam, catholicam, & Apostolicam. Repetit idem *Becanus* de Eccl. quæst. 1. Concl. 1. p. 24.

56. Resp. Si Bellarminus, ut loquitur, sentit, totus noster est: Visibilem enim dicimus Ecclesiam respectu materiæ, sed invisibilem respectu internæ formæ: Cœtum hominum, qui est Ecclesia videmus: Sed an illi homines sint Ecclesia, illud non videmus, sed credimus.

57. 3: Ex oppositione manifesti, & occulti: Quod est in occulto, illud non est manifestum: Et proinde verè dici potest invisibile. Atqui Ecclesia vera, & propriè sic dicta est in occulto. *Rom* 2. *vers.* 28. 29. Non qui in manifesto Judæus est, neq; quæ in manifesto in carne, est circumcisio: Sed qui in abscondito Judæus est: Et circumcisio cordis. Ergo. Quare, hortatur Apostolus Petrus. 1. *Ep.* 3. *v.* 4. Christianas mulieres, ut operam dent, ut ornatus ipsarum sit occultus homo cordis, Hoc ipso igitur docet honorem hunc esse interiorem externo aspectui non expositum.

58. 4. *Ab invisibilitate domus spirritualis*: Domus spiritualis quatenus talis, est invisibilis. Atqui Ecclesia propriè sic dicta est domus spiritualis, 1. *Pet.* 2. *v.* 5. Et ipsi tanquam lapides vivi ædificemini, domus spiritualis, Sacerdotium. Ergo est invisibilis: Nam quæ exquisitè loquendo sunt Spiritus objectum, sunt fidei, & non oculorum, & ob id non videntur, sed creduntur. *August. Epist.* 57. Congregantur fideles, inquit in unum Spiritum, & in unum corpus, cujus caput est Christus. Talis congregatio est ædificatio tem-

pli Dei

pli Dei, talem congregationem non generatio carnalis, sed regeneratio spiritualis facit.

59. Regerit *Bellarminus pag.* 191. Duobus modis dici aliquid spirituale. Uno modo secundum substantiam, quomodo *Eph.* 6. dicuntur spiritualia nequitiæ in Cœlestibus. Altero modo, secundum ordinationem ad Spiritum, quia ordinatur aliquid ad Spiritū vel Spititus in eo dominantur. Quomodo 1. *Cor.* 2. dicitur homo spirirualis, & 1. *Cor.* 15. corpus spitituale, & 1. *Pet.* 2. vocantur hostiæ spirituales omnia bona opera. B. Petrus ergò cùm dicit, Ecclesiam esse domum spiritualem, intelligit hoc secundo modo: Vult enim, Ecclesiam non esse domum ex lignis, & lapidibus sed ex hominibus Deo consecratis ædificatam.

60. Resp. 1. homines licet visibilia habeant corpora, & sint corporei, tamen non quatenus sunt tales ad Ecclesiam pertinent sed quatenus aspectu judicari nequeunt. Solâ enim Spiritus regeratione, & renovatione fiunt homines domus spiritualis. At operatio Spiritus est interior, 1. *Cor.* 2. *v.* 11. Quis hominum scit, quæ sint hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est; Ergo quæ sit domus illa spiritualis à nobis videri nequit. 2. Qui Deo offerunt spiritua, les hostias per Christum, illi pertinent ad domum illam spiritualem. At qui tales reverâ sunt, illud nobis hominibus certò non apparet. Ergo.

61. 5. *Ab Ecclesiæ gloriâ*: Vera & propria Ecclesiæ gloria, & regni Dei veritas est intrinseca, *Psal.* 45. *v.* 14. Omnis gloria filiæ Regis est ab intus. Filia verò Regis Cœlestis, & Sponsa Christi est Ecclesia, cujus ornatus interior est, nimirum in donis, & virtutibus Spiritus S. Ergo Ecclesia vera, *& exquisitè sic dicta* hoc respectu est invisibilis.

62. 6. *A descriptione Ecclesiæ*: Ecclesia propriè est congregatio sanctorum. Ergo ea principaliter & propriè constat ex sanctis, & verè credentibus. Hi verò quinam sint, non indubitatò apparet hominibus. Ergo vera, & propriè sic dicta Ecclesia est invisibilis.

63. 7. *A corporis mystici invisibilitate*: Corpus mysticum est invisibile. Ecclesia verò est Christi corpus mysticum. Ergo. 8. *A militiâ spirituali*: Ecclesia enim militans nominatur à militiâ, quam exercet spirituali. At militia hæc spiritualis est.

invi-

invisibilis, *Eph.6.v.12.* Non est nobis lucta adversus carnem & sanguinem, sed adversus principatus, adversus potestates, adversus mundi Dominos, rectorem Dominorum seculi hujus, adversus spirituales nequitias, quæ sunt in sublimi. 9. *Ab ovibus Christi*: His enim describitur vera Ecclesia: Hæ autem audiunt vocem Pastoris sui eamque sequuntur, *Joh.* 10.v.27. Audiunt verbum Dei, & custodiunt illud in corde bono, & sincero, ac fructum afferunt in patientia, *Luc.*8.v.15. Oves verò has externo aspectu nequimus dijudicare.

64. 10. *A membris Ecclesiæ soli Deo notis*: Verâ & viva Ecclesiæ membra soli Deo sunt cognita, & visibilia. Ergo nobis hominibus sunt invisibilia. Antecedens declarat exemplum Ecclesiæ Israëliticæ tempore Eliæ, 1.*Reg.*19.v.18. Cum enim ipse conquereretur, se esse solum relictum interfectis reliquis omnibus veris Dei cultoribus respondebat ei divinum oraculum *reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua sua coram Baal.* Cœtus igitur piorum in Israël ne quidem sanctissimo Prophetæ Eliæ erat visibilis, sed soli Deo cordium scrutatori. Ergo certo respectu cœtus ille erat invisibilis.

65. Uberioris declarationis ergo. 1. notamus occasionē & finem controversiæ hujus: Non igitur dicimus Ecclesiam invisibilem, hoc fine, ut sub Papatu Ecclesiam veram conservatam fuisse evincamus; quia Ecclesiam veram, sanctam, & catholicam invisibilem dicimus etiam hoc tempore, quo lux Evangelii in orbe Christiano reaccensa clarissimè splendet; neque hoc fine, quasi Phantastica, & Enthusiastica Ecclesia sit credenda; Sed invisibilē eam nominamus, primò, *ut occuramus Pontificiæ imaginationi de prælatorum ordinariâ successione? Dn. Chemnitius dicit in L. de Eccl. pag.* 207. Pontificii definitionem Ecclesiæ, quæ sit audienda, & à quâ non sit discedendum, exstruxerunt ex tali similitudine: Sicut Respub. Veneta, regnum Gallicum, Imperium Germanicum, certo ordine gubernatorum, & subditorum certis legibus, & moribus constat: Ita apud Prælatos, qui sunt in ordinaria successione, Ecclesiam Christi sic esse quasi alligatam, ut quodcunque illi statuant, ac sentiant, necessariò sit omnibus recipiendum, nec ullo prætextu ab illis discedendum, &c. Huic imaginationi oppositum fuit, Ecclesiam

cleſiam non eſſe talem cœtum viſibilem; Sed potius gregem talium ovium, quæ è manibus ejus in æternum erui nequeunt, Johan.10.v.14.28. *Secundò ut occurramus eorum perſuaſioni, qui in delictis ſibi blandiuntur, & ſomniant, ſed damnari non poſſe, cum ſint membra Eccleſiæ viſibilis. Tertiò, ut reſpondeamus gloriationi* externæ ſpeciei Eccleſiæ malignantis operibus potentiâ, gloriâ, authoritate, Specie, multitudine ſæpe præcellentis. Ne ab externâ illâ ſpecie judicetur de Eccleſiâ, ideò dictum eſt eam eſſe inviſibilem. Hoc eſt, inquit, Chemnitius, quod miſer cœtus, in quo multæ ſunt infirmitates, quique non tantum perſecutionibus, & cruce premitur, ſed etiam offendiculis, & ſcandalis deformatur, ſit Eccleſia, de qua non ab externâ ſpecie, ſed ex verbo ſit ſtatuendum, & juxta verbum judicandum.

66. 2. Diſcrimen Eccleſiæ viſibilis, & inviſibilis non eſſe contradictoriorum, & contrariè oppoſitorum; ſed ſubalternorum & ſubordinatorum. Eccleſia enim inviſibilis cõtinetur ſub viſibili vocatorũ cœtu: & Eccleſia vocatorum latior eſt, quàm electorum: multi enim ſunt vocati, ſed pauci electi, *Matth.* 20.*v.*16. Extra cœtum igitur vocatorum non ſunt quærendi electi.

67. 3. Eccleſiam dici viſibilem propter verbi prædicationem, & uſum Sacramentorum; Inviſibilem reſpectu Electionis, veræ fidei, & internorum donorum Spiritus S. quæ humanis oculis perſpici nequeunt. 4. Vel viſibilem eam dici reſpectu materiæ; Inviſibilem reſpectu internæ formæ: Qui igitur videntur à nobis ut homines corporei, non videntur ut homines electi. Eccleſia igitur electorum dicitur inviſibilis, non quaſi pii per orbem diſperſi ratione ſuæ perſonæ non videantur; Sed reſpectu electionis, & fidei.

68. 5. Diſcrimen Eccleſiæ viſibilis, & inviſibilis à Pontificiis tum ſubverti poſſe, quando ſuſtulerunt diſcrimen Electorum & vocatorum. 6. Judicium aliquod fieri quidem poſſe ex effectis, ſeu bonis operibus de Eccleſiâ inviſibili; ſed illud tantum eſſe probabile, & non infallibile. Falluntur enim ſæpe pii de aliis bene ſperantes, ut Samuel de Saule. Et Paulus nomine Dæmæ ſalutat Eccleſiam Colloſſenſium, ſed poſteà de eo ſcribit, 2.

Tim. 4.v.90. Demas me dereliquit amplexus præsens sæculum. Exemplo igitur Petri dicamus 1.Ep.5.v.12. Per Sylvanum fidelem fratrem, ut arbitror.

69. Quæstio quarta: *An Ecclesia possit errare?*

70. Resp. Pontificii, ut infallibilem authoritatem traditionibus suis concilient Ecclesiam, ajunt, non posse errare. Nomine verò *Ecclesiæ* intelligunt solam Ecclesiam Romanam, cujus decreta statuunt esse rata, & firma habenda: *Eckius in Enchir. Tit.1.pag.3.* Ecclesia, inquit, non errat non modò, quia semper habet sponsum Christum, sed etiam quia regitur magisterio Spiritus S. ipsam nunquam deserentis. *Canus in locis Theol.lib.4.cap.4.pag.124.* Ecclesiam in fide errare non posse, sic à fidelibus accipiendum est, ut quicquid Ecclesia tanquam fidei dogma tenet, verum sit, nec quicquam falsum quod illa credit, aut docet esse credendum. *Johannes Rossensis, Episcopus Cantabrigiensis in Confut. Assert. Mart. Lutheri Art.* 28. Ego certe persuasissimum habeo, Ecclesiam errare non posse, in ijs, quæ ad substantiam fidei pertinent. *Bellarminus lib.2.de concil. c.2.* Ecclesia non potest errare, neque in credendo, neque in docendo. *Lib.3.de Eccles.cap.14.* Nostra, inquit, sententia est, Ecclesiam absolutè non posse errare, nec in rebus absolutè necessariis, nec in aliis, quæ credenda, vel facienda nobis proponit, sive habeantur expressè in Scriptura, sive non. *Lib.4.de Pontif.Rom.cap.4.* Romana particularis Ecclesia non potest errare in fide. *Lib.3.de Eccl. cap.10.* Romana Ecclesia particularis non potest destitui verâ fide *Costerus in Enchir.cap.3.de Eccl.pag.71.72.* In Ecclesiâ solâ vera est notitia Dei, divinarumque rerum nullo permista errore intelligentia, atque ita constans Christi Spiritu directore, ut error in fide apud illam locum habere nequeat. *Pistorius in Hodeg.cap.de Eccl.* Romana Ecclesia nunquam ne minimum quidem errare potuit, aliàs totam Ecclesiam errare oportuit.

71. Contra ex scripturâ docent protestantes. *Licet Ecclesia universalis actu nunquam simul erret: Attamen eam absolutè & in se spectatâ non ita regi à Sp. S. ut nunquam in illis, quæ ad fidem spectant, errare possit.*

72. Propositionis igitur hujus: *Ecclesia potest errare,* & subjectum & prædicatum est bene considerandum. *Subjectum est Ecclesia,* quæ est universalis, vel particularis. Universalis Ecclesia Pontificiis est cœtus hominum Christi nomen profitentium, hoc est,

Ecclesia universalis est visibilis ille cœtus consideratus ratione usus Sacramentorum & prædicationis verbi: Hoc sensu Ecclesia catholica Pontificiis est Ecclesia Romana. Orthodoxis Theologis Ecclesia universalis est in primis universalis cœtus verè credentiũ ubivis locorum degentium: Priori sensu Ecclesia sæpe erravit, & errat; Sed posteriori sensu cœtus ille totus actu simul nunquam errat in fundamento, licet unus sæpe post alium, sed non finaliter. Actu verò totus ille cœtus nunquam simul erat, non quasi fidelium hæc sit natura, quod in hac vitâ ab omni errore sint immunes; sed ob promissiones ipsi factas. Nam 1. Portæ inferorum non valebunt adversus Ecclesiam *Matt.16.v.18.* 2. Christus promittit, se affuturum Ecclesiæ suæ usque ad consummationem seculi, *Matt.28.v.20* Apostolus mortem Domini annunciare jubet donec ad judicium veniat, 1. *Cor.11.v.26*, 3. Christus est caput Ecclesiæ, & sponsus. At caput non est sine membris, & sponsus non sine sponsa. 4. Credimus igitur Ecclesiam catholicam.

73. Particularis Ecclesia non tantum sæpe erat, sed aliqua sæpe deficit, teste ipsa experientiâ.

74. *Prædicatum est errare*: Error verò est doctrinæ vel morum: In moribus Ecclesia universalis potest quidem errare, sed non tota simul in doctrinâ.

75. Quare errant Pontificii statuentes Ecclesiã universalẽ seu catholicam, non posse errare in explicatione & applicatione. *In explicatione*, quia nomine Ecclesiæ universalis intelligunt Ecclesiam visibilem Christi nomen ore profitentem, & quidem Ecclesiam Romanam, seu pontificiam. Salvatot dicit, *Matt.7,v.23.* Multi dicent mihi in die illo, Domine Dñe, nonne per nomen tuum prophetavimus, & per nomen tuũ Dæmonia ejecimus, &c. Ac tũ confitebor illis, nunquã novi vos. Deinde Pontificii promissiones has absolutè intelligunt; Scriptura conditionaliter ut vel colligitur ex adjecta particulâ conditionali, *Joh.8.v.31.* Si vos manseritis in sermone meo verè discipuli mei estis. *Joh.15.v.6.* Si quis in me nõ mãserit ejectus est foras *Heb.6.v.3.14. Domus* Dei summus si fiduciã & gloriã spei usq; ad finẽ firmã retineam? 1. *Jo.2.18.24.* Si permãserit in vobis, q̃ ab initio audivistis, & vos in Filio & Patre pmanebitis Cętus igit̃ Electorũ põt errare, licet neq; actu simul, neq; finaliter

Ecclesię particulares omnes sigillatim possunt errare, licet universalis actu simul non erret. In applicatione errant, quia promissiones illas applicant ad certum locum, & successionem; At Scriptura applicat iis, qui verè credunt.

75. His sic positis *Ecclesiam visibilem errare posse* ex parte ostendimus in Disputationibus de conciliis, & de Pontifice Romano. Quare hoc loco erimus breviores.

76. 1. Si Ecclesia simpliciter, & absolutè errare non potest, nec errat, frustrà Prophetæ, Christus, Apostoli & reliqui ministri eam monent, ut ab errore sibi caveat. *Matt.7.v.15.c.24.v.23.24. Act.* 20.*v.*28.29.30.31.2.*Cor.*11.*v.*2.*Gal.*3.*v.*1.*Rom.*21.*v.*20.21.1.*Joh.*4.*v.*1. *Apoc.*2 *v.*5. At consequens impium & absurdum est: Frustraneæ enim non sunt adhortationes Spiritus S. communiter dicitur: *Deus & natura nihil faciunt frustrà.* Ergo, &c.

77. 2. Qui ex parte cognoscunt, illi errare possunt. Atqui ecclesia militans ex parte cognoscit, 1.*Cor.*13.*v.*9. Cognoscimus *hic* ex parte. *Psal.*19. Delicta quis intelligit. *Heb.*5.*v.*2. Christus ignorantibus, & errantibus nobis succurrit. *Rom.*3.*vers.* 4. omnis homo mendax. Humanum igitur est errare. Ergo.

78. 3. *Eccles.*7.*v.*21. Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. *Jac.*3.*v.*2. In multis labimur omnes. Propterea *Matt.*6. Precari jubemur, ne Deus in tentationem nos inducat. Cum igitur Ecclesia possit peccare, potest eadem etiam errare Nam peccare, quod est vitium voluntatis, non est minus quam errare, quod est mente, & intellectu hallucinari. Et ex eodem fonte nimirum ex corruptâ naturâ, promanant peccatum & error. Cum igitur voluntas non sit, ita confirmatus in bono ut omnis peccati sit expers, nec intellectus ita est collustratus lumine divini verbi, ut ab omni errore sit immunis.

79. 4. Quod Christus & Spiritus S. per Apostolos prædixerunt, illud est possibile. Atqui prædixerunt, futurum, ut Ecclesia in errorem labatur, *Matt.*24.*v.*24. *Act.*20.*v.*30.1.*Tim.*4.*v.*1.2.*Pet.* 2.*v.*1.2. Ergo.

80. 5. *Idem declaramus exemplis:* Nam Adamus, & Eva graviter sunt lapsi & errarunt *Gen.*3 *v.*6. Atqui Adamus & Eva fuerunt vera Ecclesia. Ergo vera Ecclesia actu aliquando erravit. Si igitur

Ecclesia

Ecclesia ante lapsum potuit errare, multo magis post lapsum errare potest: illud enim, quod est impurum, magis pronum est ad errandum, quam illud, quod est purum, & incontaminatum.

81. excipit *Bellarminus p.*194. dupliciter, 1 Si primos parentes peccasse, est Ecclesiam defecisse, tunc non solum visibilis, sed etiam invisibilis Ecclesia defecit 2. Tunc non fuit Ecclesia: Nec enim duo homines sunt Ecclesia, sed tantum fuit initium Ecclesiæ. Addo, quod caput Ecclesiæ non possit quidem errare docendo falsam doctrinam, sed errare potest malè vivendo.

82. Resp. 1. Deficere aliud est temporale, & aliud finale: Defecerunt primi parentes temporaliter, & non finaliter: Quo modo Ecclesia etiam invisibilis deficere potest, 2. Æstimatur Ecclesia non ex multitudine, sed ex fine, Unde ipse dicit Christus, *Matt.*18.*v.*20. Ubi sunt duo vel tres congregati. Et unius domus familia nominatur Ecclesia Christiana *Rom.16.v.5.1.Cor.16.v.* 19.*Col.4.v.*14.*Eph.adphi.v.*2. 3. Quicunque errare potest malè vivendo, is errare omninò etiam potest falsam doctrinam docendo quia eadem est erroris causa, idem fons, nempe depravatum cor humanum.

83. 6. Idem innumerabilibus ferè probamus exemplis de Ecclesia post lapsum: Nam Ecclesiam Patriarcharum ante diluvium errasse docetur, *Gen.6.&* 7. Post diluvium Ecclesia itidem aliquoties erravit, ut *Exo.32.v.1. Jud.2.v.*10.*1.Reg.14.v.22.cap.22.v.*5 6.24.*2.Reg.16.v.11.cap.22.v.*8.*2.Par.11.22.28.Esai.42.v.19.Ezech.16. v.51.Dan.9.v.11.*

84. *Dicis, falsos illos fuisse Prophetas.* Resp. Videri omninò voluerunt Prophetæ Domini: Resp.*1.Reg.22.v.*5.6. Josaphat dicit, require obsecro hodie verbum Jehovæ. Thnc congregavit Rex Israël quatringentos illos Prophetas.

85. *Inquis, non in omni tribu errasse Prophetas, cum in tribu Juda ab errore fuerint* immunes. Resp. 1. Urias ad mandatum Regis Judæ Achaz extruit altare idololatricum ad exemplar, & similitudinem ejûs, quod Rex Damasci viderat, 2.*Reg.16.v.*11. 1. Rex Achoz clausit januas templi Dei, & fecit altaria in universalis angulis Jerusalem, 2.*Par.28.v.*24.

86. *Pergis, à Synagogâ ad Ecclesiã inquiens argumentari nõ licet.*

86. Resp.1.Præeuntem habemus Apostolum *Rom.11.v.3.4.* 5. 2.Ecclesia V.& N.Testamenti communes habet promissiones, & Dei præsentiam; Imò Synagoga commendatur præ Ecclesiâ in Scripturis, excellentiores habuit promissiones, & cum Deo arctius fuit conjuncta. 3.Facilius est excindi oleastros præter naturam insitos, quâm nativos ramos, *Rom.*11.

87. Denique Ecclesias N.Testamenti errare potuisse,& aliquando erasse,ut Corinthiorum,Romanorum, Galatarum, Ephesiorum,&c. patet ex Epistolis his Ecclesiis inscriptis.

88. Quæstio quinta: *An Ecclesia possit deficere?*

89. Resp.Gloriantur pontificii vi divinæ promissionis, & beneficio continuæ Episcoporum successionis nunquam defecisse,nec posse deficere unquam Ecclesiam Romanam.Unde *Bellarmin.lib.4.de pontif.Rom.c.4.*Non solum, inquit, pontifex Romanus non potest errare,sed neque Romana particularis Ecclesia. *Et libr. 3.de Eccles.cap.13.* Probare, inquit, volumus, Ecclesiam visibilem non posse deficere.

90. Protestantes verò videntes studiosè à pontificiis involvi statum controversiæ,hunc ante omnia evolvendum esse docet. Repetunt igitur distinctionem inter Ecclesiam universalé, & particularem: Illa licet aliquando obscuretur,& instar lunæ Ecclipsin patiatur, nunquam tamen deficit,& excinditur: Semper n. Deus aliquam in mundo servat Ecclesiolam,quæ genua coram Baal non flectit,*1.Reg.19.v.15.* Particulares Ecclesiæ non tantum temporaliter, sed etiam finaliter possunt deficere.

91. Quare duo docent,1.Ecclesiam universalem visibilem ita posse deficere, ut retento splendore interno,amittat splendorem externum, lucem, gloriam, lateat oculos hominum,in latebras se abdat, & in paucis hominibus consistat, h.e. licet sit superstes, deficere tamen potest respectu externi splendoris, qui consistit in hominum frequentiâ, à persecutionibus tranquillitate, & Ministerio verbi incorrupto.

92. 2. *Particularem hanc, vel illam Ecclesiam interire posse*, h.e. quo in loco Deus sibi per prædicationem verbi, & Sacramẽtorum usum hodie Ecclesiam colligit,ex eo per persecutiones,&hæreses, expelli,adeoq; totaliter deficere potest, cum nulli particulari Ecclesiæ

clesiæ perpetuæ diuturnitatis sit facta promissio, idque colligitur ex multis Ecclesiis, quæ ab Apostolis fuerant plantatæ,& posteà interierunt.

93. Confirmamus sententiam hanc 1.*ab exemplo Ecclesiæ Israeliticæ tempore Aaronis.* Nam Aaron summus pontifex proposuit vitulum adorandum,& totus populus clamavit: Hi sunt Dii tui Israël,*Exo.*32.*v.*4. Totus populus Israëliticus, in quo solo sincerus, & purus Dei cultus publicè vigebat,à Deo defecit. Ergo quędā Ecclesia defecit amittendo saltē externum splendorem,lucem &gloriā. Fuisse quosdam ex Israëliticis, quibus idololatria illa displicuit, non negamus,quia 1.*Cor.*10.*v.*7 Dicuntur quidam illorū simulachrorū cultores; Sed illi non erant conspicui,sed occulti.

94. Exceptio *Bellarmini hæc est lib.*3.*de Eccl.c.*16.*p.*194. Dico eo tempore neque caput,neque corpus Ecclesiæ defecisse : Nam caput erat solus Moses,quem certum est non errasse.Aaron siquidem nondum erat Pontifex: Nam posteà factus est,ut patet *Exod.* 4.Non etiam corpus defecit : Nam omnes Levitæ immunes fuerunt ab eo peccato,ut patet ex 32.cap.

95. Resp.1.Moses fuit quidem gubernator,& Mediator populi,sed non summus Pontifex,quia Aaroni ex mandato divino munus hoc fuit assignatum;Consecravit quidem Aaronem sed ex peculiari Dei mandato.Legitur in editione vulgatâ *Psal.*99.*v.*6. Moses,& Aaron in Sacerdotibus ejus. Verùm ex fonte alii respōdent viros intelligi primarios,ut &2.*Reg.*8.*v* 28.Sed causę nihil decedit, si dixerimus, antequam Sacerdōtiūm Aaronis familiæ divinitùs esset traditum, Mosen loco Pontificis populo præfuisse: & posteà etiam ea,quæ in Sacerdotali munere sunt præcipue administrasse Unde etiam *Heb.*3. tanqam fidelis pontifex in totâ Domo Dei,& typus Christi summi Pontificis nostri inducitur 2. Aaron vi legitimæ vocationis est factus Sacerdos *Heb.*5.*v.*4. At μοσχολατρείαν illam vocatio Aaronis ad summum sacerdotium præcessiet,*Exo.*28. 3.Nullos Levitas in idololatriam illam consensisse,& Principi hujus familiæ Aaroni subscripsisse,verisimile nō est 4.Quod ipsi *Exo.* 32.*v.*26. ad Mosen congregantur,id arguit,pœnitentiā eos egisse.

96. 2. *Ab Ecclesiâ Judæorum tempore Elia*,1.*Reg.*19..*v.*10. 14.Illa n.in tantas redacta est angustias,ut præter unū nullus Deū verū colere

colere videretur. Ergo defecit externum emittendo splendorem, lucem,& gloriam.

67. Quod obiicit Bellarminus, præter Eliam multos supermansisse alios fideles, id extra controversiam est. Omnium verò oculis eos expositos fuisse negatur, cum ne quidem Prophetæ Eliæ illi fuerint cogniti. Unde non ad aliam fugiebat Ecclesiam, sed in desertum,

98. 3. *Ex facto Achaz*, 2. *Chronic.* 28. *v.* 24. Rex impius Achaz occlusit fores domus Domini, & ita publicum religionis exercitium impedivit, ut nemini liceret publice religionem profiteri. Quare tunc Ecclesia externum amisit splendorem. *amissis enim illis omnibus, quæ ad externam requiruntur cultum, & ad publicum religionis exercitium amittitur Ecclesiæ splendor. Atqui illa omnia amittebantur in Ecclesiâ Judaicâ tempore Achaz. Ergo.*

99. 4. *Ex testimonio* Jer. 2. *v.* 26. Confusi sunt domus Israël ipsi & Reges eorum, & Principes eorum & Sacerdotes, & Prophetæ eorum dicentes ligno, Pater meus es tu: Hinc inferimus: *Si Reges, Principes, Sacerdotes, & Prophetæ defecerunt, Ecclesia defecit, saltem quoad externum splendorem & publicum ministerium. At verum primum. Ergo.*

100. 5. *A temporibus illis, quibus visibiliter in his terris versatus est Christus*: Nam tempore illo Ecclesia erat in paucis & obscuris hominibus, contra Pontifices, Scribæ, Pharisæi, Principes Sacerdotum, & Seniores eximium præ se splendorem ferebant. Defecit igitur aliquando Ecclesia amittendo externum splendorem.

101. 6. *A simili*: Nam *Matt.* 13. *v.* 44. Comparatur Ecclesia thesauro in agro abscondito, reti, quod, quando in aquis est, non videtur, itidem preciosæ margaritæ. Facies igitur Ecclesiæ non semper est una & eadem. Unde etiam rectè cum Lunâ confertur. Atq; hic etiam non incommodè duplex Christi status exinanitionis, & exaltationis refertur.

102. 7. *A persecutionibus, & hæresibus*: Si enim Ecclesia est semper splendida, & gloriosa, immunis & libera erit à persecutionibus & hæresibus: Siquidem hæ sæpe eam ita offuscant, ut ubi sit, ignoretur. At non hoc. Ergo.

FINIS DISPVT. XI.

DE PAPISMO

DISPVTATIO XII.

Et quidem in specie

DE

ECCLESIÆ AVTHORITATE respectiva & Ecclesiæ notis.

In qua

Christo Duce & auspice Christo

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS GISENII,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS,
ET ORDINARII IN INCLY-
ta Academiâ Giſſenâ Pro-
feſſoris,

RESPONDEBIT

M. WENEMARUS ELBERUS, HATTIN-
genſis Marcâ-Weſtphalus.

In Auditorio Theologico ad diem 28. Januar. horis ante-meridianis & pomeridianis.

GIESSÆ CATTORUM,
Ex officina libraria Caſparis Chemlini.

cIↃ IↃ cXVIII.

DISPUTATIO DUODECIMA
DE ECCLESIÆ AUTHORITATE respectiva & Ecclesiæ notis.

THESIS I.

PRÆFERUNT Pontificii Ecclesiam scripturæ. Cum igitur inter alia præcedente Disputatione de authoritate Ecclesiæ egerimus absolutâ, pergimus considerare authoritatem ejus respectivam, notasque Ecclesiæ veras, & falsas.

2. Quæstio prima: *Num Ecclesia sit Scripturâ notior?*

3. Resp. Tantum oportet, Ecclesiæ assignemus, quantum ei convenit: Quemadmodum enim Cæsari sunt danda, quæ sunt Cæsaris: ita Ecclesiæ, quæ sunt Ecclesiæ. Insigni igitur Ecclesiam authoritate esse præditam, plurima docent Scriptura testimonia. At ut nonnulli Politici eam nimium extenuant, ita Pontificii eam in primis in relatione ad Scripturam, nimium elevant.

4. Inde variis modis Scripturam sacram, nescio cujus insimulant: *Andradius Hispanus*, Scripturas indigitabat nasum flexibilem: Melchior canus, judicem mortuum, Latomus, obscuram & ambiguam: *Florobellus*, mutam, & elinguem. *Petrus Sotus*, rem parvi, aut nullius momenti, cui cũ Sp. S. nihil sit negotii, literam itẽ occidentem, non hominum cordibus, sed membranis, & tabulis mandatam. *Canisius*, imperfectã, mutilam, mancam, nasum cereum. Alii, materiam litis, atramentum sutorium, Pythagoræ principia, regulam plumbeam, literam mortuam. *Hosius lib. 3.* de authorit. scripturar. affirmare non veretur, scripturas sacras, nisi ab Ecclesiâ mutuentur authoritatem aliquam haud plus valituras, quàm valent fabulæ Æsopicæ.

5. Quanquam verò hodie Jesuitarum antesignani ejusmodi horrendas voces non evomunt, & scripturas sacras pluris facere videntur, in eo tamen conveniunt 1. Quod scripturarum authoritas dependeat ab Ecclesia. 2. Quod in assignando vero scripturæ sensu sit respiciendum ad Ecclesiæ authoritatem, sine quâ neno possit scripturam interpretari. 3. Quod major in dijudicandis controversiis Ecclesiæ, quàm scripturæ sit authoritas. De his verò in Disputationibus de scripturâ sacrâ egimus, ad quas remittimus. Hoc loco alia percurrimus.

6, Pontificii igitur Ecclesiam faciunt notiorem scripturâ. Unde quæstionem dubiam, & controversam explicandam & decidendam esse statuunt non ex scriptura; Sed ex consensu Ecclesiæ.

7. Verum vanum hoc esse figmentum facilè patet. Nam 1. Scriptura tanquam causa proxima procreat, & efficit Ecclesiam: Evangelium enim est potentia Dei ad salutem omni credenti, *Rom.* 1. *v.* 16. Doctrina, quæ fidem gignit, *Rom.* 10. *v.* 17. Evangelium, per quod filii Dei gignimur, 1. *Cor.* 4. *v.* 15. Per quod Spiritum S. accipimus. *Gal.* 3. *v.* 2. Per quod cohæredes, & consortes promissionis in Christo reddimur, *Eph.* 3. *v.* 6. Verbum per quod credimus, *Joh.* 17. *v.* 20 Per quod salvamur, *Act.* 11. *v.* 14. Ergo scriptura est notior, quàm Ecclesia: Et per consequens de Ecclesiâ statuendum est ex scripturâ, & non contrà: Attestantibus enim logicis, & theologis: Tum demum rem cognoscimus, quando causam ejus veram cognitam habemus. Aspiciamus ergò ad petram unde excisi, & ad fossam cisternæ, unde effossi sumus *Esa.* 51. *v.* 1.

8. 2. Illa est vera Ecclesiæ doctrina, quæ scripturis est consentanea, juxta illud, ad legem & testimonium, si non dixerint secundum verbum hoc, non erit eis matutina lux, *Esai.* 8. Et si quis aliud verbum evangelizaverit præterquam Apostoli evangelizarunt, & cõsequenter scripserunt, anathema sit *Gal.* 1. *Rom.* 12. *v.* 6. Prophetia sit κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως. Ergo ex scripturis tanquam notioribus de Ecclesiâ, ejusq; doctrina fieri debet judicium: Et per consequens scriptura est notior Ecclasiâ.

9. 3. Ecclesiæ doctrina aut desumitur ex ipsâ scripturâ, aut ex humano cerebro: Si ex ipsâ scripturâ, sequitur Ecclesiâ scripturâ esse notiorem; Si ex humano cerebro, in theologia non admittitur:

titur: Fruſtrâenim colitur Deus mandatis hominum. Et ſcriptura non eſt propriæ explicationis 2.*Pet.*1.*v.*19.20.21.Habemus firmiorem ſermonem ptopheticum, cui dum attenditis, ceu lucernæ apparenti in obſcuro loco rectè facitis, donec dies illuceſcat, & lucifer exoriatur in cordib.veſtris.Si illud prius noveritis, quod omnis prophetica ſcriptura non ſit privatæ interpretationis. Non enim voluntate hominis allata eſt olim prophetia,ſed à Spiritu S.impulſi locuti ſunt ſancti Dei homines.

10. Denique diſtinguimus inter externa hominum corpora, & ipſam Eccleſiæ naturam, inter notitiam confuſam & diſcretam inter Eccleſiam ſimpliciter ſic dictam,& Eccleſiam veram: Quamvis forte nõ negetur notitiâ cõfusâ nobis prius innoteſcere eſſe aliquam Eccleſiã viſibilem,quam conſtet eſſe ſcripturam. Naturæ tamen ordine,& ſecundum diſcretam notitiam prior,& notior eſt Scriptura,quàm Eccleſia vera: Nam ex ſcripturis demum de Eccleſiæ qualitate fieri poteſt,& debet judicium tanquam ex principio de ſuo principiato.

11. Quæſtio ſecunda: *An pura.& ſincera verbi divini prædicatio,atque legitimus,& ſincerus Sacramentorum uſus ſint veræ Eccleſiæ notæ?*

12. Reſp. *Bellarminus lib.*4.*de Eccleſ.cap.*2.*pag.*203.Si in hac, inquit,controverſia conveniremus, reliquæ omnes componerentur. Sententiam verò Proteſtantium docentium ſinceram divini verbi prædicationem,& legitimum Sacramentorum uſum eſſe veras Eccleſiæ notas oppugnat *cap.*2.

13. Quare confirmamus eam his fundamentis. 1. Quo Eccleſia gignitur,& conſervatur,illud eſt vera ejus nota. Atqui ſincerâ verbi prædicatione,& legitimo Sacramentorum uſu Eccleſia vera gignitur, & conſervatur, *Matt.*28.*v.*19.1.*Cor.*4.*v.*11.*Tit.*3.*v.*5.1.*Pet.*1.*v.*23.*Jacob.*1.*v.*18.Ergo.

14. 2. Quod Eccleſiam veram certò,& infallibiter oſtendit, eamque à quibusvis aliis cætibus certò diſcernit,illud eſt nota ejus certa,& infallibilis. Atqui ſincera verbi prædicatio, & legitimus Sacramentorum uſus Eccleſiam veram oſtendit, & ab aliis quibuſvis cætibus diſcernit. Ergo. Minoris ratio hæc eſt 1. Notæ hæ ſunt Eccleſiæ proprium officium,& effectum: Ex proprio verò effecto propria oſtenditur cauſa, ſicut ex proprio officio proprium ſubjectum.

15. Quas notas Christus Ecclesiæ constituit, easdem & nos agnoscamus oportet. Atqui Christus legitimam prædicationem verbi, & sincerum Sacramentorum usum Ecclesiæ suæ constituit notas. Ergo. Minoris veritatem evincimus ex scripturâ: *Johã. 8. v. 47.* legimus: Qui ex Deo est, verba Dei audit. *Johan. 10. v. 27.* Oves meæ vocem meam audiunt. *Gal. 1. v. 8.* Si vel nos, vel angelus de Cœlo Evangelizaverit vobis præter id, quod evangelizavimus vobis, anathema sit. 2. *Joh. v, 9.* Omnis, qui transgreditur, & non manet in doctrinâ Christi, Deum non habet: Qui autem manet in doctrinâ Christi, hic & patrem, & filium habet. Et *ver. 10.* Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis.

16. 4. Notæ hæ Ecclesiæ soli, & semper conveniunt. Ipse *Bellarminus lib. 4. c. 12.* Sola vera Ecclesia, inquit, habet doctrinam immaculatam. 5. Eædem notæ Ecclesiæ veræ adæquantur: Ubi enim est Ecclesia vera, ibi est sincera verbi prædicatio, & legitimus Sacramentorum usus. Ecclesiæ igitur visibilis sunt notæ. 6. Notæ eædem ab Ecclesiâ verâ nunquam possunt separari: Non igitur fictæ, sed veræ sunt notæ. 7. Accedit quod notæ hæ sint bona Ecclesiæ, *Esa 59. v. 21. Matt. 13. v. 24.* 8. Quare Ecclesia ad has notas tanquam ad normam fidei, & morum est astricta

17. Addimus. 1. Notas has esse notas Ecclesiæ veræ visibilis sub qua continetur Ecclesia invisibilis. 2. Notas has esse causam instrumentalem Ecclesiæ simpliciter ita dictæ; formalem si modus attendatur, dum Ecclesia discit; officium & effectum Ecclesiæ constitutæ. 3. Discernendos esse errores, qui admiscentur doctrinæ Evangelicæ ab ipsâ doctrinâ Evangelicâ: Aliud enim est error Doctoris, & aliud error doctrinæ. 4. Ecclesiam in puritate suos habere gradus, non aliter ac luna sua habet decrementa, & incrementa.

18. At scribit *Bellarminus pag. 204.* ex notis istis non posse cognosci, qui sint electi, & justi. Non esse igitur eas sufficientes.

19. Resp. Confundit Bellarminus distinguẽda: Quæstio enim est, nõ de notis Ecclesiæ invisibilis, quæ soli Deo est cognita; Sed de notis Ecclesiæ visibilis, quibus nimirum hæc, in qua est cœtus verè credentium, & Electorum notis innotescat.

20. *Instat*

20. *Instat ipse*: Notæ debent esse notiores eâ re, cujus sunt notæ. At sine dubio notius est, quæ sit vera Ecclesia, quam sit vera prædicatio: Nam id ab Ecclesia discimus: Siquidem vera prædicatio est prædicatio, & interpretatio scripturæ divinæ. Quæ sit autẽ vera scriptura, & quis verus ejus sensus, non possumus scire, nisi ex testimonio veræ Ecclesiæ. Ergo potius Ecclesia est nota veræ prædicationis, quam vera prædicatio sit nota veræ Ecclesiæ.

21. Resp. Ad effugiũ hoc in præcedente respõdimus quæstione: Addimus duo. 1. Distinguendũ esse inter illud, q̃ nobis est notius, & q̃ notius est naturâ. Prædicatio verbi est Ecclesiâ notior naturâ & reipsa. Gignitur enim ex scriptura. Ergo est effectus scripturę. 2. Ex Ecclesia cognosci scripturæ sensum non simpliciter, & secundum se ipsam; sed per aliud, nempe quatenus ex scripturâ omnia depromit.

22. *Pergit ipse*: Notæ, inquiens, debent esse propriæ, nõ cõmunes. Atqui sincera veritatis prædicatio est nota communissima omnibus sectis ad minimum opinione ipsarum sectarum. Ergo.

23. Resp. 1. Prædicatio verbi est communis φαινομένως, nõ ὄντως apparenter, non verè. Non verò sequitur: Sectæ nonnullæ sibi falso vendicant Ecclesiæ notas. Ergo non sunt Ecclesiæ propriæ, sicut nec sequitur, latro spoliare te conatur tuis bonis Ergo non sunt tibi propria. 2. Quod addit Bellarminus, notas ne quidẽ opinione hominum debere esse cõmunes, illud absurdum est postulatum: Non statim enim quod hic, vel ille opinatur esse suum, est ipsius proprium. Opinio errantium rem ipsã non mutat. 3. *Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 3. & 6. lib. de unit. Eccl. c. 4.* Omnes hæretici, inquit, ex scripturis falsas, & fallaces suas opiniones conantur defendere, sed manifestissimâ divinorum testimoniorum, & consonâ voce damnantur.

24. Quæstio tertia: *An veræ Ecclesiæ nota sit nomen catholicum?*

25. Resp. Consideratis veris notis, breviter examinabimus falsas, quarum *Bellarmin.* quindecim enumerat: Opponimus istis argumentum hoc in genere: *Omnis nota propria notato debet esse notior, ipsi soli, & semper cõvenire, atq; illud certò, & infallibiliter ostendere: Atqui tales non sunt notæ Pontificiorum. Ergo.* Minoris veritas de singulis ordine est ostendenda.

26. *Cathloicum igitur nomen non est vera Ecclesiæ nota.* 1. Nota

notato competit semper, & cum ipso incipit. Atqui appellatio *catholica*, non competebat Ecclesiæ Apostolicæ. Ergo. *Pacianus in Epist. 1. ad sempron.* scribit: Sub Apostolis nemo appellatus fuit catholicus. Unde multi opinantur, vocabulum illud ab Apostolis Symbolo non esse insertum, nec ab ipsis conscriptum; Sed ponamus ipsos Apostolos inseruisse, certum tamen est tempore Christi, quo vera fuit Ecclesia, non dictam esse prius catholicam, quàm verbum ad omnes gentes perveniret.

27. 2. Quodcunque nomen sibi adscribunt hæretici, illud non est veræ Ecclesiæ nota, quippe quæ uni & soli veræ Ecclesiæ est propria. Atqui nomen catholicum adscribunt sibi hæretici, Ergo. Major est Bellarmini disputantis prædicationem verbi non posse esse Ecclesiæ notam, cum sit omnibus sectis communis. Minorem probant exempla: *Lactantius lib. 4. Instit. cap. 30.* Quia singuli quique cœtus hæreticorum, inquit, se potissimum Christianos, & suam esse catholicam Ecclesiam putant, sciendum est, illam esse veram, in quâ est confessio, & pœnitentia, quæ peccata, & vulnera, quibus subjecta est imbecillitas carnis, salubriter curat. *Cyprianus scribit de Novatianis Epistol. 73.* Volunt simiarum more, quæ cum homines non sint, homines tamen imitantur, Ecclesiæ catholicæ autoritatem, & veritatem sibi vendicare.

28. 3. Ex hypothesi pontificia nota debet esse nobis notior re notatâ. Atqui appellatio catholica nobis non est notior, quia non incurrit in sensus. Ergo.

29. 4. Ex solo nomine ineptè petuntur pro asserendâ veritate fundamenta. *Augustinus Tract. 5. in Epist. Johan.* Quomodo, inquit, gloriaris, te esse Christianum? Nomen habes, & factum non habes. Si autem nomen secutum fuerit opus, dicat te quispiam paganum, tu factis ostende te Christianum. Nam si factis nō ostendis te Christianum, omnes te Christianum vocent, quid tibi prodest nomen, ubi res non invenitur.

30. Obiicit Bellarminus, Protestantes se non tantum Christianos, sed etiam Lutheranos appellare contra dictum Apostoli 1. *Cor. 3. v. 4.* Resp. 1. Nomen hoc sibi ipsi non sumpserunt, sed ab aliis est ipsis impositum. 2. Distinguimus inter nomen doctrinæ seu magisterii, & confessionis, seu ministerii: Nomen hoc

est

est nomen confessionis, & ministerii, quo nos ab aliis hæreticis sejungimus. Inter Apostolos verò summa erat consensio in doctrina. Discipulis igitur ipsorum non conveniebant diversa nomina. 3. Et si nemo simpliciter ab homine potest nominari, Pontificii nequeunt à Papa nominari Papistæ. Non poteris provocare ad Petrum, quippe qui Papa non est dictus.

31. Deinde ut constet, quænam Ecclesia verè possit nominari, & sit catholica, ratio notationis, est indaganda. *Catholica igitur est Ecclesia* 1. quia est Christiana. 2. quia non est hæretica 3. quia est custos, testis, & vindex fidei, & doctinæ catholicæ, Propheticæ & Apostolicæ. 4. quia ipsa universalis Ecclesias particulares omnes ambitu suo complectitur .5. quia in N Testamento ex Judæis pariter, ac gentibus est collecta. 6. quia ad nullum certum locum est alligata, sicut Synagoga pontificia se urbi Romæ alligat, conferatur D. Hunnius in loco de Eccl. pag. 73.

32. Vel Ecclesiam dicimus catholicam. 1. ratione ἀνλήψεως, ut opponatur Ecclesiæ judaicæ ad certum populum alligatæ, & aliis particularibus Ecclesiis. Nam in V Testamento Ecclesia ordinariè erat alligata ad unam aliquam nationem, certam gentem, ac populum, adeoque ad unum certum locum: Ita ut ad illam congregationem oportuerint sese adjungere quicunque volebãt esse membra Ecclesiæ: Et hi vocabantur εὐσεβεῖς, *Act.* 1. *v.* 10 & viri religiosi *ibidem v.* 1. 2. Respectu corporis mystici, cujus caput est Christus, hoc est, principaliter respectu electorum: Credimus enim Ecclesiam catholicam. 3. Ratione durationis: Omnibus enim temporibus usque ad finem mundi Ecclesia aliquâ est futura. juxta illud Christi, *Matth.* 28. *v.* 20. Ego sum vobiscum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Et hoc Pauli, 1. *Cor.* 11. *v.* 26. Mortem Domini annunciabitis; donec veniat. 4. Ratione catholicæ doctrinæ. Quare vera notatio vocabuli hujus percipitur, si respiciatur. 1. ad locum· 2. ad tempus 3. ad qualitatem doctrnæ. 4. Ad populos. Conferatur *L. cunctos populos C. de summ. Trinit. & fid. cathol.*

33. Ex his judicium fieri potest, utrum Synagoga pontificia sit Ecclesia catholica; An verò Ecclesia nostra? Nam illa Ecclesia verè est catholica, quæ amplectitur fidem catholicam, quia fun-

data est super fundamentum Prophetarum,& Apostolorum, Eph. 2.v.20. At Synagoga Romana à fundamento hoc in plurimis discedit, & amplectitur traditiones humanas. Deinde Ecclesia catholica complectitur totum salvandorum numerum.At nō complectitur eum Ecclesia Romana:Non enim omnes fideles fuerunt in Ecclesiâ Romanâ, nec omnibus abominationes pontificiæ fuerunt cognitæ. Deniq; Ecclesiæ catholicæ doctrinæ extitit quovis seculo,licet non eodem modo.At Ecclesiæ Romana quovis seculo nō extitit,ut vel canones Missæ,& aliæ tradiones arguūt. Ergo.

34. Quæstio quarta: *Num antiquitas,sit propria Ecclesiæ nota?*

35. Resp. Antiquitas alia est vera, & alia apparens. Deinde antiquitas alia est,quæ originem suam refert ad Deum, & alia, quæ refert eam ad inventum cujusdam hominis. Denique antiquitas nititur vel veritate cœlesti,vel eâ destituitur. Antiquitas apparens, divinâ revelatione, & doctrinæ cœlestis sinceritate destituta non est Ecclesiæ nota. Nam 1.Quicquid competit etiam congregationi malignantium, illud non est nota propria veræ Ecclesiæ: Proprium enim uni, soli & semper convenit. Atqui antiquitas competit etiam congregationi malignantium. Ergò. Nam Ecclesia est cœtus hominum aliunde evocatorum: At unde evocatur nisi ex congregatione malignantium?

36. 2. Ecclesiæ nota propria competit ei semper, ut docet definitio proprii. Atqui antiquitas non competit Ecclesiæ semper. Ergo. Nam Ecclesia vera aliquando fuit sine antiquitate:Ecclesia V. Testamnti cœpit cum Adamo; Ecclesia N. Testamenti tempore Christi & Apostolorum. Principium verò rei non est antiquum.

37. 3. Quemadmodum igitur hominis vera, & propria nota non est adolescentia, neq; senectus, aut scientia, sed aliquod attributum proprium,& inseparabile: Ita nec Ecclesiæ infallibilis nota est antiquitas, vel similis qualitas separabilis.

38. 4. Nota propria veræ Ecclesiæ alterius testimonio non indiget. Atqui antiquitas alterius testimonio indiget. Ergo. Antiquitas enim à veritate sejuncta est nulla. Hanc verò aliunde nōn habemus,quàm ex doctrinâ Prophetica, & Apostolica, docet id Servator cum Pharisæis conferens: Hi enim in quæstione de divortiis

vertiis provocant ad antiquitatem; Sed Christus remittit eos ad primam & veram antiquitatem, ab initio, inquiens non fuit sic. *Matt.19.v.3.4.* Berrhoenses commendantur, quod judicium fecerint de doctrinâ Pauli, & Silæ ex Scripturis, & non ex apparenti antiquitate, *Act.17.v.11.* Nota igitur veræ antiquitatis est doctrina sacra.

39. 5. Jus igitur Canonicum veritatem anteponit consuetudini. *C.4.veritate.Distin.* 8. legimus: Veritate manifestatâ cedat consuetudo veritati, quis dubitet veritati manifestatæ debere consuetudinẽ cedere? Item nemo consuetudinem rationi, & veritati proponat: quia consuetudinem ratio, & veritas semper excludit.

40. Opponit Bellarminus, Deum, inquiens, ante fuisse, quàm esset Diabolus. Veram igitur Ecclesiam absque dubio antiquiorem esse falsâ. Resp.1 Negat *Bellarminus libr.3.de Eccles. cap.16.* Adamum & Evam fuisse Ecclesiam. Statuit igitur in posteris ipsorum cœpisse Ecclesiam. Colligimus inde, veram & falsam Ecclesiam cœpisse ex ipsius hypothesi simul: illam in Abele; hanc in Caino. 2. Dum veram Ecclesiam antiquiorem falsâ statuimus, non simpliciter ad antiquitatem, sed ad doctrinæ sinceritatem respicimus. 3. Illam igitur Ecclesiam nominamus verè antiquam, quæ doctrinã Propheticam, & Apostolicam servat & retinet integram. Talis verò est Ecccleſia nostra, ut his ipsis Disputationibus ostendimus. 4. Luthetus non novi dogmatis, & novæ Ecclesiæ est author, sed eam miserè fœdatam mundavit, & primævæ integritati restituit.

41. Quæstio quinta: *Num duratio diuturna sit nota propria veræ Ecclesiæ?*

42. Resp. 1. Duratio diuturna non convenit Ecclesiæ soli. Ergo non est ejus propria nota. Nam Satanæ synagoga duravit à primo ortu in hunc diem, & durabit in finem seculi. Ecclesia itidem malignãtium cum Caino cœpit, & duravit usq; ad diluvium; Post diluvium à Chamo est restaurata. *August.lib.de Catech.rud.c.19.* Duæ civitates, inquit, una iniquorum, altera Sanctorum ab initio generis humani usque in finem seculi perducuntur, nunc permixtæ corporibus, sed voluntatibus separatæ, in die judicii verò etiam corpore separandæ.

43. 2. Duratio non competit Ecclesiæ semper. Ergo non est propria eius nota: Multæ enim Ecclesiæ non tantum sæpe fuerunt interruptæ, ut Constantinopolitana, in quâ Macedonio succedebant Gregorius & Nectarius; Sed etiam quædam sæpe deletæ, ut Ephesina, Hierosolymitana, &c. Nullâ verò notâ aliâ innotescere alicui poterat has esse veras Ecclesias, quàm purâ prædicatione verbi, & legitimo Sacramentorum usu. Imò Ecclesia Apostolica, quæ Apostolis viventibus colligebatur, non poterat gloriari de duratione eâ diuturna, quam intelligit Bellarminus. Num igitur falsa illa erat Ecclesia?

44. 3. Duratio dicitur vel respectu præteriti, vel respectu futuri. Respectu præteriti eadem est cum antiquitate. Hujus igitur respectu non esse eam Ecclesiæ notam, ostendimus in quæstione præcedente; Respectu futuri nondum præsens est. Ergo Ecclesiam præsentem nondum notat.

45. Credimus quidem & profitemur, Ecclesiam duraturam usque ad finem seculi ob promissiones divinas ipsi factas; Sed promissiones illæ propriè pertinent non ad hanc, vel illam Ecclesiam particularem, & visibilem, sed ad Ecclesiam catholicam, & invisibilem, quæ est Electorum.

46. Quæstio sexta: *Num amplitudo, & multitudo credentium sit vera, & propria Ecclesiæ nota?*

47. Resp. Ecclesiam dicimus catholicam respectu fidei, & doctrinæ catholicæ. Ergo amplitudo, & multitudo sejuncta à doctrinæ sinceritate non est Ecclesiæ nota. 1. Nam Ecclesia vera est pusillus grex, *Luc.* 12. *v.* 32. Ergo longè major illorum est numerus qui sunt extra, quam intra Ecclesiam, & de Ecclesiâ: Et amplitudinis contrarium de Ecclesiâ verâ prædicatur. 2. Amplitudo & multitudo non competit Ecclesiæ semper. Non est igitur vera ejus nota: Ecclesia enim vera ampla non fuit in principio: Cæpit in V. Testamento cum duobus hominibus. In N. Testamento primùm Judeæ, & Samariæ terminis circumscribebatur. Nec ampla erit in fine mundi. Multi enim surgent Pseudoprophetæ, & seducent multos, *Matt.* 24. *ver.* 11. Erunt in vobis Magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & multi sequentur illorum luxurias, 2. *Pet.* 2. *v.* 1. 2. Cum venerit igitur filius hominis, num invenerit fidem in terra *Luc.* 18. *v.* 7.

dem

48. 3. Amplitudo non competit soli veræ Ecclesiæ. Non est igitur propria ejus nota: Diabolus enim est Princeps hujus mũ, di, dominaturque in omnibus reprobis. Ecclesia igitur Satanæ, seu malignantium amplior est Ecclesia Christi. Declarant id exempla: Mittimus Ecclesias baaliticas tempore Eliæ, ut & Arianorum. De regno Antichristi legimus *Apoc.*13.*v.*8. Admirata est tota terra bestiam, & adoraverunt eam omnes, qui inhabitabant terram, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ.*cap.*17.*v.*11. Meretrix magna sedet super aquas multas.

49. 4. Si verò Ballarminus Amplitudinem non intelligit simpliciter: sed includit credentes, inferimus contra ipsum hoc modo: Quicquid facit ut amplitudo sit nota, illud magis est nota: Atqui fides & doctrina catholica facit ut amplitudo sit nota. Ergo.

50. Quæstio septima: *Num successio localis, & personalis sit propria Ecclesiæ nota?*

51. Resp. 1. Successio non competit Ecclesiæ semper, & perpetuo! Non igitur est propria ejus nota: Ecclesia enim in principio fuit vera, cum nondum esset talis successio: Siquidem Christus non elegit Apostolos ex Levitis, neq; ille ipse successit Aaroni, sed Melchisedecho, & quidem cum ipse annos jam multos desiisset.

52. 2. Quod reperitur in falsâ Ecclesiâ, illud non est nota veræ Ecclesiæ. Atqui successio reperitur etiam in falsa Ecclesiâ. Ergo, *Mat.*23.*v.*2 Sedent scribæ, & Pharisæi in cathedra Mosis. Ergo & illi suam habebant successionem.

53. 3. Nota propria est inseparabilis. Atqui successio est separabilis, quia successio loci à successione doctrinæ separari potest, & sæpe est separata. *Hieronymus* non omnes, inquit, qui loca sanctorum tenent, sunt sancti. Et Chrysostomus, non cathedra, ait, Sacerdotem facit, sed Sacerdos cathedram. De Antichristo legimus, 2.*Thess.*2.*v.*4. quòd in templo Dei sit sessurus, hoc est sub prætextu successionis ab Apostolis dominium sibi in Ecclesia arrogaturus.

54. Successio verò alia est localis & personalis; Alia doctrinalis: Illa est externa, & secundaria; hæc interna, & primaria: Successio personalis & localis nihil valet sine successione doctri-

nali, Apostolus Paulus dicit. *Act.20.v.29.30.* Ego illud scio, lupos graves non parcentes gregi ingressuros esse in vos post discessum meum. Et ex nobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.

54. Quæstio octava: *Num conspiratio in doctrina cum Ecclesia antiqua Patrum sit vera Ecclesiæ nota?*

55. Resp. Nomine doctrinæ antiquæ intelligitur vel doctrina apostolica atq; tum facile subscribimus: Doctrinam enim Apostolicam esse veram Ecclesiæ notam, nos ipsi docemus; vel intelligitur doctrina, quæ post Apostolorum tempora in Ecclesia sonuit: De hac distinctè respondemus.

56. Primò. *Conspiratio igitur cum doctrinâ Patrum non est propria Ecclesiæ nota* 1. Quia non competit Ecclesiæ semper: Nam tempore Christi nulli fuerunt ejusmodi Patres. Dici igitur nequit, eâ Ecclesiam cum Patribus conspirasse. 2. Quia reperitur etiam in Ecclesiâ malignantium: Successores enim cum Antecessoribus conspirant: Non competit igitur soli Ecclesiæ.

57. Secundò, *Patres legendi & audiendi sunt quatenus sequuntur scripturam sacram, quæ sola est fundamentum fidei.* Legendi igitur sunt quidem Patres, sed cum judicio: Ecclesia enim non semper mansit virgo. Quatuor mutationes Ecclesiæ ostendunt alii: 1. Tempore Apostolorum & Martyrum erat pulchrè ornata. 2. Tempore Patrum non nihil maculata. 3. Tempore Antichristi deformata. 4. His ultimis temporibus reformata.

58. Tertiò, *Scripta Patrum non sunt norma fidei.* 1. quia scripturam debemus scrutari sacram, quæ fidem gignit & perfecta, infallibilis & perspicua. 2. quia ipsi Patres scripta sua examinari monent secundum scripturam. 3. quia Patres inter se non per omnia consentiunt. 4. quia multa ipsorum scripta interierunt. 5. quia in multis sæpe errarunt. *Canus lib. 2. Loc. Com. cap. 6.* Non omnia, inquit, qui magni authores scripserunt sunt undique perfecta. Nam labuntur aliquando, ut ille ait, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum suorum voluptati, vulgoque interdum etiam indulgent. *Tannerus th. 83 de Jud. coutrover.* scribit: An fortasse Sancti Patres jam demortui, Patrumque monumenta judices erunt? Neque hoc. Tum quia non minus aliquando de Patrum,

quam

quam de scripturæ sententia propter ambiguitatem, & obscuritatem dubitari potest.

59. Quæstio nona: *Num unio membrorum inter se, & cum capite sit propria Ecclesiæ nota?*

60. Resp. Ecclesiam credimus, & dicimus unam in primis respectu unitatis fidei. Concordia igitur, & unio non simpliciter, & per se est nota Ecclesiæ; Necessùm est, ut fide & doctrinâ nitatur. Quare licet Ecclesia sit una, non tamen quavis consensione & unione in religione ostendi potest vera Ecclesia. 1. Quia non cõpetit soli veræ Ecclesiæ, cum reperiri etiam possit in Ecclesia malignantium. Quemadmodum enim Dei est, una Ecclesia, ita & Diaboli una Babylon. Imò Christus communi Ecclesiæ voto injustè damnabatur. 2. Quia pii etiam in aliquo possùnt dissentire, *Act.* 11. v. 2. Multi cum Petro litigabant, quod proponeret Evangelium gentibus. Et acerrimè olim disputatum est inter Ecclesiam orientalem, & occidentalem de celebrando paschate. Distinguimus igitur inter unitatem absolutam, quę dissensionis omnis est expers, & in Ecclesiâ triumphante habebit locum; atque inter unitatem fundamentalem, quæ consistit in fidei fundamento, seu in ipsis principalibus fidei Articulis: In Ecclesia nostrâ militante licet possint esse sententiæ differentes de adiaphoris, & similibus: In fidei tamen fundamento summa est consensio. Unitas igitur Ecclesiarum nostrarum est Canonica, Ecclesiastica, & symbolica.

61. Quæstio decima: *Num externa sanctæ doctrinæ professio sit vera Ecclesiæ nota?*

62. Resp. Sancta dicitur Ecclesia, 1. Respectu Christi eam sanctificantis, *Eph.* 5. v. 26. 2. Respectu verbi & Sacramentorũ sanctitatem offerentium, & exhibentium. 3. Respectu fidei eam apprehendentis. 4. Respectu sanctitatis Christi per fidem imputatæ. 5. Respectu scopi ultimi, quia contendit ad sanctitatem summam in vitâ æternâ. 6. Respectu inchoatæ obedientiæ. 7. Respectu rerũ sanctarum, in quib. occupatur. Æstimanda igitur est doctrinæ & professionis sanctitas ex conformitate cum Scripturâ sacrâ.

63. Externa sanctæ doctrinæ professio non est nota veræ Ecclesiæ. 1. Quia non cõpetit ei semper, ut ostensum est de Ecclesiâ tempore Eliæ. 2. Quia omnes hæretici suam doctrinam è cœlo

delatam

delatam esse gloriantur. Professio igitur externa est veræ & falsæ Ecclesiæ communis.

64. Si dixeris, hæreticos non verè, sed falsò de sanctitate gloriari. Resp. Judicium de sanctitate doctrinæ esse faciendum ex Scripturâ: Scripturam igitur potius, quàm externam sanctitatis professionem esse Ecclesiæ notam.

65. Quæstio undecima: *An efficacia doctrinæ sit Ecclesiæ nota?*

66. Resp. Efficacia doctrinæ intelligitur vel respectu salutaris conversionis; vel respectu externæ persuasionis: Sensu priori est quidem in Ecclesiâ, sed æstimari non potest ex multitudine hominum. Posteriori sensu non est nota Ecclesiæ. 1. Quia hæretici habere possunt doctrinam, quæ multos fallat, persuadeat, & à multis recipiatur, 1. *Reg.* 22. *v.* 22. 2. *Par.* 18. *v.* 21. *Esa.* 19. *v.* 13. *Matt.* 24. *v.* 24. 2. *Thess.* 2. *v.* 9. 2. *Tim.* 3. *v.* 13. 2. Quia non competit ei semper, *Joh.* 5. *v.* 43. Ego veni in nomine Patris mei & non recipitis me. *Matt.* 23. *v.* 37. Quoties volui vos congregare, sed noluistis.

67. Quæstio duodecima: *An sanctitas vitæ authorum sit vera Ecclesiæ nota?*

68. Resp. Sanctitas alia est interna, quæ in verâ consistit fide & est cordis; alia externa, quæ est oris & operis. De illa nequit judicare homo, cum ejus non pateat aspectui, *Rom.* 10. v. 10. Non est igitur Ecclesiæ visibilis nota. Externa sanctitas est communis. Non igitur est Ecclesiæ propria. De Pharisæis dicit Servator, *Matt.* 23. *v.* 14. quod longas prætendere orationes consueverint. Hæretici habent speciem Pietatis, 2. *Tim.* 3. v. 5. Transfigurant se in Angelos Christi, 2. *Cor.* 11 *v.* 12. Ambulant in humilitate, & religione Angelorum *Col.* 2. *v.* 18. Anabaptistæ quomodo de suâ glorientur sanctitate in colloq. Jever. est videre..

69. Quæstio decimatertia: *Num gloria miraculorum sit infallibilis Ecclesiæ nota?*

70. Resp. 1. Miracula, falsis etiam Doctoribus sunt communia. Non sunt igitur Ecclesiæ veræ propria, & genuina nota. *Matth.* 24. prædixit Christus, quod sint edituri signa, & prodigia. *Exod.* 7. Magi miracula edebant. Pseudoprophetæ signa & portenta dare dicuntur *Deut.* 13. *v.* 1. 2. In N. Testamento Dæmones à se expelli dicunt, *Matt.* 7. *v.* 22. Non evades distinctione inter miracula vera,

vera, & falsa, divina & Diabolica, inter miracula, & mirabilia; Idem enim quod dixeris de miraculis Pseudoprophetarum, dici potest de prodigiis Pontificiorum: Et externâ specie ita sæpe conveniunt, ut nisi ex doctrinâ sacrâ probentur, discerni nequeant.

71. 2. Miracula non conveniunt Ecclesiæ semper: Sunt enim sigilla fidei vel primùm propagandæ, vel jam propagatæ: Ibi Christus suos instruxit dono miraculorum; hîc ea non semper requiruntur: Legi authoritas in monte Sina miraculis fuit conciliata, quæ cessarunt, cum terram promissam populus iste esset ingressus; Et cum Evangelium jam per universum orbem esset annunciatum, eadem sunt sublata. Imò non omnes Prophetæ claruerunt miraculis: Et Johannes Baptista nullum edidit signum, *Joh.10.v.41.* Ipse *Bellarminus fatetur lib.1.de Grat.c.10.* Donum miraculorum à verâ doctrinâ posse separari.

72. 3. Deus potestatem miracula faciendi sæpe falsis Doctoribus ad tempus concedit, & quidem ad tentationem, & probationem piorum, non ad falsorum dogmatum propagationem, *Deut.13.v.3.* Et idem ostendit exemplum Bileami, *Num.24.* Veram igitur Ecclesiam miracula non infallabiliter ostendunt.

73. 4. Pharisaicum, & Judaicum non est nota veræ Ecclesiæ. Atqui signa poscere est Pharisaicum, & Judaicum, *Matth.12.v.38.cap.10.v.1. Marc.8.v.11. Luc.11.v.29. Joh.2.v.19. cap.6.v.30. 1.Cor.1.v.21.* 5. Imò miracula postulare est incredulitatis nota exemplo Phariseorum, & reguli, *Joh.4.v.48.* Non igitur est nota veræ fidei. 6. Miracula sunt ultimis temporibus Antichristi signa, *2.Thess.2.v.9.* Adventus Antichristi erit, secundum operationem Satanæ in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus. *Apoc.13.v.13.* Bestia facit signa magna, ut etiam ignem faciat de cœlo descendere in conspectu hominum. *v.14.* Seducit habitantes in terrâ propter signa, quæ data sunt illi facere in conspectu prioris bestiæ.

74. 7. *Ambrosius super 2.Thess.2.* Antichristus, inquit, signorum virtutibus faciet credibile, se esse Deum, ideò portenta mendacii dixit Apostolus, quia hoc se vult credi Antichristus per signa, quod non est, ut decipiat, quos circumventurus est.

75. 8. Cumq; doctrina, quam inculcavit Lutherus, & à variis superstitionibus repurgavit, non sit nova, sed apostolica ab A-

postolis miraculis plurimis confirmata. Ergo miracula non sunt necessaria. Verè dicit *Augustinus lib.22. de Civit. Dei cap.8.* Quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquiri, magnum est ipse prodigium, quia mundo credente non credit.

75. *Insurgis*, Christum inquiens aliquoties provocasse ad miracula, ut fidem faceret auditoribus suis, ut *Joh.9.v.37.38.* Si non facio opera Patris, nolite mihi credere. Si autem facio & mihi non vultis credere, operibus credite.

76. Resp. I. Alia est conditio Ecclesiæ plantandæ, & alia plantatæ, seu status Ecclesiæ alius est nascentis, & alius adultæ ut modo dictum th. 70, 2 Christus non ad sola provocabat miracula, sed ad doctrinam Mosaicam, & propheticam, *Matt.5.v.17. 6.11.v.3.c.22.v.29. Joh.5.v.39.* Conciones igitur suas præmittebat miraculis. 3. Quare si miracula consentiant cum doctrinâ prophetica, & Apostolicâ, vera sunt; Ab hac quando dissentiunt, falsitatis arguuntur: *In Iur. Can Par.2. Caus.1. quæst.1. C.56.* legimus. Teneamus fratres mei unitatem. Præter unitatem, & qui facit miracula, nihil est. In unitate enim erat populus Israël, & non faciebat miracula: Præter unitatem erant magi Pharaonis, & faciebant similia Mosi. 4. Canon theologicus est: *Miracula non probant oracula* intellige hoc ultimo tempore. 5. Pontificiorum miracula esse ficticia, ostendunt causæ efficiens, & finis. 6. Miracula quæ pontificii recensent pleraque sunt ridicula, & ludicra, ut quod D. Bernhardus muscas excommunicaverit, & nescio quorsum ablegaverit; At Bernhardus in sermone de Benedicto fatetur, se nulla edidisse miracula: Quòd Bonifacius vulpem coëgerit, ut gallinas devoratas redderet: Quod Jacobus fecerit, ut galli licet assati verum stridente evolarint,

77. Quæstio decima quarta: *An lumen Propheticum sit vera Ecclesiæ nota?*

78. Resp. 1. Futurorum prædictio non est Ecclesiæ propria. Non est igitur vera ejus nota. Diabolus enim futura prædicit, *1. Sam.28.v.19* Bileamus itidem religione Ethnicus, *Num.24.v.16.* Et Sibillæ hoc nomine fuerunt celebres. Caiphas in Synedrio Hierosolymitano prophetat, *Joh.11.v.51.* Quis autem cætum illum veram dixerit Ecclesiam? 2. De prophetiæ dono falsos gloriari doctores

doctores, patet ex *Matt.7.v.22.* Multi dicent in die novissimo, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus? At Christus dicet eis, non novi vos. Jehova dicit *Jer.23.v.25.* Audivi quæ dixerunt Prophetæ prophetantes in nomine meo mendacium atque dicentes somniavi, somniavi. Exemplum hujus rei legitur 1. *Reg.13.v.18.* Vero enim Prophetæ senex quidam Propheta falsum persuadet, prætendens sibi angelum locutum esse in sermone Domini.

79. Iubemur Spiritus prophetantes ex scriptura probare. Ergo scriptura magis est Ecclesiæ nota, quam lumen ropheticum

4. Non competit Ecclesiæ semper: Omnes enim Prophetæ, & lex usque ad Johannem prophetaverunt, *Matt.11.v.13.* Et in N. Testamento propriè & exquisitè sic dictus à temporibus Apostolorum nullus fuit Propheta. In V. Testamento nullus etiam aliquando fuit Propheta, 1. *Maccab.9.v.27.*

80. Quæstio decima quinta: *An adversariorum confessio sit veræ Ecclesiæ nota?*

81. Resp. Tanta vis est veritatis, ut ipsi adversarii sæpe nolentes volentes ipsi testimonium perhibeant, quod cum non ex affectu proficiscatur magni omninò est faciendum; Sed non est propria Ecclesiæ nota. 1. Quia non competit ei semper, sed rarò admodum, non essentialiter, sed accidentaliter. Nam ob insitam malitiam, & præconceptas opiniones adversarii sæpe veritati testimonium perhibere nolunt. 2. Quia est obscurior ipsâ Ecclesiâ. Num enim ipsius testimonium potest esse simpliciter infallibile, qui Ecclesiam veram, & doctrinam oppugnat?

82. Quæstio decima sexta: *An infelix Ecclesiam oppugnantium exitus sit infallibilis Ecclesiæ nota?*

83. Respon. Animadvertit quidem Deus sæpe in Ecclesiæ persecutores, & hæresiarchas, ut justo judicio pereant; Verum judicium faciendum est de felicitate non ex nudo aspectu & mortis qualitate, sed ex antegressa vitæ impietate, & doctrinæ professione. Sæpe enim pii homines mundi judicio miserabilem sortiuntur exitum. Vitæ igitur exitus non est infallibilis nota veræ Ecclesiæ. 1. Quia ei semper non competit: Etiamsi enim nonnulli hæretici tragicum habeant exitum, affirmari tamen illud nequit de omnibus

2. Non competit ei soli: Multi enim qui hæreticos sunt persecuti miserè sæpe interierunt. 3. Multi Ecclesiam non oppugnantes infelicem sæpe habuerunt exitum. 4. Pontifices plurimi tragicè interierunt. 5. Quæ Bellarminus refert ex Cochleo de morte Lutheri, aperta sunt mendacia: Remittimus ad veram relationem Justi Jonæ Michaëlis Cælii, & Johannis Aurifabri, quam summatim comprehendit Sledanus lib. 6. commentar. Anno 1546.

84. Quæstio decima septima: *Num temporalis felicitas sit vera Ecclesiæ nota?*

85. R. 1. Cujus contrarium prædicatur de Ecclesiâ, illud nõ est vera ejus nota. Atqui de Ecclesiâ prædicatur calamitas. Ergo. *Psal.* 129. *v.* 1. Sæpe afflixerunt me à juventute meâ, dicat nunc Israël. *Joh.* 15. *v.* 20. Non est servus major Domino suo, si me persecuti sunt, & vos persequentur. 2. Idem declarant exempla. Josias defensurus Ecclesiam in Prælio victus & occisus est à Rege Ægypti, 2. *Reg.* 23. *v.* 29, 3. Testantur gravissimæ persecutiones ab Imperatoribus Romanis primis tribus post Christum natum seculis motæ. 4. Ostendunt similia: Nam Ecclesia comparatur navi fluctibus jactatæ, columbæ in rupibus habitanti, *Cant.* 2 *v.* 14. Si igitur ex tẽporalibus judicandum est de Ecclesiâ, inferimus potius infelicitatem, quàm felicitatem adhęrere Ecclesiæ, licet neutra ipsi sit propria. 5. Ecclesia Israëlitica idololatriam exercens malitiam suam propugnare conabatur argumento à temporali felicitate desumpto, *Jer.* 44. *v.* 16. 6. *Augustinus lib.* 1. *de Civit. Dei cap.* 8. Placuit, inquit, divinæ providentiæ præparare in posterum bona justis, quibus non fruentur injusti, & mala impiis, quibus non excruciabuntur boni. Ista verò temporalia bona, & mala utrisque voluit esse communia, ut nec bona cupidius appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter evitentur, quibus & boni plerumque afficiuntur.

86. Quæ cum ita sint, concludimus, nullam istarum à Bellarmino propositarum esse legitimam veræ Ecclesiæ notam, ad quam nos adjungere, & in cujus societate vivere debeamus.

FINIS DISPVT. XII.

DE PAPISMO

DISPVTATIO XIII.

Et quidem in specie

DE

De vera Christi in his terris Ecclesia.

In qua

Christo Duce & auspice Christo

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS GISENII,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS,
ET ORDINARII IN INCLY-
ta Academiâ Gissenâ Pro-
fessoris,

RESPONDEBIT

M. ALEXANDER CHRISTIANI DEM-
minensis Pomeranus.

*In Auditorio Theologico ad diem 24. Januar. horis ante-
meridianis & pomeridianis.*

GIESSÆ CATTORUM,
Ex officina libraria Casparis Chemlini.

cIↃ IↃ cXVIII.

DISPUTATIO DECIMATERTIA.

QVÆ EST

De vera Christi in his terris Ecclesia

THESIS I.

VERAS Ecclesiæ visibilis notas, sub qua latet Ecclesia invisibilis, ex Scripturâ monstravimus, breviterque notas à Bellarmino propositas examinavimus. Cum autem in Ecclesia sint boni ac mali, quemadmodum in eodem agro sunt Zizania ac triticum; eumque malignantium conventicula, seu ipsi mali convertentes sese in Angelos lucis opprimere allaborant verum Christi cœtum, quemadmodum Esavus, quem in sinu suo fovebat Rebecca, supprimere conabatur Jacobum, *Gen.25.v.24.* Ideò restat, ut ostendamus, quænam sit falsa Ecclesia; Et quænam contrà Ecclesia Christi in his terris militans vera, cui notæ illæ verè applicari possint.

2. Sit igitur quæstio prima: *Num vera Christi in his terris militans Ecclesia sit Romano-Catholica seu Pontificia?*

3. Resp. *Thomas Stapletonus lib.4.Doctrinal.Princip. cap.18.p.* 143. Altera, inquit, nunc supereſt hypothesis, & postrema totius hujus Disputationis pars, ut à veræ Ecclesiæ Dei societate, & ratione, Protestantium, totâ multitudine nunc rejectâ, atque certissimis argumentis exclusâ, societatem illam Christianorum hominum, quæ Romana, & Catholica vulgò vocatur Ecclesia, quæ videlicet Romanæ Ecclesiæ tanquam capiti adhæret, veram esse Dei, & Salvatoris nostri, solamque in terris Ecclesiam demonstremus. Idem propugnat *Bellar. libr.4.de Eccl.cap.3.& seqq. Coster. in Enchir.de Eccl.cap.3.*

4. Docent verò Proteſtantes, Eccleſiam falſam eſſe cætum malignantium, doctrinam veram, & legitima ſacramenta corrumpentem. Licet iſte pios & electos quoque comprehendat, perverſos tamen longè continet plures. Unde ipſi non à parte digniori, ſed à potiori nomen imponitur. Talem eſſe dicimus Eccleſiam Romanam, ſeu pontificiam, quæ propterea, tanquam malignantium cætus, eſt deſerenda.

5. Nomine verò Eccleſiæ Romanæ non intelligimus antiquam illam, quæ fuit temporibus Apoſtolorum, de quâ dicit Apoſtolus *Rom.1.v.8.* Gratias ago Deo meo per Jeſum pro omnibus vobis, quia fides veſtra, annunciatur in univerſo mundo; Sed hodiernam, quæ ferro, veneno, igne, fidem, quam deſcribit Apoſtolus in Epiſtola ad Romanos exterminare conatur..

6. Hanc igitur non eſſe Chriſti in his terris militantem Eccleſiam, hoc modo oſtendimus. *Quæcunque Eccleſia non credit, nec docet ea, quæ in Propheticis, & Apoſtolicis literis habentur, ſed credit & docet ea, quæ in illis non habentur, illa nequit eſſe verè Eccleſia Apoſtolica:* Gignitur enim Eccleſia Apoſtolica doctrinâ Apoſtolicâ, & ab ea nomen habet. *Atqui Eccleſia pontificia non credit, nec docet ea, quæ in propheticis. & Apoſtolicis literis habentur, ſed contra, quæ in ea non habentur, & quibus fruſtra colitur Deus* Ergo. Vel: Vera Eccleſia eſt una, ſancta, catholica & Apoſtolica, teſte ipſo *Bellarmino lib.4.de Eccl.cap.3.* Nos quindecim notas, inquit, proponemus, quæ, ſi quis velit, poterunt aliquo modo revocari ad illas quatuor; unam ſanctam catholicam, & Apoſtolicam. Atqui talis non eſt Eccleſia pontificia. Ergo. Seu: Quicunque cætus oppugnat Chriſti officium, perſonam & beneficia, ille non eſt ipſius in his terris militans Eccleſia. Atqui id facit Eccleſia ſeu Synagoga pontificia. Ergo. Oppugnat enim Chriſti officium, Perſonam, & beneficia. In genere hoc loco id monſtramus, cum in ſubſequentibus, & præcedentibus Diſputationibus copioſus idem oſtenderimus.

7. Officium igitur Chriſti eſt triplex: Propheticum, Regium & Sacerdotale: Nam ut Propheta, ut Rex, & Sacerdos paſſim deſcribitur, ut *Luc.7.v.16.cap.24.v.19.Matt.23.v.10.Act.7.v.37. Heb.3.v.1.1.Pet.1.v.25.Eſai.40.v.11.Joh,10.v.11.Heb.13.v.20.*

8. Officium propheticum oppugnant in loco in primis deſcri-

de scriptura, cujus oppugnant authoritatem, perspicuitatem interpretationem, & perfectionem.

9. 1. Ecclesia Christi docet, quod scriptura habeat authoritatem suam ab authore Deo, cujus vox est. Et Christus dicit *Joh.5.v.34.* Ego ab homine testimonium non accipio; Atqui Ecclesia pontificia statuit, scripturæ authoritatem dependere ab Ecclesiâ *Pighius lib.1.de Hier.Eccl.cap.2.* Omnis, inquit, quæ nunc apud nos est Scripturarum authoritas ab Ecclesiæ authotitate dependet necessariò.

10. 2. Ecclesia Christi docet, Scripturam esse à sapientissimo Deo traditam, ut sit lucerna pedibus nostris, & lumen semitæ nostræ, *Psal.119.v.105.* Proinde splendet tenebris, illuminatque tenebricosos hominum animos, *1. Cor.3.v.15.* Et *cap.4.v.6.* Rectè igitur faciunt, qui huic attendunt veluti in lucernæ splendescenti in obscuro loco: Infundit enim sapientiam, illuminatq; oculos parvulorum, *2.Pet.1.ver.19.Psal.19.v.8.Psal.119.v.119.* Unde qui hanc sequũtur dicuntur filii lucis, & in luce versari, & lucere mundo; qui verò eam spernunt, manent in tenebris, *Eph.4.v,17.c.5.v.11. Matt.5.v.14. Joh.3.v.19.21* At Ecclesia pontificia definit, omnia, quæ in Scriptura comprehensa sunt tantis involuta esse obscuritatibus, ut ne doctissimi quidem certam cognitionem inde colligere possint, nisi illam aliunde mutuentur, videantur *Jesuitæ Colonienses pag.117.Censuræ.Eckius in Enchir cap.4 Stapletonus lib.10. cap.2.Canisius in ope.catech.pag.43.Bellarminus lib.3. de verb. Dei cap.1.* Ergo.

11. 3. Ecclesia Christi docet, Scripturam per scripturam esse explicandam, ac proinde difficilis cujusdam dicti interpretationem ex scripturaesse efferendam, *2.Pet.1.v.20.Rom.12.v.7.Esa.8 v.20.Matt.17.v.5.* At cœtus pontificius statuit Scripturæ interpretationem esse inferendam, & quidem ex scrinio Papæ, ex his vel illis Patribus, & Conciliis à Papa approbatis *Bellarminus lib.3. de verbo Dei cap.3.& lib.2. de conciliis.ca.13.Costerus pag.135:Enchir.* Ergo.

12. 4. Ecclesia igitur Christi controversias obortas decidit ex Scripturâ, quæ est fundamentum Ecclesiæ, & ad quam Spiritus S. nos remittit *Deut.17.v.18.Joh.1.v.7.cap.23.v.6.3.Reg.2.v.3.4. Reg.17.v.37.Es.8.v.20.* At conventicula Judicem generalem, legiti-

mum, ordinarium omnium controversiarum, quæcunque possunt oriri in negotio Religionis constituunt Pontificem Romanum, sive solus definiat aliquid sive definiat cum concilio generali, videatur *Colloq. Ratis. pag.* 34. Ergo.

13. 5. Ex ore Spiritus S, docet Ecclesia Christi Scripturâ esse perfectam, *Psal.* 19. *v.* 8. Et ipsi nihil esse addendum, vel detrahendum, *Deut.* 4. *v.* 2. *c.* 12. *v.* 32. *Prov.* 30. *v.* 6. *Apoc.* 22. *v.* 18. Perficit enim hominem, & ad omne opus bonum perfectè instruit, 1. Jo. 2. *v.* 5. 2. *Tim.* 3. *v.* 16. 17. At Synagoga pontificia scripturam sacram, ait esse mutilam, mancam, & imperfectam, quæ non contineat omnia quæ ad salutem sunt necessaria, Canisius in opere *catechet. p.* 126. 160. *Costerus. pag.* 47. *Ench. Vnde Bellarminus duplex fingit verbum Dei unum scriptum, alterum non scriptum ut sunt Traditiones. Tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 1. Ergo.

14. Non minus oppugnant officium Christi regium quod conspicitur in Ecclesiâ. Nam. 1. Ecclesia Christi docet, Christum solum esse universalis Ecclesiæ caput, *Eph.* 1. *v.* 22. *c.* 4. *v.* 15. *c.* 5. *v.* 27. 29. *Col.* 1. *v.* 18. Atqui pontificia Synagoga non tantum Christum, sed etiam Pontificem Ecclesiæ universalis caput agnoscit. Nam *Clement. Pastoralis de sentent. & re judic.* Pastoralis cura solicitudinis nobis divinitus super cunctas populi Christiani nationes injuncta. &c. *D.* 1. *Extravag. de emp. & vendit.* Regimini universalis disponenti Domino præsidentes. &c. *Distin* 22. *C. Sacrosancta*: Hæc Apostolica, id est. Romana sedes, caput, & cardo à Domino constituta est: & sicut cardine ostium regitur, sic hujus authoritate omnes Ecclesiæ. Ergo.

15. 2. Ecclesia Christi Christum solum agnoscit Ecclesiæ sponsum, ex 2. *Cor.* 11. *v.* 2. *Eph.* 5. *v.* 24. Atqui Ecclesia pontificia sponsum insuper Ecclesiæ agnoscit Papam, *C. quoniam de immun. in* 6. *dicens*. Nos justitiam nostram, & Ecclesiæ sponsæ nostræ nolentes negligere, &c. Ergo.

16. 3. Ecclesia Christi docet increata dona Mediatori, & salvatori nostro Christo secundum humanam naturam esse communicata: Subsistit enim non propriâ ὑποστάσει, sed communicatâ ἐν λόγῳ. Atqui Ecclesia pontificia increatorum donorum communicationem impugnat. Ergo.

17. 4.

17. 4. Ecclesia Christi docet totum Christum descendisse ad inferos. Qui enim fuit conceptus, natus, passus, mortuus, & crucifixus, ille idem descendit, ut ex symbolo Apostolico est videre. Et actiones totius sunt suppositi. Atqui Synagoga pontificia fingit Christum solâ animâ descendisse ad inferos. Ergo.

18. 5. Ecclesia Christi docet Ecclesiam posse errare, & quidem ex scriptura. Negat verò id Synagoga pontificia. Ergò.

19. 6. Ecclesia Christi, ut & universa Scriptura sacra nullum agnoscit medium inter Deum & Diabolum, cœlum & infernum, homines credentes & incredulos, vitam æternam & damnationem. Ergo nec agnoscit Purgatorium. At Ecclesia Pontificia peculiare fingit membrum Ecclesiæ in Purgatorio constitutum. Ergo.

20. 7. Falsa Ecclesia colit & invocat eos, qui naturâ non sunt dii *Gal.4.v.8.Esai.42.v.8.* Atqui Ecclesia Pontificia colit eos, utpote imagines, & sanctos, quos religiosè invocat, licet invocatio illa teste *Eckio in Enchir. pag. 96.* non nitatur expresso Dei verbo. Ergo.

21. Denique oppugnant Pontificii officium Christi Sacerdotale in loco de Sacramentis. 1. Nam horum septem fingunt contra naturam Sacramentorum: Siquidem quinque destituuntur externo elemento, cui sit annexa promissio gratiæ. 2. Ecclesia CHRISTI docet neminem posse esse in Christo absque fide ex Ephes. 2. Infantes igitur baptizatos Christo esse fide insertos, & quidem propriâ, ex *Habac.2.* At Ecclesia Pontificia infantibus baptizatis actualem denegat fidem, videatur *Bellarminus libro primo, de Baptis. cap.* 11. Ergo. 3. Ecclesia Christi docet ex Scriptura in Baptismo tolli peccatum non ut non sit, sed ut non imputetur ex 1. *Johan.* 1. Unde orant Renati: Remitte nobis debita nostra. Atqui Ecclesia Pontificia hanc Baptismo adscribit efficaciam, ut tollat id omne, quod habet rationem peccati. 4. Ecclesia Christi docet homines esse baptizandos. At Ecclesia Romana, campanas baptizat. Ergo. 5. Ecclesia CHRISTI docet hominis Testamentum non esse corrumpendum, ex *Gal.3.v.15.* nedum Dei. Atqui Ecclesia pontificia

corrum-

corrumpit Testamentum Christi. Detrahit enim calicem benedictum laicis. Ergo. 6. Vera Ecclesia docet in sacrâ Cœna dari, & accipi corpus, quod natum est ex mariâ virgine, & quod pro nobis in mortem est traditum; Et sanguinem, qui pro nobis in arâ crucis est effusus. Atqui Ecclesia pontificia statuit vi verborum Domini transmutari panem in corpus Domini, & vinum in sanguinem ejus, atque ejusmodi nobis dari in usu sacræ Cœnæ. Ergo. 7. Ecclesia Christi docet, corpus Christi esse semel pro nobis traditum & oblatum, & sanguinem ejus semel in ara crucis pro nobis effusum, cujus memoria instituitur in sacrâ cœnâ ad confirmandam fidem in Christum & excitandam gratiarum actionem, ex *Heb.* 9. *v.* 28. *cap.* 10. *v.* 12. *Matt.* 26. *v.* 26. *Luc.* 22. *v.* 19. At Ecclesia pontificia Sacramentum hoc convertit in sacrificium externum, reale, & propitiatorium, & panem in corpus Christi transsubstantiatum quotidie in Missa super altari pro vivis, & mortuis offert, oblatum includit, inclusum circumgestat, & adorat, *Dist.* 2. *de consecrat. Can. Peracta* Item sacrificium hoc offert, offerri permittit etiam pro necessitatibus corporalibus, pro equestri, aut pedestri itinere peregrinantibus, pro fœminis gravidis, pro parturientibus, pro sterilibus, protertianâ, aut quartanâ febri laborantibus, pro mercatoribus, ut felix sit navigatio, &c. Ergo.

22. 7. Ecclesia Christi docet, Episcopum esse debere maritum unius legitimæ uxoris, non concubinarium, ex 1. *Tim.* 3. *v.* 2. *Tit.* 1. *v.* 6. damnat prohibentes matrimonium, ex 1. *Tim.* 4. *v.* 1. Proinde conjugium hominibus quibusvis non modò decorum, atq; honorabile, sed ad scortationes vitandas pœnè necessarium esse, *Heb.* 13. *v.* 4. 1. *Cor.* 7. Atqui Ecclesia pontificia simpliciter interdicit matrimonium Sacerdotibus, *Concil Trident Sess.* 8. Si quis dixerit Clericos, ait, in sacris ordinibus constitutos, vel regulares, castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractum que validum esse non obstante lege ecclesiasticâ, vel voto & oppositum nil aliud esse, quàm damnare matrimonium, qui non sentiunt, se castitatis (etiamsi eam voluerint) habere donum anathema sit, cum Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus, tentari. Ergo.

23. Tandem oppugnat Christi beneficia corrumpendo Arti-

culum de peccato, de lege Dei, de ipsa Gratia, de Justificatione, & Bonis operibus, quod subsequentibus Disputationibus ordine ostendere conabimur. Referimus ex istis pauca. 1. Falsa Ecclesia instituit religionis exercitia, quæ à Deo non sunt instituta, nec à Christo, qui omnia scitu necessaria nobis revelavit, *Joh.15.v.15. cap.14.v.26. cap.16.v.13.* Atqui Ecclesia pontificia multa ejusmodi exercitia instituit, & fingit. Ergo. 2. Falsa Ecclesia dicit, hic est Christus, illic est Christus, *Matt.24.v.23. 2.Thess.2.v.9. Apo.13.v.13.* Atqui tale quid dicit revera Ecclesia Romana remittens homines ad hæc vel illa miracula ad hæc vel illa loca, opera. &c. Ergo. 3. Falsa Ecclesia eum sequitur, & colit qui se factis ipsis facit Deum, extollit se supra Deum, gloriatur, se omnia jura habere in scrinio sui pectoris, & errare non posse decernendo in fide. Atqui hoc facit Ecclesia Romana. Ergo. 4. Christi Ecclesia Decalogum à se impleri non posse docet & deplorat, ac proinde ipsius Christi obedientiam fide sibi applicat. Atqui Ecclesia pontificia à se plus præstari posse, quàm lex requirit, gloriatur: Inde enim est thesaurus indulgentiarum, &c. Ergo. 5. Christi Ecclesia docet hominem justificari gratis fide in Christum, *Rom.3.v.24.25.* justificamur gratis per illius gratiam per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus reconciliatorem per fidem, interveniente ipsius sanguine ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præteritorum peccatorum. Atqui Ecclesia pontificia hominem fingit non justificari gratis, sed propriis meritis. Ergo. 6. Denique Ecclesia Christi docet opera nostra esse imperfecta. At sua esse perfecta gloriatur Ecclesia Romana. Ergo.

24. Quæstio secunda: *Num Ecclesia pontificia sit Apostolica, & gaudeat origine Apostolica?*

25. Resp. Jesuita *Jacobus Reihing* religionem papisticam veram esse, & amplectendam suadet, eò quod gaudeat origine Apostolica, ac proinde vera sit Ecclesia.

26. Verum origo Apostolica consideratur vel respectu successionis personarum, & locorum, vel respectu doctrinæ, & publici Ministerii: Successionem localem, & personalem urgent Pontificii. At non esse eam veræ Ecclesiæ notam, ostendimus *Disput.1.th.42. & Disput.12.th.50.* & sequentibus. Non enim sunt san-

cti, qui tenent loca sanctorum. Origine Apostolica respectu doctrinæ ab Apostolis traditæ, & respectu Ministerii ab Apostolis deducti, non gaudet Ecclesia pontificia, pugnat enim cum plærisque fidei Articulis seu cum doctrinâ Apostolica ut demonstravimus in præcedentibus. Ergo frustrà gloriatur de origine Apostolicâ. Ab eâ verò dimoveri sese non patitur Ecclesia, quam vocant, Lutherana. Hæc igitur verè gaudet origine Apostolicâ.

27. At *Bellarminus* quindecim suas urget notas, & has soli Ecclesiæ pontificiæ applicari posse, statuit. Hanc igitur esse veram Christi in his terris militantem Ecclesiam concludit.

28. Resp. 1. Notas illas à *Bellarmino* traditas, non esse veræ Ecclesiæ notas, sensu *Bellarmini* intellectas, evicimus Disput. præcedente. Veram jgitur Ecclesiam non ostendunt 2. Imò malè eas Ecclesiæ pontificiæ applicari ostendit diligens examen & collatio harum notarum cum doctrinâ pontificia, quâ de re in ipsa agemus Disputatione,

28. Quæstio tertia: *An Ecclesia Lutherana, quam sic vocant, sit vera Christi in his terris militans Ecclesia?*

30. Resp. cum ἀναστοδαξικῶς ostenderimus, quæ non sit una, sancta, catholica, & Apostolica Ecclesia, restat ut καθοποδαξικῶς ostendamus, quænam sit illa verè, & non apparenter tantũ.

31. Hanc verò ex veris, & genuinis inotescere censemus notis, quæ sunt verbi prædicatio, & Sacramentorum administratio. His cum nonnulli suas admisceant traditiones, & somnia, nõnulli retento fundamento superædificent stipulas, 1. *Cor.* 3. 1. 12. Inde Ecclesia est pura, vel impura. Impurior est, quò longius à puritate doctrinæ propheticæ, & Apostolicæ recedit. Pura est, quæ sincerum Dei verbum Bibliis sacris comprehensum absque sua cerebelli figmentis proponit, & Sacramenta legitimè non aliter ac ab ipso Christo sunt instituta administrat.

32. De Ecclesiâ enim ferendum est judicium ex doctrinâ, quæ in eâ proponitur. Si igitur quæras quænam sit vera Apostolica Ecclesia? Remittemus te ad doctrinam, quæ publicè in Ecclesia Lutherana sonat, ex eâ ita inferimus: Illa est vera Ecclesia, quæ amplectitur sinceram doctrinam propheticam, & Apostolicam sacris literis comprehensam: Et legitimè secundum ipsius Christi in-

stitutio-

stitutionem administrat Sacramenta. Atqui talis est Ecclesia, quam vocant Lutheranam. Ergo. Vel: Qualis est doctrina, quæ publicè in Ecclesia populo Dei proponitur, talis est ipsa Ecclesia. Jam verò doctrina, quæ huc usque publicè populo Dei in Ecclesia Lutherana proponitur est Prophetica, est Apostolica. Ergo Ecclesia Lutherana est Prophetica & Apostolica, hoc est, fundata super fundamentum Prophetarum, & Apostolorum.

33. Assumptionis veritas facile ostenditur ex collatione scriptorum Ecclesiæ nostræ Symbolicorum, utpote Catechismi minoris, & majoris B. Lutheri, Augustanæ confessionis, Schmalcaldicorum Articulorum, &c. cum Scripturâ Prophetica & Apostolicâ. Dicimus verò Apostolicam confessionem illam nostram non quasi immediatè ab ipsis Apostolis sit conscripta, sed quia per omnia consentit cum doctrinâ prophetica, & Apostolicâ sacris literis comprehensâ.

34. Conspicitur id ex ipsius doctrinæ inspectione: Nam 1. nostra Ecclesia Scripturâ sacram in fidei Articulis simpliciter obscuritatis non arguit, imperfectionis eam nō accusat, interpretationem difficilis cujusdam loci Scripturæ non infert, sed ex eâ effert: non provocat ad traditiones humanas, nec eas verbo Dei scripto æquiparat.

35. 2. Ecclesia nostra ex Scriptura docet caput universalis Ecclesiæ esse solum Christum, non Petrum nec Pontificem Romanum: Christus enim omnes discipulos de primatu litigantes exęquat, dilucidè asserens, & subinde repetens dictum hoc: *Qui maximus est inter vos, sit cæterorum minister.* Ergo nullum ex istis Ecclesiæ universalis caput constituit.

36. 3. Ecclesia nostra docet Ecclesiam particularem, cujusmodi est Synagoga Pontificia errare posse & sæpe erasse. Docet idem Spiritus sanctus in scriptura. 4. Ecclesia nostra Testamentum Christi non corrumpendum, vel mutilandum esse contra Pontificios asserit. Docet idem Spiritus S. in Scriptura. Ergò. 5. Ecclesia vera docet statum conjugalem inter omnes esse honorabilem, ac proinde nullum hominem, quem ad illum Deus fecit idoneum à conjugio esse arcendum. At docet id Ecclesia Lutherana. 5. Ecclesia vera docet regimen politicum committen-

dum esse personis politicis, & non Ecclesiasticis: Reges enim gentium dominantur, dicit servator. Docet idem Ecclesia nostra, & accuratè observat. Ergo. 6. Ecclesia vera hæreticos tolerat, & non tollit. Docet idem Ecclesia nostra, & non pontificia, Ergo.

37. 7. Ecclesia vera duo tantum agnoscit hominum genera, ut sunt credentes, & non credentes, seu increduli, *Mar.16.v. 16. Joh.3.v.18.* Universa enim scriptura sacra nullum agnoscit medium inter Cœlum & infernum, Deum & Diabolum, vitam æternam & damnationem. Ac proinde ignorat Purgatorium pontificium. Docet idem, & credit Ecclesia, quam vocant Lutherana. Ergo.

38. 8. Scriptura eum religiosè invocare, & adorare docet, qui novit defectus nostros, introspicit corda, & succurrere nobis potest. Credit, & profitetur idem Ecclesia nostra, ac proinde religiosè non invocat sanctos, nec sanctorum imagines. 9. Vox Scripturæ est, Deum nos salvare per lavacrum regenerationis, adeoq; etiam infantes. At non salvat absque fide actuali, sine qua placere Deo est impossibile. Eadem est confessio Ecclesiæ nostræ. 10. Institutio cœnæ docet mediante pane exhiberi nobis corpus Domini pro nobis in mortem traditum, & mediante vino sanguinem ejus in arâ crucis effusum: ac proinde panem non transmutari in corpus, nec vinum in sanguinem. Est eadem confessio Ecclesiæ nostræ. 11. Ecclesia nostra sacrilegium esse docet, mutilare sacram cœnam, & depravare Testamentum Christi, ac proinde Laicis alteram sacræ cœnæ partem, nimirum calicem benedictum non esse subtrahendum. Docet idem Christus in Institutionis verbis. Quos enim obligat verbum mandati (MANDUCATE) eosdem etiam obligat verbum mandati (BIBITE,) quia hoc non minoris est efficaciæ, quàm illud. Obligat verò illud omnes, qui sese probare possunt. Ergo.

39. Idem facile apparet ex collatione reliquorum confessionis nostræ Articulorum cum Scripturâ sacra. Itaque fixa, & immota hæc stat sententia: Lutherana doctrina est doctrina Apostolica. Itaque Ecclesia Lutherana est una, sancta, catholica, & Apostolica.

40. Quæ

40. Quæstio quarta: *Num Ecclesia Lutherana caperit primum cum Luthero?*

41. Resp. *Jesuita Costerus in Enchir. cap. 2. p. 76.* Ecclesiæ Lutheranæ, inquit, datum esse initium anno Christi 1517. Quo illa tanquam novum oppidulum extra ecclesiam veterem sit excitata. Proinde esse eam novam, quæ profiteatur religionem veteribus incognitam. *Bellarminus lib. 4. de Ecclesia cap. 5.* Idem sex circumstantiis obtinere conatur, in omni, inquiens, insigni mutatione religionis sex circumstantiæ possunt ostendi, quæ religionem illam novam esse arguunt. Ostendi verò illæ possunt de Ecclesiâ Lutheranâ, ut sunt. 1. Author ejus, qui est Martinus Lutherus, Presbyter & Monachus ordinis sancti Augustini. 2. Dogma aliquod novum, quod est, justificari homines per solam fidem specialem, id est, per hoc solum, quod se justos putent: Item negavit Lutherus, Eucharistiam esse sacrificium. 3. Tempus, quo cæpit: Cæpit verò Lutheranorum hæresis anno 1517. 4. Locus ubi cæpit, qui est Saxonia. 5. Quis eam oppugnaverit. Oppugnata autem fuit â Leone X. à cõcilio Tridentino, ab Academiis omnibus catholicis, & Doctoribus plurimis. 6. Exiguus aliquis cœtus, unde paulatim aliis accedentibus cæperit. At initia hujus hæreseos fuerunt valde exigua.

42. Verùm Jesuitas studiosè calumniari, nemo non videt: Lutheranam enim Ecclesiam non eam esse dicimus, cui tanquam Papa aliquis præsideat Lutherus, sed quæ credit ea, quæ Lutherus ex scriptura sacra est professus, & ex tenebris, in quibus demersa jacebant, in clarissimam lucem reduxit. Ecclesiam igitur Lutheranam non Lutheri personâ, sed doctrinâ definimus: Hanc verò accepit Lutherus à Prophetis & Apostolis, seu ex scripturâ sacrâ, cujus diligentissimus fuit scrutator. Imò accepit eam ab Ecclesiâ, quæ partim fuit sub Papatu, partim extra cætum Pontificiorum.

43. Quare reperimus distinctiones. 1. inter Papatum, & quod est durante papatu, & partim sub ipso: Eadem Ecclesia, quæ jam Lutherana dicitur, fuit sub Papatu, & durante papatu, sed non fuit ipse Papatus, qua de re egimus *Disput. 1. quæst. 3. t. 42. & sequentibus.*

44. 2. Inter traditiones humanas, seu inventa hominum

quibus Deus frustrà colitur, & sincerum Dei verbum, inter argentum & scorias, aurum & fœnum, gemmam & stipulas: Lutherus memor admonitionis *Jer.15.v.19.* Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris, prænominata distinxit, doctrinam Apostolicam à sordibus humanarum traditionum, & superstitionum repurgavit, res antiquas temporis injuriâ hominum quorundam malitiâ, quorundam incuriâ collapsas pristino nitori ac luci restituit.

45. 3. Inter religionem institutam & restitutam, inter novitatem, & renovationem. Novam Religionem Lutherus non instituit, sed veterem restituit, & eam miserè fædatam mundavit.

46. 4. Inter novitatem veram & apparentem: Etiamsi confessio nostra appareat nova, cum non conveniat cum figmentis & traditionibus Romanorum Pontificum, quas improbat: revera tamen est antiqua, quia convenit cum doctrina prophetica, & Apostolicâ, quam singulis seculis amplexi, & professi sunt verè fideles, idque partim præcedentibus, partim subsequentibus Disputationibus ostendimus. Non est igitur alia definitio Ecclesiæ Lutheranæ, & Apostolicæ: Definimus enim eam ex doctrinâ Apostolica sacris literis comprehensâ, quæ doctrina publicè sonuit in medio Papatu. Iniquè igitur confessio nostra novitatis accusatur à Romanensibus, eo quòd refutet errores, & superstitiones pontificias, sicut & doctrina Christi & Apostolorum nova videbatur Judæis, & gentibus, *Mar.1.v.27. Act. 17.v.19.*

47. 5. Inter Magisterium, & Ministerium, nomen Ecclesiæ huic imponitur à fidelissimo B. Lutheri Ministerio, quo Deus tenebras pontificias discutere cæpit, & Evangelii lucem rursus claro jubare splendescere fecit.

48. Circumstantiæ igitur, & signa, quæ profert Bellarminus, non probant religionem nostram à B. Luthero esse inventam, & institutam, sed eam esse restitutam: Aliud est novos fidei Articulos, & nova dogmata tradere, & aliud eadem fædata à sordibus repurgare, aliud est novare, & aliud renovare.

49. Ho-

49. Hominem solà fide justificari, seu non nisi per fidem apprehendentem obedientiam Jesu Christi, docet servator, *Mar.5.v.36.* Ne metuas *solum* crede. Arguunt phrases æquipollentes, *Gal.2.v.16.* Non ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi. *Rom*, 3.v.28. Per fidem sine operibus legis, *cap.4.v.6.* Sine operibus. Idem pia docuit Antiquitas. Scribit *origines. lib. 3. in. Epist. ad Rom.* Dicit Apostolus, sufficere *solus* fidei justificationem, ita ut credens quis *tantummodo* justificetur, etiâsi *nihil* ab eo operis fuerit expletum. Ante B. Lutherum igitur Biblia Germanica fuerunt edita, in quibus legimus *Rom.3.* Allein durch den Glauben/ohne der Werck der Ehe. Calumniatorem agit *Bellarminus lib.1. de pœnit. cap. 6. Et. lib.2. de justif. c.3.* nominans justitiam nostram imaginariam putativam, & *Lutheri* figmentum. Non enim imaginariam agnovit *Lutherus* justitiam, sed docuit, justificari nos justitiâ Christi per fidem nobis imputatâ. Sententia hæc non est figmentum *Lutheri*, sed doctrina Spiritus S. *Rom.4.v.5.7.* Ei, qui non operatur sed credit in eum, qui justificat impium imputatur fides sua ad justitiam. Quemadmodum & David explicat beatificationem hominis, Cui Deus imputat justitiam absque operibus.

50. Missæ sacrificium esse inventum humanum docet cænæ institutio: Christus enim non sacrificium, sed Sacramentum instituit: Semel pro nobis sese obtulit, & unicâ oblatione nos perfectos reddidit: In Testamento illo suo nobis aliquid ordinavit, & nihil sibi à nobis offerri mandavit. Attestantur *Polydorus Virgilius. lib.5. de rerum javent. c.11.* & Platina in vitâ Sixti, originem, & progressum Missæ luculenter ostendentes.

41. Ex hisce itidem patet, quid responderi debeat ad quæstiones, annon Christus totis mille annis habuerit vēram Ecclesiam? Nam toto illo tempore habuerit mutos, & moribundos Christianos? Nam 1. Etiamsi publicum ministerium sit corruptū, potest nihilominus vera superstes esse Ecclesia. 2. tempore Eliæ sub Achabo cum Ministerium Ecclesiæ esset corruptissimum, altaria destructa, Prophetæ Domini occisi, solusq; videretur superstes esse Elias, Dominus disertè testatur, 1. *Reg.19.v.20.* reliqua sibi esse septē millia. 3. Et si requireretur ad essentiam Ecclesiæ omnimoda incorrupta publici ministerii sinceritas ostendi non posset, nec

nominari

nominari vera Ecclesia. Multis enim modis errabant Pharisæi, Scribæ, & Sadducæi. Unde Christus dicit, *Johan.*10. Quotquot ante me venerunt, fuerunt fures, & latrones. 4. Perplacent nobis dicta Scripturæ, *Matth.* 21.*v.*16. *Psalm.*8.*v.*3. Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem. Simplicitas igitur infantilis illo tempore maximè fuit commendata. 5. Christum eo tempore habuisse non mutos Christianos testatur vel sanguis Martyrum, quo meretrix Babylonica ebria est facta; Et factum Græcorum quotannis Papam ut schismaticum excommunicantium,

quâ de re vide plura in Disputat.
primâ.

FINIS DISPVT. XIII.

DE PAPISMO

DISPVTATIO XIV.

Et quidem in ſpecie

DE

PRESBYTERIO.

PRIMA

In qua

Chriſto Duce & auſpice Chriſto

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS GISENII,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS,
ET ORDINARII IN INCLY-
ta Academiâ Giſſenâ Pro-
feſſoris,

RESPONDEBIT

M. Otto Brawe Oſnaburgo-Weſtphalus

In Auditorio Theologico ad diem 24. Januar. horis ante-meridianis & pomeridianis.

GIESSÆ CATTORUM,
Ex officina libraria Caſparis Chemlini.

cIↃ IↃ cXVIII.

ADMODUM

Reverendis, Clarissimis, Doctissimis, Pietate, Doctrinâ, & virtute celeberrimis

VIRIS

Dn. Johanni Affelmanno *SS. Theologiæ Doctori eximio, ejusdemq; in alma Rhodopolitanâ Professori publico, præceptori, fautori, & promotori suo ætatem colendo.*

Dn. M. Johanni Chrysolyto R. *Ministerii Rostochiensis seniori meritissimo, & ad S. Nicolaum Pastori fidelissimo vigilantissimo.*

NEC NON

Humanissimis, Præstantissimis, Doctissimis, & politissimis Viris-Iuvenibus

Dn. M. Petro Boëthio Dithmarso } *SS. Theologiæ Candidatis*
Dn. M. Petro Pechlin Rostochiensi } *dignissimis.*

Dn. Gerhardo Gravio } *SS. Theologiæ Studiosissimis.*
Dn. Johanni Cothmanno }

Dn. Anthonio Tegetmeier *SS. LL. cultori industrio.*

Illis Dn. Mœcenatibus, Patronis studiorum suorum favorabilissimis, omni honoris & observantiæ cultu jugiter suspiciendis, honorandis, colendis; His commensalibus popularibus, & amicis fraternè amandis, disputationem hanc Theologicam infelix faustumq; novi anni auspicium

Offert

Dat

Consecrat & inscribit

M. Otto Brawe Osnaburgensis Westphalus.

ANNO 1. *Pet.* 4. *v.* 11.

LoqVIMVr eLoqVIa DeI.

DISPUTATIO DECIMAQVARTA.

QVÆ EST

DE PRESBYTERIO.

THESIS I.

EXaminatis erroribus Pontificiorum de Ecclesiâ in genere, sequitur, ut consideremus controversias de membris Ecclesiæ,

SENTENTIA PROTESTANTIUM.

2. Sunt verò Ecclesiæ membra homines, & quidem Doctores, & Auditores, Docentes, & Discentes, 1. *Cor.* 12. *v.* 29. *Eph.* 4. *v.* 11.

3. In docentibus requiritur, & consideranda est legitima vocatio, & fidelis commissi officii administratio.

4. Verum jus vocandi Ecclesiæ Ministros Deus sibi vendicat. Nam Prophetas à Regibus quidem, sed à se non missos pro veris non vult agnoscere, *Jer.* 23. *v.* 21. Adscribitur igitur singulis Trinitatis Personis, ut Patri, *Matt.* 9. *v.* 38. Filio, *Eph.* 4. *v.* 11. 1. *Cor.* 12. *v.* 28. Spiritui S. *Act.* 13. *v.* 2. *c.* 20. *v.* 28.

5. Vocat verò Deus dupliciter, immediatè, & mediatè, inde vocatio est duplex, mediata, & immediata.

6. Immediata seu extraordinaria vocatio *Gal.* 1. *v.* 1. describitur, quod fiat ab ipso Deo, non ab hominibus. Hæc sæpe per Prophetam, vel Apostolum, vel per sortem fuit declarata.

7. Comitantur eam divina signa, testimonia, vel etiam miracula. Locum habet in Ecclesiâ vel constituendâ, vel ab erroribus repurganda. Vocati igitur immediatè sunt Prophetæ & Apostoli.

8. Mediata vocatio fit à Deo per homines idoneos certo

ordine, & legibus juxta verbum divinum. 1. *Tim. 3. v. 1. Tit. 1. v. 5. Act. 6. v. 3.*

9. Cum non habeamus mandatum, neq; promissionem, quæ quidem ad nos pertineat de immediatè vocatis, & missis, ideò non est, ut tales Ecclesia expectet; Sed rectè facit, ut Ministros per ordinaria media legitimo modo ad Ministerium vocet.

10. Ius vocandi Ministros ad totam pertinet Ecclesiam, & non ad unum tantum ejus membrum. Quod enim omnes tangit, ab omnibus debet curari. Itaque in vocatione Ministrorum votum suum habet Ministerium, habet etiam Magistratus, & deniq; ipse etiam populus.

11. Ordinatio est legitimæ antecedentis vocationis publica & solennis declaratio, & publicatio: Licet igitur ordinatio vocationem non faciat, eam tamen declarat.

Sententia Pontificiorum.

12. Laici dicti sunt, quasi plebeii, ac populares, quibus nulla pars functionis Ecclesiasticæ demandata est; Clerici autem quasi Domini sors, & hæreditas, qui divino cultui consecrati, procurandæ Religionis, ac rerum sacrarum Deo ipso jubente, providentiam, ac solicitudinem susceperunt, *Bellarminus lib. 1. de Cler. cap. 1. p. 285.*

13. Vocatio seu missio Ministrorum non ad populum pertinet, sed ad Episcopos, & potissimum ad summum Pontificem, *Bellarminus, cap. 4. p. 298.*

14. Lutherus non habet legitimam vocationem, & Lutherani non habent legitimam vocationem *Bellarminus lib. 1. cap. 3.*

Status Controversiæ.

15. Disputatur igitur 1. de ipso Clericorum nomine 2. De jure vocationis ad sacrum Ministerium. 3. De vocatione B. Lutheri. 4. Et de ordinationis ritu, idq; pluribus ostendemus in quæstionum controversarum examine.

16. Quæstio prima: *Num soli Ecclesiæ Ministri peculiari nomine in sacris literis expresso, rectè, & propriè* Clerici *appellentur?*

17. Resp. *Bellarminus in præfat. lib. de Memb. Eccl. præmissa pag.* 281. Ecclesia catholica, inquit, optime Lector, uni, trinoq; Deo militans

militans, atq;, ut scripturę loquuntur terribilis, velut castrorũ acies ordinata, tribus potissimum ordinibus militũ, Christo auctore, distinguitur. Alii siquidem in hoc divino exercitu clerici, alii laici dicuntur. Quidam etiam sunt, tum ex clericis, tum ex laicis, qui certis symbolis, ac functione ab utrisq; distincti, tertium ordinem faciunt, ac Regulares, sive Monachi nominantur. Nominant igitur Pontificii solos Ecclesiæ Ministros non sine fastidio clericos, & reliquos omnes Laicos h.e. plebeios & populares, interprete *Bellar. lib. 1. de cler. c. 1.* Ex sententia igitur Pontificiorum Imperatores, Reges Electores & Principes sunt plebei & vulgares homines. Quare Pontificiis clericus est omnis & solus primâ tonsurâ tonsuratus, qui hoc ipso, quod tondetur, è numero populi exemptus ordini Ecclesiastico accensetur eoque in hæreditatem Domini adsciscitur, canente ante tonsurationem scholâ: Tu es Domine, qui restituit hæreditatem meam mihi, videatur *Pontificale fol. 4.*

18. Protestantes verò nemini de vocabulo hoc litem moverent, nisi fraudem quandam sub eo Pontificii occultarent. Hoc igitur animadvertentes distinguunt inter acceptionem vocabuli hujus Scripturæ & Ecclesiæ. In scriptura vocabulum hoc nuspiam attribuitur solis Ecclesiæ Ministris; Sed omnes in genere Christiani clerus, h.e. fors, peculium, & hæreditas Dei appellãtur, ut 1. *Pet. 5. v. 3.* μηδ' ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων. Neque ceu dominium exercentes adversus cleros. Hinc inferimus: Quibus dominari non debebant Presbyteri, illos intelligit nomine Cleri Petrus. Atqui toti ecclesiæ non debebant dominari. Ergo. Deinde exemplaria esse debebant iis, qui grex Dei appellantur *v. 2.* Atqui non soli Ecclesiæ Ministri, sed omnes Christiani grex Domini nominantur. Ergo. Et ipsa ἀνταπόδοσις gregis & Pastorum innuit vocabulam Cleri in loco illo Petri potius auditoribus attribui. Accedit quod *Eph. 1. v. 11. Col. 1. v. 12. Act. 26. v. 18* ea proponuntur, quæ non incommodè omnibus Christianis assignantur.

19. Ecclesiæ seu Ecclesiastica acceptio est vel quorundam Patrum, vel hodiernorum Pontificiorum. Patres respicientes modum Electionis, quæ etiam sorte fiebat, & ipsius Ministerii rationem, qua Ministri Ecclesiæ peculiariter Deo consecrabantur, nuncupant eos ἀπὸ τοῦ κλήρου. At Pontificii per contemptum

auditores, etiamsi sint doctissimi nominant omnes laicos, & sub Clericorum nomine sibi singularia privilegia adscribunt: Auditoribus seu laicis calicem benedictum denegant, Scripturæ lectionem non permittunt. &c. His igitur respondemus, strictam illam acceptionem hujus vocabuli non esse biblicam, nec scripturæ sacræ consentaneam.

20. Quæstio secunda: *Vtrum jus eligendi, & vocandi Ecclesiæ Ministros ad solos Episcopos, & potissimum ad Pontificem Romanum pertineat; An verò ad universam Ecclesiam?*

21. Resp. *Bellarminus lib. 1. de Cleric. c. 2.* Initiò, inquit, præmittendum est, appellatione creationis Episcoporum tria contineri; electionem, ordinationem, & vocationem, seu missionem. Electio est designatio certæ personæ ad Ecclesiasticam præfecturam. Ordinatio sacra ceremonia est, quâ certo ritu futurus Episcopus inungitur, & consecratur. Missio, seu vocatio jurisdictionem tribuit, ac reipsa Pastorem, ac præsulem facit. Ius verò eligendi, & vocandi adscribunt Pontificii primò, & per se Romano pontifici; secundariò & potestate communicatâ Episcopis. *Bellarminus lib. 1. de Clericis cap. 8.* Electio Episcoporum non pertinet jure divino ad Clerum, sed ad summum Pontificem, ut vel ipse eligat, vel præscribat eligendi modum. *Concilium Trident. de Sacram. Ordin. cap. 4.* Docet sacrosancta Synodus, in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, & cæterorum ordinum, nec populi, nec cujusvis secularis potestatis, & Magistratus consensum, sive vocationem, sive auctoritatem ita requiri, ut sine eâ irrita sit ordinatio, quin potius decernit eos, qui tantummodo à populo, aut seculari potestate ac Magistratu vocati, & instituti, ad hæc ministeria exercenda ascendunt, & qui ea propriâ temeritate sibi sumunt, omnes non Ecclesiæ Ministros, sed fures, & latrones per ostium non ingressos, habendos esse. *Gregorius de Valent. Tom. 4. Disp. 9. quæst. 3. punct. 1.* Non requiritur, inquit, jure divino consensus multitudinis, ut Ordinatio per Episcopos facta sit valida, atque adeò neque Electio, neque vocatio Ministrorum pertinet jure divino ad multitudinem, sed tantummodò ad Ecclesiæ prælatos, juxta dispositionem summi Ecclesiæ Pastoris.

22. Contrà docent Protestantes *jus eligendi, & vocandi Ecclesiæ*

lesiæ Ministros non pertinere ad unicum tantum Ecclesiæ membrum, sed ad totam Ecclesiam.

23. Sententiam hanc confirmamus. 1. *A subjecto clavium.* Quibus enim sunt datæ claves regni Cœlorum, illorum est eligere, & vocare Ecclesiæ ministros. Atqui datæ illæ sunt toti Ecclesiæ. Ergo. Propositionis veritas colligitur ex descriptione clavium. Assumptio patet ex *Matt.*18.*v.*17.18. *Dic Ecclesiæ.* Item: Quæcunq; alligaveritis super terram, erunt ligata in Cœlo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta in Cœlo, *Causa* 24. *quæst.*1.*c.*6. Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum in Cœlo, si hoc Petro tantum dictum est, non hoc facit Ecclesia, si autem in Ecclesia fit, &c. Petrus quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit. *Causa & quæst. eadem c.*20. *Omnibus.* Domus Dei, quæ unica columba appellatur, quæ sponsa pulchra, &c. etiam claves accepit, ac potestatem solvendi, & ligandi.

24. Ineptus est *Bellarminus, qui lib.*1.*de cler.c.*7.*pag.*306. contendit, nomine Ecclesiæ intelligendos esse solos Prælatos. Num enim soli Prælati sunt Ecclesia?

25. Illustrat *Bellarminus* effugium suum simili: Homo dicitur loqui, & videre, cum tamen non nisi linguâ loquatur, & oculis videat, sic & Ecclesia dicitur solvere & ligare, licet soli Prælati solvant, & ligent.

26. Resp. Simile seu exemplum illud rectè applicatum admittimus: Quemadmodum enim homo loquitur, nimirum linguâ, ut naturali instrumento, quod movetur ab animâ: Ita Ecclesia vocat Ministros per Presbyterium cui id demandavit muneris. Pastores igitur non Presbyterii, sed Ecclesiæ nominantur Ministri. Et aliud est electio, & aliud electionis executio.

27. 2. *A totius Ecclesiæ circa religionem curâ*: Quicunque ex Dei mandato tenetur religionem curare, illius omninò est cum primis laborare, ut ipsi divino cultui præficiuntur Ministri. Atqui tota Ecclesia, & omnes ejus ordines tenentur religionem curare, & de ea esse soliciti, *Matt.*7.*v.*13. *cap.*16.*v.*6.*c.*18.*v.*8. *Phil.*2.*v.*12. Ergo. Consequentia Majoris est manifesta. Quid enim magis cultui divino officit, quàm ministrorum verbi hæretica & scandalosa doctrina

ctrina? Quid eum magis promovet, quàm Ministerii puritas, & vita irreprehensibilis?

28. 3. *Totius Ecclesiæ officio*: Cujus est de verbi Ministris judicare, sinceros doctores à seductoribus discernere, sanam doctrinam audire, errores fugere; Ejus est Ecclesiæ Ministros eligere & de eligendis judicium ferre. Atqui illud totius est Ecclesiæ, & omnium ordinum, *Matt.7.v.5.* Attendite â falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ovium; intus autem sunt lupi rapaces, *Joh.* 10.*v.*4.5. Oves audiunt vocem Pastoris fugientes vocem mercenarii, & seductoris. 1.*Cor.*10.*v.*15. Judicate vos quæ dico. 1.*Thes.*5.*v.* 21. Omnia probate, quod bonum est, tenete. *Gal.*1.*v.*8. Qui docet aliud Evangelium, anathema sit. *Phil.*3.*v.*2. Observate canes, 1.*Joh* 4.*v.*1. Nolite omni Spiritui credere, sed probate Spiritus, num ex Deo sint. *Heb.*13.*v.*9. Doctrinis vanis, & peregrinis nolite circumferri. Et in Berrhoensibus laudatur, quod doctrinam Pauli cum scripturis contulerint, judicium facientes recipiendus ne sit Paulus, an ejiciendus. Ergo totius est Ecclesiæ Ministros Ecclesiæ eligere, eo nimirum ordine, qui in sacris est expressus

29. Consequentia Majoris certa est ex 1.*Tim.*3.*v.* 2. 2.*Tim.* 1.*v.*24. *Tit.*1.*v.*9. 1. *Thess.*5.*v.*21. Et si de Ministro electo auditores debent judicare, quem spiritualem Patrem tenentur agnoscere. Ergo omninò, & multò magis de eligendo.

30. Frivola & vana sunt, quæ huic fundamento Pontificii opponunt: *Exceptio prima hæc:* Populus debet quidem discernere verum prophetam à falso, sed non alia regulâ, quam diligenter attendendo, an is, qui prædicat dicat contraria iis, quæ dicebantur à prædecessoribus, *Bellarminus p.* 306. Idem habet *Gregorius de Valentia Tom.*4. *Disp.*9. *quæst.*3. *pun.*1.

31. Resp. 1. Ineptissimam illam regulam nuspiam tradit Scriptura. 2. Christus. *Luc.*4.*v.*29. à Nazarenis ob doctrinam Majorum suorum doctrinæ non consonam è Scholâ ejicitur. Num Rectè? 3. Quid si antecessores falsa, hæretica, inter se contraria, ut sæpe factum, docuissent, quæ tum regula? Num antecessoris error est canon Evangelicæ veritatis? 4. Pater de cœlo loquens mandat Filium audiri: Christus Scrutamini, inquit, scripturas. *Joh.*5.

32. Ex-

32- *Exceptio secunda* : Injunctum est populo dicit Bellarminus, ut audiat Pastores suos Resp. 1. Audiendi sunt Pastores, qui docent, quæ Christus mandavit, *Matt.*28.*v.*20. Qui secus faciunt hi sunt lupi,& mercenarii,ac proinde fugiendi. Pharisæi, & Scribæ audiendi erant, quando in cathedra Mosis sedebant, hoc est, quando Mosen proponebant; fugiendi quando sua somnia, & figmenta urgebant. 2. Positâ Bellarmini hypothesi firma nihilominus manet conclusio hæc : Populus debet discernere verum à falso Prophetâ. Ergo populi consensus & suffragium requiritur in Ministri Ecclesiæ electione.

33. *Exceptio tertia*:Si populus,inquit *Bellarminus*, per se posset judicare de doctrinâ Pastoris,non egeret prædicatoribus,Resp. 1. Quasi notitia, & judicium suos non habeat gradus, 2. quasi discipulus non opus habeat Præceptore, cum per se discernere possit inter doctum,& indoctum præceptorem.

34. 4. *A Præscriptione & praxi Apostolica.*Hi enim licet extra ordinariè essent vocati, & singulari potestate divinitus instructi: Adhibito tamen Ecclesiæ suffragio Ecclesiæ, Ministros constituerunt.Ea igitur rectissima est ratio eligendi Ecclesiæ Ministros,quæ ab ipsis Apostolis est præscripta,& usurpata. Atqui hæc talis est, ut totius Ecclesiæ accedat consensus, & suffragium.Ergo. Præscriptio Apostolica legitur 1. *Cor.*16. *v.*3. Quoscunque probaveritis per epistolam,hos mittam 1.*Tim.*3.*v.*7.Oportet Episcopum habere bonum testimonium1.*Tim.*5.*v.*22. Manus cito ne cui imponas, antequam nimirum accedat Ecclesiæ testimonium, & consensus. De praxi Apostolicâ legimus. *Act.*6.*v.*3. In ordinatione Diaconorum. *Act.*14.*v.*23.In creatione Presbyterorum.

35. Exceptionē *Bellarmini lib.*1.*de Cler.c.* 7.de concessione, nimirum factum illud est Petri concessione,nō necessitate;refutamus *ex Act.* 6.*v.*3. Dispicite fratres, ubi non est Petri concessio, sed præceptum Apostolicum. 2.neq; nos urgemus necessitatem absolutam,sed institutionem Dominicam.

36 5.*A Consideratione, & inductione singulorū ordinum*: Nā jus eligendi Ecclesiæ Ministros pertinet ad Ministerium, pertinet ad.

Magistratum,& ad statum plebeium. Ergo ad omnes Ecclesiæ ordines:Et per consequens ad totam Ecclesiam.

37. *Ius habet in electione Ministrorum ordo Ecclesiasticus.* Nam 1. docet id Apostolus 2.*Tim.*2.*v.*2. Quæ audisti à me hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.*Tit.* 1.*v.*5.Hujus rei gratia reliqui te cretæ,ut ea quæ desunt,corrigas,& constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi.2. Requirit officii ratio: Ministri enim Ecclesiæ inspectores esse debent in negotiis cultum concernentibus,cum primis in Ministrorum Electione, ne coacervent sibi doctores, quibus pruriunt aures,2.*Tim.*4.*v.*3.3.Suadet eligendi aptitudo: Omnium enim commodissimè de donis Ministro necessariis Ministerium judicare potest. 4. Postulat ratio pro animabus auditorum Deo reddenda,*Ezech.*3.*v.*18.*cap.*33.*v.*7. *Act.*20.*v.*28.*Heb.*13.*v.*16. 5. Ostendit praxis Apostolica,*Act.*6.*v.*2.3.

38. *Ius habet in eorundem electione Magistratus.* 1. Nam Magistratus Christianus utriusque Decalogi tabulæ est custos.Cultus igitur, & religionis curam habebit,*Esa.*49.*v.*23. Erunt Reges nutritii tui,& reginæ nutrices tuæ. *Cap*60.*v.*16. Suges lac gentium & mammillâ regum lactaberis 2. Magistratus pius jus hoc exemplo suo confirmavit,ut Salomon,2.*Par.*8,*v.*18.1 *Reg.*2.*v.*35.Josaphat.2.*Par.*17.*v.*7.8.*cap.*19.*v.*8.11.Ezechias,2.*par.*29.*v.*5.&c 3. Magistratus pius sæpissimè in V. Testamento cultum falsum abrogavit,& inutiles doctores removit.

39. Status eriam œconomicus jus habet in electione Ministrorum, idq; in præcedentibus ostendimus præscriptione & praxi Apostolica.

40. Ius igitur hoc non ad unum tantum pertinet ordinem,Et Pastores sunt Ministri Ecclesiæ,2.*Cor.*1.*v.*24.Non Domini,1.*Pet.*5.*v.*3.Nefas autem,Ministrum sibi sumere simpliciter partes Domini. Discrimen itidem est inter regna politica, & regnum Christi,*Joh.*18.*v.*36.Ministerii igitur Ecclesiastici constitutio, quæ pertinet ad regnum Christi soli civili Magistratui & politicæ potestati non est subijcienda.

41. Pro uberiori quæstionis declaratione. 1. repetenda est distinctio membrorum Ecclesiæ, quæ distingui possunt, ut unus sit

nus sit ordo Presbyterii Secũdus Magistratus politici, tertius status œconomici vel in Presbyterium & populũ. Populus dividi potest in Magistratum & subditos. Presbyterii nomine intelliguntur omnes illi, qui ab Ecclesiâ ad fũctiones Ecclesiasticas sunt deputati.

42. 2. Status Ecclesiæ est considerandus: Fieri enim potest, ut Ecclesia vera sit pressa, & duobus tantum constet ordinibus quibus tum competit jus vocandi, ut tempore Apostolorum, & B. Lutheri.

43. Aliud est Ministrorum electio, & aliud electionis executio: vel aliud est jus, & aliud juris executio: Illud competit toti Ecclesiæ & omnibus ejus ordinibus. Executio electionis alicui ordini potest demandari, cum nuspiam modus ejus sit definitus.

44. Ius igitur suum in Electione, & vocatione Ministrorum habet 1. Status Ecclesiasticus, 2. Status politicus, seu ipsius Magistratus. 3. Et denique status œconomicus. Consistit enim ipse vocandi modus in Presbyterii judicio, populi suffragio, & deniq; magistratus confirmatione.

45. Tumultuantur hoc loco Pontificii variè, unum tantum argumentum ipsorũ attingimus: Exemplum igitur Aaronis proponunt ex *Heb.5.v.4.* Nemo assumere sibi debet honorem nisi vocetur à Deo tanquam Aaron. Atqui Aaron à solo Mose fuit electus in Pontificem sine ullo vel consensu, vel suffragio multitudinis.

46. Resp. 1. Non confundenda est vocatio immediata cum mediatâ: Aaron immediatè vocatus est à Deo, *Exod.28.v.1.* Quæstio verò ipsa est de vocatione mediatâ. 2. Aliud est vocatio, & aliud vocationis declaratio: Aaronis immediata vocatio à Mose est declarata. 3. Particula *(tanquam)* non est trahenda ad speciem, & modum vocationis Aaronicæ; Sed ad causam principalem: Nemo enim hunc honorem sibi sumat nisi sit vocatus tanquam Aaron, hoc est, nisi à Deo fuerit missus, quod fit immediatè, vel mediatè.

47. Quæstio tertia: *An ordinaria missio, seu vocatio Ecclesiæ Ministris sit necessaria? Et annon unanimiter id doceant Protestantes?*

48. Ref. Calumniari consueverunt adversarii quasi vocationem ordinariam & legitimam nihil faciâmus, & contemnamus. *Henricus Lancelot Monachus sect.15. Pseudominist.* sic argumen-

tantes introducit: D. Apostolus legitimè missus est à Deo Apostolus, & verbi divini Minister. Atqui non est missus ab hominibus, neq; per hominem; nec ordinatus, sed immediatè à Deo. Ergo supervacanea est missio, & ordinatio humana.

49. Si verò calumniator ille Protestantes perstingit, apertissimè mentitur: Opponimus ei hanc propositionem, quam breviter confirmamus: *Ministris Ecclesiæ necessaria est legitima missio & vocatio, idque docet Spiritus S. in scriptura, docent omnes Lutheran.* 1. *Heb.* 5. *v.* 4. Ne quisquam sibi sumat honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. 2 *Rom.* 10. *v.* 15 Quomodo prædicabunt, nisi sint missi. 3. *Ier.* 27. *v.* 9. 14. 15. Nolite audire verba istorũ Prophetarũ, quia non misi eos. 4. Ferendi non sunt, sed tanquam fures, & lupi vitandi, & abigendi, quicunq; absq; legitima vocatione sese ingerunt, atq; obtrudunt, *Jer.* 23. *v.* 21 Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant? Quiq; per ostium in ovile Domini nõ intrant *Joh.* 10. *v.* 6. *Dn. Chemnitius* dicit. *Pa.* 3. *Loc. Com. p.* 314. Ecclesiæ non debent nec possunt cum fructu audire eos, qui non habent legitimæ vocationis testimonia. Verba enim Pauli manifesta sunt; *Rom.* 10. *v.* 14. Quomodo possunt audire, ita ut ex auditu fides, quæ justificet, & salvet concipiatur, si non habeant docentem, qui missus sit?

50. 7. B. Lutherus Anabaptistas, quos nominat Arge Schleicher/ rectè reprehẽdit, quod currant non missi. *Tom.* 5. *Je. Gr.* scribit *in Epist.* von den Schleichern vnd Winckelpredigern pag. 491. Ich sage furwar/ wan solche Schleicher sonst kein Vnrecht an sich hetten vnd eitel Heiligen weren/ so kan doch diß einige Stücke (dz sie ohn Befehl vnd vngefordert kommen geschlichen) sie für Teufelsbotten vnd Lehrer/ mit Gewalt überzeugen/ dann der heilige Geist schleicht nicht/ sondern fleuget öffentlich vom Himmel herab. Die Schlangen schleichen/ aber die Tauben fliegen/ darumb ist solch schleichen der rechte Gang deß Teufels/ das fehlet nimmermehr *Ibidem p.* 598 Sey gewarnet alles was Christen vnnd Vnterthanen seyn sol/ daß man sich für jhnen (den Schleichern) hüte/ vnnd höret sie nicht/ Oder wer sie leidet/ vnd höret/ der wisse/ daß er den leidigen Teuffel leibhafftig selbst höret/ nichts anders/ denn wie er auß einem besessenen Menschen redet *videatur idem Tom. eod. pag* 200. *Et. Tom.* 6. *pag.* 334.

51. Quam-

51. Quamobrem ex Scripturâ docent Protestantes vocationem legitimam Ecclesiæ Ministris esse necessariam. Addunt rectè alii, cum vocatio sit pars ordinis Ecclesiastici assertionem hanc intelligendam esse de ordine constituto, ac proinde rem aliter sese habere posse ordine nondum constituto. Deinde si Ecclesiæ Pastores à puritate doctrinæ deficiant, hæreses amplectantur, easq; spargere studeant, tum cuivis pio permissum est, ut sese hæresi, & imminenti malo opponat. Tunc enim omnes sunt docti à Deo *Joh. 6 v.45.* Et omnes Sacerdotes, *1. Pet. 2. v. 9.*

52. Quæstio quarta: *Num Lutherus à se ipso venerit; An verò vocatio ejus sit legitima?*

53. Resp. *Bellarminus lib. de Cleri. cap. 3.* Argumentum, inquit indissolubile colligemus, nempe Ecclesiam Lutheranos habere nullam. Argumentum ipsum petit à vocatione Lutheri, quam statuit non esse legitimam, imò nullam, *Leonhardus Lessius. pag. 260.* Lutherus, inquit, venit à se ipso. *Et pag. 72. 73.* Religionis Lutheranæ doctores, ut Lutherus ipse, & socii, nullâ legitimâ authoritate missi à se ipsis venerunt.

54. Ad rem ipsam verò responsuri præmittimus distinctionem *inter commune docendi Ministerium, & singulare reformationis opus.*

55. *Quod attinet prius, nempe docendi munus omnibus Ecclesiæ Ministris, & Doctoribus commune, negari non potest, B. Lutherum ad hoc modo ordinario, & legitimo esse vocatum.* Nam modo ordinario, & legitimo Ecclesiæ Minister, seu Presbyter, Theologiæ Professor, & Doctor ad verbum Dei incorruptè docendum, & falsa dogmata refutanda est vocatus. Non ergo venit à se ipso.

56. *Ordinatus est Lutherus modo ordinario, & legitimo Ecclesiæ Minister, seu Presbyter.* Contigit hoc anno Christi 1507. Non igitur venit à se ipso; Sed modo ordinario ad docendum incorruptum Dei verbum est vocatus.

57. *Constitutus est modo legitimo Academiæ Professor Theologus* Contigit hoc anno Christi 1508. modo legitimo & ordinario: Nã cum Elector Saxoniæ Dux Fridericus anno Christi 1502. Scholam, in quâ omnes Facultates proponerentur Wittebergę aperuisset Deo dirigente ordinariè jussu Electoris per D. Joh. Staupitium,

Augustinianæ familiæ in Misnia, & Thuringia vicarium & generalem inspectorem vocatus est Lutherus Wittebergam, & Theologiæ Professor constitutus atque cum magno applausu Professorum, & Academiæ studiosorum exceptus. *Qui igitur modo ordinario vocatur, ut dextrè interpretetur Scripturam, & studiosè hæreses refutet, se juramento obstringit, quod consulere velit Facultati Theologicæ, ille à seipso non venit, sed legitimam habet vocationem. Atqui hoc modo vocatus est Lutherus, & juramento suam fidelitatem confirmavit. Ergo.*

58. *Creatus est Lutherus ex Cæsareâ, & pontificiâ authoritate Theologiæ Doctor.* Cõtigit hoc ann. Christi 1512. d. 19. Oct. & quidem mandato, & sumptibus Serenissimi Electoris Friderici. *Cuicunque vero conceditur potestas docendi, & committitur officium fidem Christianam, non hæreses & dogmata Antichristi propagandi: quiq; juramento pollicetur; quod nolit dogmatisare vanas, & peregrinas doctrinas ab Ecclesiâ damnatas; ille ad docendum & hæreses refutandas legitimam habet vocationem. Atqui in solemni promotione Doctorali commissa hæc sunt Luthero, & ipse eadem promisit. Ergo.*

59. Ad vocationem hanc, & promotionem legitimam in tentationibus, B. Lutherus confugere est solitus, seque eâ erexit: Scribit *Tom. 5. Ien. Germ. in Tract.* **von den Schleichern** *pag.* 492. **Ich habs offt gesagt/vnnd sage es noch / Ich wolt nicht der Welt Gut nemen/für meinen** *Doctorat.* **Denn ich můste warlich zu letzt verzagen/vnd verzweifeln/in der grossen schweren Sachen / so auff mir ligt/ wo ich sie / als ein Schleicher / hette ohn Beruff vnnd Befehl angefangen. Aber nun muß Gott/vnnd alle Welt mir zeugen/ daß ichs in meinem Doctoratampt/vnd Predigampt öffentlich habe angefangen/vnd biss daher geführt/mit Gottes Gnaden vnd Hülffe.**

60. *Posterius nimirum singulare reformationis* opus, aggressus hoc est Lutherus singulari Spirit. S. instinctu. Instinctus hic in latâ quidem significatione dici potest extraordinaria, heroica, & quasi mixta vocatio; Sed exquisitè non est vocatio, sed vocationis ad certum actum restrictio, & ad certum opus perficiendum excitatio.

61. Impulsum hunc esse à Spiritu S. profectum probant 1. vaticinia. 2. *Thess. 2. v. 8. Apoc. 11. v. 3. cap. 14. v. 6. cap. 18. v. 1. 2.* Huc referri possunt vaticinia, quæ in individuo B. Lutherũ designarũt in cujusmodi

jusmodi est illud, quod refert Theophrastus Paracelsus in Chronicis Carinthiæ de templo à Barbarossâ ædificato, & figurâ Monachi inter alia decorato, super cujus caput scriptũ fuerit, LUTERUS. Et hoc Johannis Hussi: *Me jam anserem assatis: At post centum annos venit Cygnus, quem assare non poteritis.* 2. Doctrinæ puritas sacris literis consona. 3. Donorum excellentia, ut variarum rerum, & linguarum admiranda cognitio, atq; animi magnitudo. 4. Antichristi revelatio. 5. Sub ipso onere divina protectio. 6. Felicissimus, toto mundo fremẽte, successus. De hoc mirabili successu Gallus quidam in suis Epigrammatis verè hoc modo cecinit:

Roma urbem domuit, Romam sibi Papa subegit
Viribus illa suis, fraudibus ille suis:
Quanto isto major Lutherus, major & illâ
Orbem, urbemq; uno, qui domuit calamo.
I nunc Alcidem memorato Græcia mendax,
Lutheri ad calamum ferrea clava nihil.

Item.

Lutherus decimum confecit strage leonem
De clavá noli quærere penna fuit.

62. Hisce ita stantibus concludimus, D. Lutherum à seipso non venisse, nec temerè, sed Dei voluntate, & impulsu reformationis opus perfecisse.

63. Objicit *Bellarminus lib. 1. c. 3.* Lutherus non fuit Episcopus, sed tantum Presbyter. Non igitur habuit ipse ordinandi potestatem.

64. Resp. 1. *Act. 20. v. 17. 18. Tit. 1. v. 5.* Episcopi nominantur Ptesbyteri, & contrà. 2. Licet ordinis causa, unus qui dirigebat opus, nominatus fuerit Episcopus, non tamen simplicis Jurisdictionis potestatem habuit in alios. 3. Imò Episcopus est Minister Ecclesiæ ordinariè, ut Ecclesiam pascat doctrinâ, & Sacramentorum administratione.

65. At inquis vocationem, & ordinationem põtificiam Lutherani nihili faciunt. Ergo sequitur, ut & Lutheri vocationẽ ratam non habeant. Et per consequens penes ipsos non est vera Ecclesia, cum non habeant veros Pastores.

66. Resp. 1. Distinguimus inter ipsum officium, & officij executio-

executionem: Penes pontificios divinum, & legitimum esse Ministerium asserimus; sed quia doctrinam Antichristi Ecclesiæ proponunt; ideò rectè eos demandatum munus exequi negamus. B. *Lutherus dicit Tom. 5. Ien. Ger. in tract.* von den Schleichern *pag.* 491. **Haben die Bischove vnd Bäpste nit herrlichen Beruff/vnd Befehl? Sitzen sie nicht in der Apostel Stul/ vnd an Christus statt? Noch sind sie allesamt deß Evangelii ärgeste Feinde/schweige/das sie recht leren solten/vnd rechten Gottesdienst erhalten.** 2. vel aliud est quærere de ipso Ministerio, & aliud de Ministerii connexis: Illius essentia consistit in prædicatione verbi, & usu Sacramentorum; Connexa in papatu sunt accidentes modi varii, ut quod doceant sua figmenta. &c. Non improbatur in papatu ipsum Ministerium, sed ejus quædam connexa. 3. vel in Romanâ Ecclesiâ sunt duo: pretiosum, & vile, bonum, & malum, triticũ & zizania; Illud est divinum, cujusmodi est verbum Propheticum & Apostolicum; Hoc est papisticum: Simile quid erat in Ecclesiâ Pharisaicâ, in quâ erat divinum, nempe doctrina Mosis, & Prophetarum, *Matt.* 23. v. 2. Et vile, hoc est, fermentum Pharisæorum, à quò dehortabatur Christus, *Matt.* 16. v. 6. 12. Quemadmodum igitur aurum purgatur à luto, ita purgavit Lutherus suam ordinationem à fermento Pontificiorum: Et ut aurum in se manet aurum licet sit commaculatum, ita ipsa ordinatio.

FINIS DISPVT. XIV.

DE PAPISMO

DISPVTATIO XV.

Et quidem in specie

DE

PRESBYTERIO

SECUNDA

In qua

Christo Duce & auspice Christo

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS GISENII,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS,

ET ORDINARII IN INCLY-

ta Academiâ Gissenâ Pro-

fessoris,

RESPONDEBIT


Gerhardus Hannekenius Butjadâ-Frisius.

In Auditorio Theologico ad diem 27. Februar. horis ante-meridianis & pomeridianis.

GIESSÆ CATTORUM,

Ex officina libraria Casparis Chemlini.

cIↃ IↃ cXVIII.



DISPUTATIO DECIMAQVINTA.

QVÆ EST

De

PRESBYTERIO

SECUNDA

THESIS I.

SI quis Episcopi munus appetit, honestum opus desiderat, 1.*Tim.*3.*v.*1. Sed ut illud ordine petat, requiritur. Ordine enim Deus vult omnia fieri. Aliud igitur est officii oblatio, & aliud intrusio, quæ in Episcopo qui irreprehensibilis esse debet rectè reprehenditur. Quare Ecclesiæ Minister totius Ecclesiæ, & omnium ejus ordinum suffragio Episopus debet constitui, ut in præcedente Disputatione monstravimus. Ne autem ipse aliis salutis viam ostendens reprobus interea efficiatur, requiritur ab eo, ut vitam suam legibus divinis conformet. De his, quantum ad nostrum propositum, agemus brevissimè.

SENTENTIA PROTESTANTIUM.

2. Inter ministros igitur Ecclesiæ ordo sit oportet. Distincta enim sunt dona, & uni plura, quam alteri talenta commissa.

3. In ordine verò observando attendendum est, ut omnia ad ædificationem Ecclesiæ tendant, & nemo sibi plus, quam par est tribuat, neque falcem in alterius messem immittat.

4. Inter Ministros igitur Ecclesiæ laudatur ordo officiorum, vituperatur ordo simplicis potestatis, & jurisdictionis. Qui vult inter discipulos Christi esse maximus, sit reliquorum Minister.

5. Ordo verò inter discipulos Christi seu Ecclesiæ Ministros hic commendatur, ut alii sint primarii, hoc est, superintendentes, Seniores, & Pastores &c; Alii secundatii, hoc est, Diaconi, subdiaconi, &c.

6. Unusquisq; horum propter fornicationem fugiendam suam habeat uxorem, 1. *Cor.7.v.2.* Episcopus igitur sit unius uxoris vir, 1. *Tim.3.v.2. Tit.1.v.5.6.7.*

Sententia Pontificiorum.

7. Ecclesia catholica, terribilis velut castrorum acies ordinata, ordinibus militum distinguitur, dicit *Bellarminus pag.281. de Cler.*

8. Duobus autem modis accipitur ordo Ecclesiasticus: Uno modo propriè: Alio modo communiter, *Bellarminus lib.1. de Cler.cap.11.*

9. Propriè illi dicuntur ordines, qui certo ritu sacro & solenni conferuntur ab Episcopo, & ad certum Ministerium sacrificio divino exhibendum referuntur, *Bellarminus ibidem.*

10. Quâ ratione septem duntaxat ordines numerantur, 1. Sacerdos. 2. Diaconus 3. Subdiaconus. 4. Acolutus. 5. Lector 6. Exorcista. 7. Ostiarius, *Bellarminus L.d.*

11. Communiter dicuntur ordines illi omnes, qui quomodocunq; dedicantur divinis obsequiis, etiamsi non referantur ad sacrificium, & hoc modo etiam Monachi, virgines, & viduæ Deo sacratæ, nec non laborantes in sepeliendis defunctis, ordines aliquando dicuntur à Patribus, *Bellarminus ibid.*

12 Episcopatus verò Presbyterio est major jurisdictone, & non tantum ordinis potestate, *Bellarminus lib.1. de Cler cap.13.*

13. Cœlibatus jure Apostolico rectissimè annexus est ordinibus, *Bellarminus lib.1. de Cler.cap.19.*

Status Controversiæ.

14. Controversia igitur est de tribus. 1. de ordinibus pontificiis. 2. De distinctione Episcopatus, & Presbyterii. 3. De Conjugio Sacerdotum. De his quædam examinanda proponemus.

15. Quæ-

15. Quæstio prima: *Quid de ordinibus Pontificiorum sit statuendum, num sint approbandi?*

16. Resp. Docemus, & profitemur, ordinem inter Ecclesiæ Ministros commendari, & rectissimè observari. Nam 1. Deus ipse ordinem inter eos fecit donorum varietate, ut alii sint Apostoli alii Prophetæ, alii Evangelistæ, *Eph.4.v.11.* 2. ordo rectè servatur propter decorum & ædificationem. Ergo necessarius est, ne oriantur confusiones, 1. *Cor.14.v.40.* Omnia decenter, & secundum ordinem fiant. 3. Ordo facit ad unitatem, & concordiam servandam. Ad hanc verò quicquid facit, illud in Ecclesiâ omninò est amplectendum. 4. Apostoli crescente numero discipulorum Christi ordines pro ratione circumstantiarum, & Ecclesiæ conditione constituerunt & quidem primò, ut pro ratione cœtus Ecclesiastici, singula officia, quæ ad ministerium Ecclesiasticum pertinent, diligentius, commodius, & ordine absq; ulla confusione sine avocamentis ad ædificationem administrarentur, *Act.6.v.3.4.* Circumspicite fratres viros ex vobis, quibus delegabimus hoc negotii. Nos verò deprecationi, & administrando sermoni incumbemus. Secundò, & hic horum graduum fuit usus, ut prius in minorib. præpararentur, ut postea à gravioribus utilius præesse posset, Apostolus dicit, 1. *Tim.3.v.10.* Probentur prius, deinde ministrent *v.13.* Qui (in Diaconatu) bene ministraverint, gradum sibi bonum acquirent. In Ecclesiâ Antiochiâ erant Prophetæ & Doctores *Act.13.v.1.* Quorum illi vel de futuris vaticinabantur, vel Scripturæ testimonia difficiliora interpretabantur 1. *Cor.14.&15.* Hi doctrinæ Christianæ seu eloquiorum Dei elementa inculcabant, *Heb.5.v.12.*

17. Observavit *Dn. Chemnitius in Exam. Concil. Trident. par.2 de Sacr. ord p.395* hos Ministerii gradus: 1. Apostoli fuerunt, qui immediatè à Christo vocati habeant mandatum ubique docendi & testimonio Spiritus & miraculorum erant commendati, quod in doctrinâ, ad quam reliqui Doctores, erant alligati non errarent. 2. Prophetæ, qui vel revelationes habebant de futuris, de quibus vaticinabantur; vel qui provectioribus linguas, & scripturas interpretabantur. 1. *Cor.14.* 3. Evangelistæ, qui licet non ad ubique docendum ut Apostoli essent emissi, non tamen ad unam certam aliquam Ecclesiam fuerunt destinati, sed ad diversas mittebantur

Ecclesias, in quibus Evangelium docerent, & inprimis doctrinæ Christianæ fundamenta ponerent: Talis Evangelista fuit Philippus, *Act.*21. Timotheus 2. *Tim.*4. 4. Pastores, qui certo Ecclesiæ gregi præfecti non tantum docebant, sed etiam Sacramenta administrabant, 1. *Pet.*5. 5, Doctores, quibus non erat commendata præcipua Ecclesiæ gubernatio, vel inspectio, sed populo doctrinam fidei simpliciter inculcabant Apostolus *Roman.* 2. *versic.* 20. Doctorem nominat παιδευτὴν ἀφρόνων, διδάσκαλον νηπίων Eruditorem insipientium, præceptorum imperitorum.

18. Quare ordinem in Ecclesia commendamus; At negamus 1. ordines certo, & necessario numero à Deo esse præscriptos 2. Qui igitur, & quot esse debeant in libero Ecclesiæ arbitrio est positum quæ ordines habitâ Ecclesiæ conditione, & circumstantiarum constituit. 2. Tempore Apostolorum in omnibus Ecclesiis nec fuerunt semper, nec totidem, neque gradus iidem 3. Unus & idem sæpe tempore Apostolorum omnia officia quæ ad Ministerium pertinent, sustinuit. Distinctio igitur & graduum illorum distributio non fuit necessitatis, sed liberæ voluntatis. 4. Ordinis ratio ad primatum quendam Jurisdictionis torqueri non debet.

19. Ordines Pontificiorum valde sunt inordinati. 1. Æquivocos eos rectè dixeris respectu executionis Diaconos subdiaconos &c. Nam titulos sine re & beneficia titulorũ sine officiis tenent, & usurpant. 2. officia titulis illis suppositi nunt aliena, rejecto vero & legitimo verbi, & Sacramentorũ Ministerio. Episcopus & Presbyter erant Ecclesiæ Ministri; At Põtificii ex Episcopatu fecerunt politicã dominationẽ! Ex Presbyteris sacrificulos. Acoluthi olim erant Ministerii Candidati, sive adultiores Theologiæ studiosi qui Episcopũ assiduè sectantes sub ipsius ductu & auspicio sese ad Ministerium præparabant; At pontificii ex Acoluthis fecerunt ceroferarios solem in mediâ luce facibus illuminantem, & hanc esse hujus vocabuli apud latinos interpretationem; Sed explicationem & notationem hanc esse ineptam, absurdam & barbaram nemo non videt. Ostiarii olim eodem ferè loco habebantur, quo apud nos Æditui, seu templorum custodes At pontificii ex ostiariis fecerunt thesaurarios. Frustra nobis objiciunt

eiunt Pontificii suam consuetudinem. Nam quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere; Sed de his alibi plura.

20. Quæstio secunda: *An essentiale sit discrimen inter Episcopatum & Presbyterium? Seu. An Episcopatus in Scripturâ sacrâ sit major Presbyterio tum ordinis potestate, tum etiam jurisdictione?*

21. Resp. Statuunt Pontificii omnia officia, præcipuè officium ordinandi & prædicandi esse Episcoporum propria, ita ut Presbyteris prædicare non liceat nisi ex Episcopi mandato, cum Episcopatus Presbyterio jurisdictione sit major. *Concilium Tridentinum Thes.* 24. *Can* 7. Si quis, ait, dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi, vel eam quam habent, illis esse cum Presbyteris communem &c. anathema sit *Bellarminus lib.* 1. *de Clericis cap.* 14. *p.* 325. Ecclesia catholica, inquit, distinctionem agnoscit, ac docet jure divino Episcopatum Presbyterio majorem esse, tum ordinis potestate, tum etiam jurisdictione. *pag.* 326. Primò jure divino, inquit major est Episcopus Presbyterio, quod attinet ad ordinis potestatem. Secundò, major est etiam, quantum ad jurisdictionem. Tertiò, Episcopi in veteri Ecclesiâ non fuerunt in cœtu Presbyterorum, quasi consules in Senatu, sed quasi Reges, ac Principes in cœtu consiliariorum.

22. Quamvis verò Protestantes ordinem inter Ecclesiæ Ministros omninò approbent, si modo inserviat Ecclesiæ ædificationi: Attamen fundamentis moventur sequentibus, quò minus subscribant distinctioni pontificiæ inter Episcopatum & Presbyterium.

23. 1. *Petitur à permutatione vocabulorum Episcopi, & Presbyterorum*: Nam Scriptura indifferenter utitur vocabulis Episcopi & Presbyterorum. Ergo docet, inter Episcopos, & Presbyteros reale non esse discrimen. Antecedentis probatio legitur, *Act.* 20. *v.* 17. Nam Ephesinæ Ecclesiæ Presbyteros accersitos fuisse Presbyteros dicit Lucas, Ἀπὸ δὲ τῆς Μιλήτου πέμψας εἰς Ἔφεσον, μετεκαλέσατο τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας; Hos verò Apostolus Paulus *ejusdem capitis versic.* 28. nominat Episcopos, προσέχετε οὖν ἑαυτοῖς, καὶ παντὶ τῷ ποιμνίῳ, ἐν ᾧ ὑμᾶς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔθετο ἐπισκόπους.

Phil..

*Philip.*1.*v.*1.scribit Apostlus:Paulus & Timotheus servi Jesu omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis cum Episcopis, & Diaconis. Ubi per Episcopos non alii, quam seniores, & Presbyteri possunt intelligi: Docet enim Apostolus in illâ unicâ civitate plures fuisse Episcopos. At secundam distinctionem pontificiam in una civitate non possunt esse plures, quam unus Episcopus. *Tit.*1. *v.*5. Injungit Apostolus Paulus Tito, ut per civitates constituat Presbyteros; Hos verò *ver.*7. nominat Episcopos. 1.*Tim.*4.*v.*14. dicit Apostolus. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per impositionem manuum Presbyterii. Ipsi vero Pontificii nomine hoc intelligunt chorum Episcoporum. Qui 1.*Pet.*5.*v.*1 dicuntur Presbyteri, nominantur v.2 ἐπισκοποῦντες Deniq; nomen Presbyteri de ipsis etiam Apostolis prædicatur. Nam Apostolus Petrus alloquens 1.*Epist.*c.5.*v.*1.nominat se συμπρεσβύτερον.

24, Effugium *Bellarmini lib.*1. *de Cler. c.*15.*pag.*330. hoc est: Nomina illa, Episcopus, & Presbyter, communia fuerunt omnibus sacerdotibus, tam majoribus, quos nunc Episcopos dicimus, quam minoribus, quos Presbyteros appellamus, licet res ipsæ, & potestates distinctæ essent.

25. Resp. 1. Sufficit ostendisse contra pontificios in scriptura Episcopum non distingui à Presbytero jurisdictione 2. Apostoli non tantùm nomen sed etiam officium commune fuisse istis in locis docent.

26. 2. *A Sacramentorum efficaciâ*: Sacramentorum efficacia non dependet à personæ intentione, & dignitate administrantis, sed instituentis, 2.*Cor.*4.*v.*7. Ergo nihil interest utrum Presbyter; An verò Episcopus ea administret: Et per consequens respectu ejusmodi officiorum Presbyter, & Episcopus non distinguuntur.

27. 3. *Ab officiis primariorum Apostolorum*: Nam Paulus & Petrus primarii Apostoli sibi principatum præ reliquis non arrogarunt. Distinctio igitur illa pontificia inter Episcopum & Presbyterum non est juris divini. Nam Apostolus Petrus, 1.*Pet.*5.*v.*1 nominat se non Episcopum sed συμπρεσβύτερον. Et Apostolus Paulus sic nos inquit, 1.*Cor.*4.*v.*1. æstimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores Misteriorum Dei. *Et* 1.*Cor.*3.*v.*5. Quis est Paulus, quis Apollo, nisi ministri, per quos credidistis.

28.4.*A*

28. 4. *A communi omnium Apostolorum potestate:* Nam Christus Apostolis parem dedit potestatem peccata remittendi, homines docendi, & Sacramenta administrandi *Matt.*28. Ergo respectu horum officiorum eos non distinxit.

29. 5. *Ab authoritate humana: Distin.*93.*C*,24. Audio quendam in tantam erupisse vecordiam, ut Diaconos Presbyteris, id est Episcopis anteferret. Nam cum Apostolus perspicuè doceat, eosdem esse Presbyteros, quos Episcopos, quid patitur mensarum, & viduarum minister, ut supra eos, se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur? Quæris authoritatem? Audi testimonium (Paulus, & Timotheus servi Christi Jesu omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis cum Episcopis & diaconis) vis & aliud exemplum? In actibus Apostolorum ad unius Ecclesiæ Sacerdotes ita loquitur: Attendite vobis, & cuncto gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos, ut regeretis Ecclesiam Domini, quam acquisivit sanguine suo, &c. *Distin.*95.*C*.5. Olim idem erat Presbyter, qui & Episcopus. Et antequam Diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis: Ego sum Pauli, ego Apollo, egò autem cephæ, communi Presbyterorum consilio, Ecclesiæ gubernabantur. Postquam verò unusquisq; eos. quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris, electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur, &c. *Lombardus lib.*4.*distin.*24.*lit.*1. Apud veteres inquit, iidem Episcopi, & Presbyteri fuerunt. *Ibidem*: Qualis elegi debeat Presbyter, Apostolus scribens Timotheo ostendit, ubi nomine Episcopi Presbyterum significat.

30. Quæ contra argumenta opponunt Pontificii in iis fere singulis, petitur principium: Constitutum quidem est olim post Apostolorum tempora discrimen inter Episcopos & Presbyteros; sed ordinis causâ non jurisdictionis, & mandati divini. Quare Episcopus alius est Evangelicus, alius Ecclesiasticus, & alius Pontificius.

31. Quæstio tertia: *Num Sacerdotes seu Ministri Ecclesiæ necessario debeant esse cælibes?*

32. *Concilium Tridentinum Sess.* 8.*Can.*9. Si quis dixerit Cle-

ricos, decernit in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiasticâ, vel voto, & oppositum nihil aliud esse, quam damnare matrimonium, posseq; omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt, se castitatis (etiamsi eam voluerint, habere donum anathema sit. *Eckius in Enchir. Tit. 19. p. 117.* Sic narrat Presbyter, qui uxorem duxerit ab ordine suo illum deponi debere statuimus, quod si fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit, extra Ecclesiam abjiciatur, & pœnitentiam agat. Presbyter si uxorem duxerit, ab ordine deponatur. *Costerus in Enchir. pag. 523.* Sanctissimus mos est Romanæ Ecclesiæ inquit, rationiq; & scripturis consentaneus, atq; à Majoribus acceptus, quo neminem ad sacros admittit, nisi cælibem, aut qui de uxoris consensu castitatem suam Deo consecravit. *Ballarminus l. 3. de Cler c. 19. p. 349.* Probandum, inquit, nobis est, votum continentium annexum esse ordinibus sacris, ita ut nec ducere uxores, nec uxoribus anteà ductis uti liceat post ordinationē; positivo quidē jure, sed antiquissimo, & æquissimo, & quod nullo modo expediat ut relaxetur. *Jacobus Perionius* scribit. *p. 192.* Quoniam in Apostolorum decretis scriptum reperitur eorum, qui in Clericorum numerum non inito conjugio adscribuntur, solis lectoribus, & cantoribus fas esse uxorem ducere, nos etiā hoc approbantes statuim⁹ ex hodierno die nullo modo licere hypodiacono, vel diacono, vel Presbytero post ejus institutionē seu ordinationem, uxorē sibi adjungere. Quod si quis ausus sit facere, de gradu dejicitor, Idem de Monachis, virginibus ijsque, quæ monasticam sequuntur, cautum est consiliis generalibus.

33. Contrà credunt, docent, & profitentur Protestantes, quod Deus ab hoc vitæ statu videlicet à conjugio nullum hominem, quem ad illud fecit idoneum velit arceri, sive repelli, ac proinde necessarium non esse ut Sacerdotes sint cœlibes. Nam 1. Status hic ab ipso Deo universo hominum generi est institutus & commendatus, *Gen. 2. v. 18.* Non est bonum, hominem esse solum. At Sacerdos est homo. Ergo. Quod enim prædicatur de genere idem etiam prædicatur de specie, & quod verum est de specie idem de individuo.

34. 2. Con

34. 2. Conjugio Deus variis modis benedixit quod extra dubium est apud eos, qui de conjugio ex verbo Dei judicant. Ergo Sacerdotibus eo non interdixit, nec prohibitio nulla in Scriptura est expressa, idq; fatentur ipsi Pontificii *Jaachimus Perionius* scribit pag. 191. Testimonio quidem Scripturæ docere perspicuè non possumus, Sacerdotibus (hoc autem nomine diaconos, & hypodiaconos etiam intelligimus) prohibita esse conjugia. Nec si quis proferat ea, quæ Paulus priore ad Corinthios Epistola de virginitate dicit, contra eos valebit. Itaq; hanc legem humanam quidem esse dicimus, sed divino consilio latam eandam concedimus *Bellarminus lib. 1. de Cler. cap. 18. pag. 346.* scribit: Beatus Thomas in 2. 2. quæst. 88. Art. 11. disertè docet, votum continentiæ esse annexum ordinibus sacris ex solo Ecclesiæ decreto, ac proinde dispensabile esse. Idem docet Cajetanus in opusculis *Tom. 1. Tract. 27.* Et Sotus lib. 7. de justitiâ quæst. 6. Art. 2. Ubi etiam docet, quod ego verissimum puto, decretum hoc, quo votum est annexum ordinibus non propriè divinum esse. &c.

35. 3. Ipsa natura homines ad conjugium formavit. Nemo igitur hominum ab hoc statu debet arceri. 4. Qui vitæ status est medicina contra fornicationes, & vagas libidines, ille Ecclesiæ Ministris non debet interdici, quia ipsi cum sint homines, libidinum flammas persentiscere possunt. Atqui honestum conjugium est talis vitæ status, 1. *Cor. 7. v. 9.* Propter fornicationem unusquisq; suam habeat uxorem. Ergo. 5. In quo vitæ statu absque carnis actionibus Ecclesiæ Ministri vivere possunt, ab eo non sunt simpliciter arcendi. Atqui in honesto matrimonio taliter vivere possunt 1. *Cor. 7. v. 9.* Satius est matrimonium contrahere, quam uti. Ergo.

36. 6. In V. Testamento sanctissimi quiq; viri Patriarchæ, Prophetæ, Reges sumi Sacerdotes, Levitæ, cæteriq; Judæi divinam hanc, ordinationem fuerunt amplexi, ac venerati, ut Henoch, *Gen. 5. v. 21. Noah, Gen. 6. v. 9. Melchisedech. Gen. 11. v 10. Abraham. Gen. 20. v. 7. Aaron Sacerdos. Exo. 6. v. 23. Ezechiel Propheta, Ezechi. 24. ver. 16. Zacharias Sacerdos, qui Luc. 1. justus, & irreprehensibilis vocatur.*

37. At inquiunt Pontificii aliâ esse ratione veteris, & aliam

Novi Testamenti, Diversitatis rationem his explicat verbis *Eckius in Ench. pag.* 115. Veteribus Levitis & Sacerdotibus uxores ad usum habere concessum fuit, quia multum temporis otio vacabant à Ministerio, & Sacerdotio: Multitudo enim erat Sacerdotum, & unusquisque certo tempore serviebat secundum institutum David, qui 24. classes constituit Sacerdotum, 1. *Par.* 12. Nunc autem omnes à conventu fœminæ abstinere debent, quia necesse est eos quotidie in Ecclesiâ præsto esse nec habere dilationem.

38, Resp. 1. Primæva sancti matrimonii institutio ab ipso Christo in N. Testamento est reperita, & nobis absq; exceptione ejusmodi Pontificia est commendata. 2. In N. Testamento ubi regulæ vivendi præscribuntur maritis, uxoribus, liberis, nusquam ulla traditur differentia inter eos qui sunt in Ecclesiæ Ministerio constituti, & alios quosvis Christianos. Ergo respectu cõjugii inter Ecclesiæ Ministros V. & N. Testamenti nulla est differentia. 3. Et nos ipsi cælibatum probamus in istis, qui dono continentiæ sunt præditi, non quasi cultus divinus, neque quasi conjugio per se inesset immundicies; Sed propter fines utiles: In cœlibata enim viventes minus avocantur ab iis, quæ religionem concernunt.

39. 7. Ex Apostolis, & reliquis Christi discipulis nonnulli fuerunt conjugati: Petrus enim vixit in conjugio, 1. *Cor.* 9. *v.* 5. Habuit socrum, *Matt.* 8. *v.* 14. *Mar.* 1. *v.* 30. *Luc.* 4. *v.* 38. Philippi Ecclesiæ Ministri filiæ quatuor numerantur, *Act.* 21. *v.* 10. Paulo & Barnabæ conjugio non fuit interdictum, 1. *Cor.* 9 *v.* 5. Paphnutius pro conjugii libertate pulchre disserit apud Sozomenum *lib.* 1. *c.* 22. Græci igitur, & alii orientales legem istam de Clericorum cælibatu improbant. Mantuanus verè canit —— —— Non horruit illa Tempestate Deus thalamos, connubia, tædas. &c.

40. Effugium *Bellarmini pag.* 360. hoc est: Certum est eos ex Apostolis, qui uxorem habuerunt postquam vocati à Christo fuerunt officio conjugali renunciasse, ut colligitur ex *cap.* 10. *Matt.* Ecce reliquimus omnia, & secuti simus te. Dominus statim explicat quid sit relinquere omnia, adjiciens: Omnis, qui reliquerit aut patrem, aut matrem, aut uxorem. Deinde 1. *Cor.* 9. non loquitur Apostolus de uxoribus, sed de piis fœminis, quæ sequebantur Apostolos, & eis ministrabant.

41. Resp.

41. Resp. 1. Petit Bellarminus principium 2. Nullum Apostolis de deserendis uxoribus dedit mandatum 3. Non tantum uxores habuerunt, sed etiam post Apostolatum liberos generarunt, 1. Tim. 3. v. 2. Tit. 1. v. 6. 4. *Eusebius lib. 3. Histor cap.* 30. Clemens sanè hic, inquit, cujus voces annotavimus, scribens adversum eos, qui nuptias spernunt inter cætera etiam hæc dicit: An & Apostolos improbant? Petrus etiam ac Philippus uxores habuerunt, & filias etiam viris nuptum dederunt: Sed & Paulum non tædet in quadam epistolâ mentionem, vel salutationem facere compatris sui. 5 Petrus reliquit retia non domum, quia Christus postea venit in domum Petri *Matt* 8. v. 14. 6. Nomine sororis. 1. Cor. 9. intelligitur fidei professio, nomine mulieris legitima uxor. Alia igitur est soror naturalis, & alia spiritualis Petrus uxorem circumducebat, & sibi hoc licere indicat Apostolus.

42. 8. Chrristus conjugium multis modis commendat, *Matt.* 19. v. 4. Conjugatos in venerandum collegium Apostolicum assumit, *Matt.* 8. v. 14 Suâ divinâ præsentiâ, & miraculo nuptias cohonestat, *Joh.* 22. v. Liberos dulcissimè amplectitur, *Matt.* 18. v. 2. Sextum Decalogi præceptum à variis corruptelis vindicatum diligenter exponit, *Matt.* 5. v. 27.

43. 9. Apostolus affirmat, *Heb.* 13. v. 4. Conjugium esse honorabile ἐν πᾶσιν inter omnes nempe qui juxta Dei ordinationem conjunguntur. Ab honorabili verò, & immaculato vitæ statu non simpliciter Ecclesiæ Ministri sunt arcendi. Atqui conjugium est honorabilis, & immaculatus vitæ status. Ergo.

44. 10. Apostolus 1. *Tim.* 3. v. 2. Oportet Episcopum irreprehensibilem, inquit, esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, &c. *Tit.* 1. v. 5. 6. 7. Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt corrigas, & constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui. Si quis sine crimine est. unius uxoris vir filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim Episcopum sine crimine esse. *Cuicunque igitur præcepta de conjugio, & filiis educandis præscribuntur, ei in conjugio vivere permissum est. Atqui Episcopis, hoc est, Ecclesiæ Ministris de conjugio, & liberis educandis præcepta proponuntur. Ergo.*

45. Excipit *Eckius in Enchir. pag.* 117. Oportet, inquiens, E-

piscopum esse conjugatum. Atqui neque Christus, neque Paulus, neq; Titus fuerunt conjugati: Ergo non fuerunt Episcopi.

46. Resp. Committit *Eckius* fallaciam compositionis, & divisionis. Vocabulum enim (*oportet*) non tam ad subjectam, quod est vocabulum (*Episcopus*) est referendum, quam ad prædicatum, qnod est (*Vnius uxoris esse*) Non infert igitur necessitatem simplicemrut necesse sit, quemlibet Ecclesiæ Ministrum esse uxoratum, sed innuit, si Episcopus vixerit in conjugio, ne uno & eodem tempore sit πολύγαμος.

47. Instant Pontificii statuentes. Vocabulum (*esse*) in sententiâ, Paulinâ significat idem, quod fuisse. Verba igitur B. Pauli ita sunt intelligenda, ut sit prohibitum sacris ordinibus initiare eos, qui quovis modo bigami fuerint, *Eckius pag.* 117. Bigamum, inquit, non admittit Ecclesia hic edocta à Paulo. Unde quamvis is, qui multas habuerit concubinas ordinetur in Sacerdotem, vel Episcopum, non tamen qui plures legitimas habuit uxores, videatur etiam *Bellarminus pag.* 373.

48. Resp, 1. Si tam impudenter licet sophisticari, inferemus pariter, quia vocabulum (*irreprehensibilem*) jungitur verbo (*esse*) oportere Episcopum irreprehensibilem fuisse, Quare post cómissum Episcopatum esse non debet irreprehensibilis. 2. Hoc autem affirmare, cum sit impium. ideò literalem tenemus sensum adeòq; tempus præsens: Loquitur enim Apostolus in præsenti: Et præscribit leges secundum quas deinceps suos liberos educare debent Episcopi.

49. 9, Antichristi proprium non debet introduci in Ecclesiam verã. Atqui prohibitio conjugii est nota Antichristi propria, 1. *Tim.* 4. *v.* 1. 2. 3. Ergo. Frustra dixeris, à Pontificiis nemini conjugium prohiberi, cum neminem ad sacros ordines aspirare cogant. Nam usum conjugii cum sacris ordinibus, seu cum functione Ecclesiasticâ consistere non posse scribunt: Hoc ipso igitur revera cõjugiũ si non omnibus, at saltẽ aliquibus, apertè prohibent.

50. 10. His rectè adduntur Pontificiæ hujus legis fructus, quos impuros esse testatur experientia. Ac proinde ex his mala arbor est agnoscenda. *Vdalricus Episcopus Augustanus* in Epistola Nicolao Papæ inscriptâ conqueritur ante tempora Lutheri de sex millium

milium puerorum capitibus in cænobiali quadam piscina repertis.

51. 11. Quam honestè Pontificii de ipso loquantur matrimonio ipsorum proponimus verbis: *Bellarminus lib.2. de Monachis cap.*10. Quæ non se continet, inquit, nubat, melius est nubere, quam uri: Nam utrum q; est malum & nubere,& uri: Imò pejus est nubere. *Ibidem*: Quæ autem nubit post votum simplex, illa verum matrimonium contrahit: tamen aliquo modo *magis* peccat, quam quæ fornicatur, quia reddit se impotentem ad servandum votum, quod non facit, quæ fornicatur. *Costerus cap.*17.*pro.*9.*p.*528. Sacerdos, inquit, si fornicatur, aut domi concubinam foveat, tametsi gravi sacrilegio sese obstringat, gravius tamen peccat, si contrahat matrimonium, *Gretserus in Histor ord. Jesuit. pag.*113. Verissimè scripsit Costerus noster, ait, Sacerdotem si fornicetur, aut domi concubinam foveat: tametsi gravi sacrilegio se obstringat, gravius tamen peccare, si contrahat matrimonium: Quia etiamsi Sacerdos nuptias celebrat: nuptiæ tamen nullæ sunt neque uxor illa legitima sit uxor, sed scortum manet, cum Sacerdos ad matrimonium contractum sit inhabilis.

52. Quamobrem, his ita stantibus, prohibitionem cõjugii cum Apostolor.*Tim.*4. doctrinis diabolicis accensemus. Addimus nonnullas observationes. 1. Aliud igitur est, ipse Dei cultus,& aliud quod ad eum quatenus refertur, seu ipsi inservit: Cœlibatus commendatur in personis idoneis, seu dono continentiæ præditis, non quasi per se sit cultus Dei, sed propter fines utiles. 2. In doctrinâ igirur de cælibatu cum primis notandæ sunt causæ finales quæ petendæ sunt non ex intentione proptiâ, sed ex scripturâ, quæ tres inculcat, prima est instans necessitas, 1. *Cor.*7.*v.*16. Secunda solicitudinis,& molestiarum, quæ in conjugio objiciuntur, carentia, 1.*Cor.*7.*v.*28.32. Tertia avocamentorũ à continua oratione,& eorum, quæ religionẽ concernunt remotio, 1.*Co.*7.*v.*32. 34.35. cœlebs curat ea, quæ sunt Domini, ut Deo placeat, ut sit sancto corpore,& spiritu &indivulsè Dño adhęreat. Idẽ docet servator *Matt.*19.*v.*12. Sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverũt propter regnũ Cœlorum. 3. Appellatione *regni Cœlorũ* intelligitur in Scripturâ vel æterna beatitudo, vel ministeriũ Evangelir exercitia fidei, pœnitentiæ

tentiæ pietatis,& invocationis,ut hoc loco interprete Apostolo, 1. Cor.7.Castrare igitur seſe propter regnum Cœlorum,non significat per se cultum, licet faciat ad cultum, neque denotat causam meritoriam vitæ æternæ;Sed significat,nonnullos dono continentiæ præditos respicere futuram vitam, & non terminare finem actionum ex hac caducâ vita:Proinde cælibes manent, ut expeditius,& liberius instare possint verbo fidei & orationi die ac nocte.4. Personæ cælibatus capaces sunt primò, quæ corpore ad conjugium sunt ineptæ: Secundò, quæ per violentiam ab hominibus sunt castratæ: Tertiò, quæ aptæ sunt ad conjugium, sed castrant se propter regnum Cœlorum, si scilicet donum continentiæ ipsis sit datum,ad quod genus referimus vocationem:sicut enim unumquêque vocat Deus, ita ambulet,auxiliumque à Deo petat. 5. Donum Dei aliud est commune, *Jacob.*1.*v.*5. Aliud singulare, & proprium, cujusmodi est donum continentiæ, *Matt.*19 *v.*11,12. Non omnes capiunt verbum istud. Qui potest capere, capiat.1. *Cor.*7.*v.*7. Unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidam sic, alius verò sic,*Ibid.v.*17. Sicut unicuique divisit Dominus, unumquemque sicut vocavit Dominus,ita ambulet.

FINIS DISPVT. XV.

DE PAPISMO

DISPVTATIO XVI.

Et quidem in ſpecie

DE

MONACHIS

In qua

Chriſto Duce & auſpice Chriſto

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS GISENII,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS,

ET ORDINARII IN INCLY-

ta Academiâ Giſſenâ Pro-

feſſoris,

RESPONDEBIT

Petrus Bartholomæus Struch Ripenſis Danus.


In Auditorio Theologico ad diem 4. Februar. horis antemeridianis & pomeridianis.

GIESSÆ,

Typis exſcribebat Caſparus Chemlinus.

M. DCXVIII.

DE PAPISMO



GIESSÆ,

M DCXVIII.

DISPUTATIO DECIMASEXTA.

DE MONACHIS.

THESIS I.

DOcentibus annumerant Pontificii Monachos, licet sint, qui illos mixtum quid ex Clericis, & Laicis statuant: Et quidam censeant, esse eos potius Laicos quam Clericos, & Ecclesiæ Ministros, cum neq; vocentur ab Ecclesiâ, neque mittantur, sed ipsi per se, privatas suas faciant secessiones; At nemo sibi sumit honorem, & dignitatem Ecclesiasticam, nisi qui vocatur à Deo tanquam Aaron: *Heb. 5. v. 4.* Et Ecclesiasticum Ministerium qui suscipit, legitimè oportet mittatur, *Rom. 10. v. 15.* Atq; Minister Ecclesiæ seu Presbyter ex verâ Christi institutione totus est alterius, nihil pene suus: Est enim Christi, & Ecclesiæ Minister ad docendum populum, & Sacramenta dispensanda vocatus & institutus; At Monachus seu solitarius sibi soli vacat, & in propriâ solâ suæ animæ salute curandâ est occupatus. De his sequitur, ut conferamus.

SENTENTIA PROTESTANTIUM.

2. Protestantes igitur institutum Monachorum & Eremitarum, qui hodie in Papatu reperiuntur tùm in Judaicâ, tùm in Apostolicâ Ecclesiâ penitus incognitum fuisse, docent. Incepisse verò post aliquot ab Apostolorum temporibus secula.

3. Occasionem vitæ eremiticæ dederunt graves persecutiones ab hostibus veritatis contra Christianos institutæ, quibus pii viri sunt compulsi, ut in solitudines aufugerent, sese occultarent, atque blasphemias gentilium hominum audire, necessum non esset.

4. Subsequentibus temporibus necessitas in voluntatem est versa. Cum enim isti duram agerent vitam, in meditatione Scri-

pturæ esset occupati, ac religiosè Deum colerent, factum est, ut posteà in magno pretio sint habiti, & Monasteria sint instituta, ut in iis procul ab hominum turbâ commodius studiosi instituerentur, atque ad Ministerium Ecclesiasticum præpararentur.

5. Magna igitur est differentia inter istos antiquiores, & hodiernos Monachos, quorum & status Deo displicet, quia nullus cultus propriâ intentione susceptus, Deo placet, *Esa.29.v.13. Matt.15.v.19. Mar.7.v.7.* Et nomina istorum ordinum cum Scripturâ pugnant, *1.Cor.1.v.12.* Qui enim in doctrinâ conveniunt diversis nominibus religiosis sese non discernant.

Sententia Pontificiorum.

6. *Bellarminus in præfat. præmissa libris de Clericis pag.* 281. Quidam, inquit, sunt, tùm ex Clericis, tum ex Laicis, qui certis symbolis, ac functione ab utrisque distincti, tertium ordinem faciunt, ac Regulares, sive Monachi nominantur.

7. *Ibidem:* Regulares ac Monachi, neque uno in loco degunt, neque iisdem muneribus destinantur, sed alii in montibus, & turribus quasi vigiles quidam perpetuò excubant, & clamore prope assiduo hostes exterrent; alii tanquam devoti milites ante ipsam aciem longè progrediuntur, castraq; hostilia audacter infestant; Quidã etiam sunt, quos Anachoretas nominamus, qui divinâ quadam virtute præditi, seorsim à cæteris in aperto campo, locisque desertis ad singulare certamen hostem provocant, necratò eundem Christi ope gloriosè prosternunt.

8. Sunt igitur Monachi vel Cœnobitæ, vel Anachoretæ, seu Eremitæ. *Bellarminus lib.2.de Monachis c.3.pag.*429 Veteres duo tantùm, inquit, agnoscunt genera religiosorum, unum anachoretarum, sive eremitarum: Alterum cœnobitarum. *Ibidem:* Possumus tribus modis Deum diligere, eique servire: Uno modo per contemplationem ipsum Deum in se diligendo, eique inhærendo; Alio modo per actionem Deo in membris ejus serviendo, ut alendo, suscipiendo peregrinos, &c. Tertiò modo per utrumque simul Deo obsequium præstando, id est, per contemplationem, quæ in actionem prodeat, sive per actionem, quæ necessariò requirat contemplationem. Juxta hos fines tria sunt genera religionum: Unum earum, quæ profitentur vitam contemplativam.

plativam. Alterum genus est earum religionum, quæ profitentur vitam activam, quod in tot formas dividitur, quot sunt opera charitatis. Tertium genus est eorum, qui profitentur vitam mistam, quod etiam in varias formas dividitur.

9. Origo religiosæ vitæ non fuit casus, vel error, vel prava imitatio, sed perfectionis desiderium, *Bellar. lib. 2. c. 5.*

10. Est verò religiosa hæc vita adeò antiqua, ut quædam ejus adumbratio fuerit in lege naturæ ante diluvium: Major quædam expressio in lege Mosis: Perfectio autem Apostolorum tempore, *Bellarm. ibidem.*

11. Religiones quæ nunc sunt, eædem sunt quoad essentiam cum iis, quæ erant temporibus antiquissimis, *Bellarm. L. d.*

12. Monachorum ordinibus singularis ineſt perfectio: per vota, & observationes suas merentur Monachi gratiam: Religio enim est status hominum ad perfectionem Christianam per paupertatis, continentiæ, & obedientiæ vota tendentium, *Bellar. lib. 2. de Monac. cap. 2.* Scribit *Johannes à Daventria in Harm. August. Confess. Anno 1587. Coloniæ impressâ ad Articul. de votis Monasticis pag. 452.* Si docuerunt Monachi, vota paria esse Baptismo, se hoc vitæ genere mereri remissionem peccatorum, & Justificationem coram Deo, imò non tantum mereri justitiam coram Deo, sed amplius etiam, &c. certè nihil falsò docuerunt. Si docere poterunt Adversarii, hanc doctrinam habere aliquid incommodi, erunt haud dubiè, qui eis respondeant. Quod docent Monachi, monasticam vitam mereri remissionem peccatorum, & Justificationem, Evangelicæ doctrinæ nihil adversatur, imò sacris literis undequaq; consonum est.

STATUS CONTROVERSIÆ.

13. Ventilanda igitur sunt nobis hac vice sequentia, cujusmodi sunt 1. De appellatione & notatione nominis Monachi. 2. De Origine Monachatus. 3. De cõvenientia priscorum, & hodiernorum Monachorum. 4. De ipso vitæ genere, num mereatur remissionem peccatorum. 5. De tonsura, & habitu Monachorum.

14. Quæstio prima: *Vnde Monachus sit dictus?*

15. Resp. Aliud est allusio, & aliud vera derivatio: Variæ dantur allusiones vocabuli, Monachi, quæ hodiernorum Monachorum moribus respondent, de quibus videatur *Dn. D. Finckius in Disput. 1. de Monachis*: Et *Dn. D. Meisnerus par. 2. Sob. Phil. pag. 475. & seq.*

16. Notationes & Derivationes ridiculæ & falsæ traduntur à canonistis & Pontificiis. *Primus est*, quod μοναχὸς sit dictus, quasi μόν@ ἄχ@ ut Monachus sit solus tristis. *Eugenius Papa Caus. 16. Quæst. 1. C. 8.* Monachus, inquit, sedeat solitarius, & taceat: quia mundo mortuus est, Deo autem vivit. Agnoscat nomen suum: Monos n. Græcè, Latinè est unus: Achos Græcè, Latinè tristis sonat. Inde dicitur, id est, unus tristis. Sedeat ergo tristis, & officio vacet.

17. 1. Derivatio hæc impingit in Grammaticæ principia: Nam ἄχ@ non tristem, sed tristitiam significat. 2. Moribus, & vivendi ratione Monachorum adversatur: Ipsi enim non in luctu, sed in luxu vitam transigunt. 3. Si quis verò ab ἄχος vocabulum illud omninò deducendum esse censeat, respondemus hac limitatione inde derivet, non quasi tristitiâ afficiantur, sed quod suis superstitionibus, hæresibus, & inventis hominum tristitiâ Ecclesiam Christi afficiant.

18. *In vocabulario utriusq; juris* Monachus derivari scribitur à μόνος, unus, & Icos custos quod Monachus unius animæ sit custos.

19. Resp. Ridicula planè hæc est derivatio quæ impingit in vocabuli significationem, in orthographiam, & principia theologiæ. Nam 1. nuspiam Icos significat custodem. 2 Scribitur vocabulum Monachi non per I, sed per A. 3. Num Ministri Ecclesiæ est ut pro unâ tantum animâ vigilet? 4. Num Monachi exclusis reliquis Clericis soli sunt animarum custodes? 5. Annon cujuslibet est hominis ut suæ unius animæ curam habeat? Num igitur quilibet homo est Monachus?

20. Alii Monachum dictum esse censent, à μόνος solus, & εὐχὴ, precatio, quod Monachi soli in suis Monasteriis & cellulis, & non in multitudine hominum orent.

21. Resp. 1. Scribendi modus hanc derivationem refutat 2. In Monachos hodiernos cadit potius illud Christi *Matt. 6. v. 5.*

Cum

Cum oratis non eritis sicut hypocritæ, qui amant in Synagogis, & in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus. 3. Christus præcipit omnibus fidelibus, *Matt.6.v.6.* Ut cum oraverint, intrent in cubiculum suum, & clauso ostio orent Patrem suum in abscondito. Num igitur omnes fideles Monachis erunt annumerandi?

22. *Bellarminus lib.2. de Monach.cap.1.* Verissima explicatio, inquit, hujus nominis est apud Cassianum, & Dionysium: Scribit enim Cassianus collatione 18. Abbatis Pyamonis, cap.5. inde Monachos dictos, quod à conjugiis abstinerent, & à parentum se consortio, ac mundi hujus conversatione secernerent, ut nimirum soli Deo per contemplationem inhærerent.

23. Resp. 1. Multi studiosi, multi consiliarii aulici &c sunt cœlibes, & contemplantur. Secundum Bellarminum igitur sunt Monachi. 2. Num concubinas, & coquinas alere, & cum istis scortari, est vitam religiosam agere? 3. Annon conjugium est honorabile inter omnes *Heb.13.v.4?* 4. Annon primi Episcopi in conjugio vixerunt, & liberos educarunt. 1. *Tim.3. Tit.1.* 5. Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, & sancti Patres cohabitatione conjugali sunt usi. Quis autem dixerit hos meditationibus divinis non vacasse? Quare vita conjugalis non obstat simpliciter divinis contemplationibus. 6. De Hilarii Episcopali conjugio pulchrè canit Poëta *Mantuanus lib.1. Fastorum:*

Non nocuit tibi progenies, non obstitit uxor
Legitima conjuncta toro: Non horruit illa
Tempestate Deus thalamos, cunabula, tædas.

24. Si verò in veram appellationis hujus originem & notationem inquirimus, invenimus Monachum dici à μόνος à solo, quod solitariam vitam amplectatur, solus extra turbam vivat. Propriissimè igitur non sunt Monachi, qui in urbibus intra homines versantur, licet sint cælibes, & contemplationi inhæreant.

25. Nam. 1. Hieronymus *Tom.1. Epist.13.* scribit: Si cupis esse, quod diceris Monachus, id est, solus, quid facis in urbibus, quæ utiq; non sunt solorum habitacula, sed multorum? Idem *ad Heliodorum Tom.1. Epist.1.* Interpretare, inquit, vocabulum Monachi, id est, nomen tuum, quid facit in turba, qui solus est? 2. De Antonio Mo-

nio Monachorum ferè parente dicit *Sozomenus lib.1.Hist.Eccl.cap.13.* Quod si quando ad opem egentibus ferendam in urbem venire compulsus esset, negotio propter quod venerat confecto, quam primum ad solitudinem se recepit. Dicere namq; solebat, aquam piscibus alimento esse, solitudinem autem Monachis afferre ornamentum: atque illos cum continentem attingant, vitam amittere; hos autem similiter cum urbes adeant, monasticam gravitatem deperdere solere. Videatur etiam *Isidorus lib.7. Etym.c.13.* 3. Ex Pontificiis *Johannes à Daventria in Harm. Aug. Confess.* Adde, inquit, quod ad perfectionem haud parum confert solitudo illa, & ab hominibus divulsio, unde & μόναχος & μοναστήριον ab unitate dèrivantur. Curabit itaque Monachus, ut in monasterio latitet, ut hominum frequentiam fugitet, frequentem populorum turbam deviteat.

26. Quare Monachum à solitariâ nominari vita docet ipsa nominis vera notatio: Testantur ipsi Patres: Agnoscunt quidam Pontificii: Arguit Monachatus vera origo. Cœnobitis igitur vocabulum Monachi in laxâ, & minus propriâ significatione imponitur.

27. Quæstio secunda: *Quæsit vera Monachatus origo.*

28. *Bellarmin.lib. 2.de Monach.c.5.* originem Monachatus inquirens, in naturâ eam adumbratam esse scribit ante diluvium: *Stapletonus par.2. explic. Cthol.pag.199.* Religiosus, inquit, status quantum ad perfectionis semitam fuit à Christo institutus, dicente, si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes. Quantum autem ad solennitatem fuit institutus ab Ecclesiâ inchoativè tempore Apostolorum, ut patet ex Dionysii Ecclesiasticâ Hierarchiâ: Rationabile enim est ritum, relatum à Dionysio circa Ecclesiastica mysteria, Apostolorum tempore inchoatum: Quantum verò ad solennitatem votorum, & certam vivendi regulam esse postmodum ab Ecclesiâ consummatum, videantur etiam *Andreas Fabricius Leodius. & Johannes à Daventria in Har. August. Confess pag. 442. & seq.*

29. Verùm in Scripturâ sacrâ 1. Nullam Monachatus legimus institutionem. 2. Nullam ad eum vocationem, & missionem: Christus discipulos vocavit non ad Monachatum, sed ad Aposto-

Apostolatum Apostolinus piam leguntur Monachos fecisse. 3. Nullam regularum monasticarum informationem, & præscriptionem.

30. Historici igitur, & viri docti complures docent, Monachatum esse ortum, cum gravissimæ persecutiones à Gentilibus contra fideles instituerentur. *Sozomenus lib.1. Histor.Eccles.* Memorant alii, inquit, persecutionum procellas, quibus religio Christiana variis jactabatur temporibus, homines ad hoc vitæ genus suscipiendum impulisse. Nam cum fuga facta, in montibus, solitudinibus, & sylvis ætatem agerent, huic vivendi rationi paulatim assuefactos esse. Idem docet *Hieronymus in vitâ Pauli Eremitæ. Et Mantuanus lib.1. in vitâ Blasii.* Conferatur *centuria Magdeburg.4.c.6.pag.* 476. *Erasmus Tom.1. Epist.4. ad Rusticum* scribit: Quid desideramus urbium frequentiam, qui de singularitate censemur? Ad verba hæc memorabilia ejusmodi annotat *Erasmus*: Hinc Monachi vocabulum, quasi dicas unum, aut singularem. Nomen autem inde sumptum, quòd olim pii quidam homines, partim non ferentes gentilium in Christum blasphemias, partim afflicti ab inimicis Christianæ fidei profugerent aliquò in vastas solitudines, atq; ibi viverent, alii gregatim, quos Cænobitas vocant, alii semôtim, quos appellant Anachoretas.

31. Quam igitur isti vitæ rationem strenuo vitæ genere exornarunt, & propterea in magno pretio sunt habiti, eam ultrò alii sunt amplexi, exempla insuper sumentes privato studio ex vitâ Apostoli Pauli, & fidelium primitivæ Ecclesiæ Hierosolymis collectæ: Et quod Paulus, quod illi fideles, non lege ullâ, non præcepto sed liberè, sponte, propria voluntate observarunt, id sibi posteri nonnulli legem, & præceptum propriâ voluntate fecerunt, ut nimirum cælibes, & continentes viverent, possessiones certosq; reditus nullos haberent, eos in pauperum usum distribuerent; Ipsi verò relictis omnibus, cum Paulo, ex laboribus suis, propriis manibus sibi victum compararent, & interim Pietatis operibus vacantes privatam vitam in solitudine agerent.

32. Lubet narrare sententiam *Polydori Virgilii Pontificii ex lib.7. de Inventor.Rer.c.1.pag.*558. Olim inter multos, inquit, teste Hieronymo quæsitum est à quo potissimum eremus sit primum habitari

bita ri cæpta. Quidam enim altius repetentes, Heliam & Johannem Baptistam ejus rei authores faciunt: Sed ut is plus quam Propheta, ita ille plus, quam Monachus censeri debet. Alii Antonio assignant, alii cuidam Paulo Thebeo ob idipsum primo Eremita nuncupato, quod Anachoreticæ vitæ primus fundamenta jecisset, id quod vel Hieronymus comprobat. Hunc igitur veluti exemplar, illum ut exemplum ad imitandum fuisse dicunt. Ego verò quando in re ambigua unicuique liberum est conjectare, crediderim institutum monasticæ vitæ ab Essæis, sive Essenis, ita appellat Plinius, quorum secta apud Judæos admodum celebris habita est ad posteros manasse, quoniam illi ferè per omnia eam ducebant vitam, quam inter nos Monachi ex præscripto legum agere solent

33. *Magdeburgenses Cent, 5.c. 6.pag.* 700. sententiam istam non improbantes, fuit hoc seculum, inquiunt, fæcundissimum eo genere hominum, quod monasticon profitebatur, adeò, ut nullus penè terrarum angulus fuerit, in quo non ejusmodi utriusque sexus collegia fuerint, ut sequentia testabuntur: idq; partim ex obscuratione doctrinæ de justificatione, & veris cultibus Dei, tum etiam ex pravâ æmulatione Essenorum.

34. At Bellarminus adumbrationem vitæ Monasticæ deducit ab Enocho: De hoc enim legimus *Gen.* 4. *v.* 26. Quod cæperit invocare nomen Domini. Ergo hinc colligitur hunc Enochum, sive Enosum instituisse peculiarem cultum, & sublimiorem, quam religio vulgi, quia ante ipsum Adamus, Abel, & Sethus invocarunt nomen Domini, & tamen ipse primus dicitur incepisse invocare nomen Domini.

35. Resp. 1. Enoch vixit in conjugio. Ergo non fuit Monachus. Nec Monachatus in ipso est adumbratus. 2. In textu hebræo legitur. Tunc cæptum est invocari nomen Domini. 3. Si vel Maximè locus hic de Enocho intelligatur, nihil in eo præsidii habet *Bellarminus*. Aliud enim est novi cultus institutio, & instauratio; & aliud collapsi cultus restitutio, & restauratio: Agitur *Gen.* 4. de collapsi cultus restitutione. Nam Cain, ejusq; posteritas à vero cultu defecerant, & sese mundanarum rerum studiis addixerant, adeò ut inde verus cultus esset collapsus. Enarrans hoc Moses simul ostendit à quibus sit restitutus, nempe à Setho, & Enocho, videatur Epistola *Judæ, v.* 11. 14. *Et Josephus lib* 1. *Antiq. Judaic. c.* 4. vel distingui-

mus inter conventus privatos, seu domesticos, & publicos: Aucto genere humano institutæ sunt publicæ, & solennes congregationes promissio de semine mulieris, in quibus caput serpentis contrituro fuit explicata. Approbat expositionem hanc Jesuita *Pererius in commentariis in Genesin. fol.* 349. Pro pronomine iste, quod habeat tam Græca, quam latina translatio denotans personam Enos, quasi primus ipse fuerit, qui cæperit invocari nomen Dei, tam hebraicè, quam Chaldaice esse adverbium temporis significans, tempore illius Enos cæptum esse invocare nomen Dei Et *fol.* 350. scribit: Probabilior est ratio, cur Enos dicitur cæpisse invocare nomen Domini, 1. quia super omnes priores pius, & religiosus erga Deum fuit, non modo colendo Deum, & pietatem adversus Deum, sed eam quoque prædicando, divulgando, aliosq; homines docendo. 2. vel quia iste certas primum precationum Dei formulas condidit, certosq; ritus, & ceremonias divini cultus adinvenit: Cujusmodi fortasse fuit altarium erectio, & certorum locorum ad invocandum Deum, cultumque ejus administrandum designatio, & dedicatio. 3. Vel deniq; quia cæpit congregare populum ad tractandum simul Dei cultum, quasi Ecclesiam fidelium inchoans & adjuvans.

46. Pergit *Bellarminus ex Num. 6.* Nazaræos proponens, qui sese Domino consecrabant, ad quorum exemplum Monachi se totos divino cultui devoveant.

47. Resp. Nazaræorum institutum nihil habet commune cum Monachis. Nam 1. verbo Dei est expressum: *Cyrillus & Procopius in lib. Numeror.* hoc genus vitæ, ajunt, Nazaræorum institutum est à Deo, ut revocaret homines à cultibus, & ritibus idololatricis Ethnicorum, ut quod illi dabant idolis, id sibi Judæi tribuerent: Monastica vita omni prorsus verbo Dei destituitur. 2. Nazaræi Deo vovebant; Hodie præcipua Monachorum pars consecrat se sanctis. 3. Nazaræi sponte hoc vitæ genus suscipiebant; Monachi quidam etiam coactè. 4. Nazaræi vinum non bibebant, carnem edebant; Monahi contra vino se implent, carnem certis tēporibus non comedunt. 5. Nazaræi de rebus possibilibus vovebant; Monachi etiam de rebus impossibilibus. 6. Nazaræi manebant conjugati; Monachi non item. 7. Nazaræi Israelitarum con-

versationem non fugiebant; Monachi solitariam vitam amplectentes solitudinem hominum fugere videri volunt. 8. Nazaræorum vota, nisi allegoricè intelligantur, erant V. Testamenti propria. Frustrà igitur se ad ea obstringunt Monachi. Institutum igitur Monachorum toto cœlo differt ab instituto Nazaræorum.

48. Provocat tertiò *Bellarminus* ad exemplum Prophetarum Heliæ, Helisæi & filiorum Prophetarum qui sine uxoribus & divitiis in hoc mundo vixerunt in agris, & solitudinibus habitarunt, & sibi tabernacula prope fluenta jordanis fecerunt, polentâ, & herbis agrestibus victitarunt,

49. Resp. Nec quicquam exemplum Heliæ, & Helisæi ad rem facit. Nam. 1. Helias, & Helisæus voto sese non obstrinxerunt; At obstringunt sese eo Monachi. 2. Polentâ & herbis agrestibus non victitarunt ex instituto; At Monachi ex instituto certis se addicunt cibis. 3. Non victitarunt igitur piscibus & lautitiis; At vivunt hisce hodierni Monachi. 4. Vinum non biberunt, sed aquam in ripa fluminis; At injurgitant sese eo Monachi. 5. Non abjurarunt uxores, & divitias; At abjurant eas Monachi. 6. Hominũ frequentiam non fugerunt; At videri id volunt Monachi. 7. Filios Prophetarum habitasse leguntur aliquamdiu in Rama, Hiericho, Ramoth, Gilead, Gilgal, Bethel, ut constat ex 2. *Reg.* 10. 4. *Reg.* 2. & 6. Ad jordanem verò habitaruut, non ob singulare quoddam votum sed quia locus, in quo habitabant, angustior erat, 4. *Reg.* 6. *v.* 2.

50. Quartò dicit *Bellarminus* habemus Jer. 35. insignem commendationem nepotum Rechab, qui, cum eis pater, sive avus præcepisset, ut domos non ædificarent, agros non seminarent vineas non plantarent; vinum nunquam biberent, vitam durissimam, quasi extra mundum agerent, omnia diligentissimè observarent: Monarchorum igitur figuram gesserunt.

51. Resp. Inter typum & antitypum, inter figuram, & quod figurâ repræsentatur est quædam convenientia. At non est ea inter Rechabitas. & hodiernos Monachos. Nam. 1. Rechabitæ non voverunt vitam monasticam, sed præceptum Patris sui jonadab observarunt. 2. observarunt non ex vi voti, sed propter quartum præceptum, idq; commendatur in iis apud Jeremiam. 3. observarunt illud sine superstitione meriti, ac remissionis peccatorum. 4. ob-

servatio

servatio præcepti paterni non erat super vires Rechabitarum: At Monachi vota faciunt de rebus, quæ non sunt in eorum potestate. 5. Rechabitæ vinum non bibebant; At sunt hujus avidissimi Monachi. 6. Rechabitæ domos non ædificabant, nec possidebant; At attrahunt ad se eas Monachi. 7. Rechabitæ non habebant uxores, & liberos; At matrimonium contemptim habent Monachi. 8. Rechabitæ bona propria non abjiciebant, neque Monasteria inhabitabant.

52. Denique exemplum Johannis Baptistæ considerandum exhibent Pontificii. Vixit enim ipse in deserto. Princeps igitur fuit Monachorum.

53. Resp. 1. Vivunt & latrones, & Venatores in deserto. Num igitur & hi religiosi sunt Monachi? Phrasis in deserto esse notat in scriptura vel in loco solitario, & invio esse; vel in loco sterili & inculto, ut *Ier.12.v.10. Esa.51.v.3. 1.Reg.23.v.14. 2.Reg.21.v.28.* Et *Joh.15.v.62.* Sex urbes nominãtur in deserto Judææ. Sic etiã Johannes vixit in deserto h. e. in loco minus culto. 3. Johannes nuspiam legitur votum fecisse, & si vovisset, vovisset ad certum tempus & Deo; At Monachi contra voto se obstringunt & quidem sanctis 4. Johannes vixit in deserto; Monachi in amplissimis emporiis. 5. Johannes vivebat in deserto nõ sine mandato, Luc.1.v.80. Monachi absq; ullo mandato. 6. Johannes vinum, & siceram non bibebat, *Luc.1.v.15.* At Monachi vino se complent. 7. Johannes præcursor Domini homines misit ad Christum, qui venturus erat, *Matt.11.v.2.* Monachi à Christo eos abducunt ad hos vel illos sanctos. Ergo nulla est convenientia inter Johannem Baptistam & hodiernos Monachos.

54. Quæstio tertia: *Num essentia Monastices eadem sit nostrorum, & antiquorum Monachorum?*

55. Resp. 1. Prisci Monachi ob persecutiones fugerunt ad loca deserta; Hodierni ob gulam, ventrem, & fictum religionis studium. 2. Prisci nulli erant oneri, manuum labore sibi necessaria acquirebant; Hodierni laborare nesciunt. 3, Prisci non vivebant in hominum frequentiâ non in urbibus; Hodierni splendidissima palatia inhabitant, fertilissimos agros, & fundos possident 4. Prisci res seculares non tractabant; Hodierni sese hisce immi-

sent. 5. Priscorum regula erat scriptura sacra ; Hodiernorum humana inventa 6. Priscorum Monasteria erant Scholæ, in quibus Theologiæ studiosi informabantur, & ad Ministerium præparabantur; Hodiernorum sunt lupanaria.

56. *Augustinus lib. 1. de Moribus Cathol. Eccl. cap.* 30. de Monachis suo tempore viventibus agens eorum duas tradit sectas, Eremitarum, & cœnobitarum. De cœnobitarum institutis hæc refert: Contemptis hujus mundi illecebris vitam castissimam, sanctissimamque simul eos egisse. Vixisse in orationibus, lectionibus, & Disputationibus modestos, verecundos, paratos, vitam concordissimam, & intentissimam in Deum, & propterea ei gratissimam. Neminem ipsorum quicquam possedisse proprium, nec tamen cuiquam fuisse onerosum. Operatos manibus ea, quibus & corpus pasci possit, & à Deo mens impediri. Suum autem illud opus tradidisse suis decanis. Decanos autem fuisse, qui denis fuerint præpositi: Idque ideo, ne cæterorum aliquem sui corporis cura tangeret neque in cibo, neq; investimento, neque si quid aliud opus est vel quotidianæ necessitati, vel etiam mutatæ valetudini, ut assolet: Ac illos decanos magnâ cum solicitudine omnia dispositisse, & ut præsto essent effecisse. Rursum Decanos illos ista à cæteris sibi tradita opera reddidisse uni, qui universo Cætui præfuerit, quê vocarint Patrem: Hunc autem non solum sanctissimis moribus virum, sed etiam doctrinâ divinâ fuisse excellentissimum. *Idem lib. 1. de opere Monach cap.* 28. Diabolus multos hypocritas sub habitu Monachorum usque quaque dispersit circumeuntes provincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes, Alii membra Martyrum, si tamen Martyrum venditant: Alii fimbrias, & phylacteria sua magnificant: Et omnes petunt, & omnes exigunt, aut sumptus lucrosæ egestatis, aut simulatæ pretium sanctitatis.

57. *Excipit Johannes à Daventria in Harm. Aug. Con. pag.* 448. Quasi, inquiens, omnes in Monasteriis Angeli esse deberent, neq; peccare possent. Si quid peccati admissum est in cœnobiis, corripi, non ejici debebant Monachi.

58. Resp. 1. Jam sæpius gravissimorum suorum errorum, quos alunt in Articulo de Justificatione, de conjugio, & aliis admonti

moniti sunt Monachi. Verum in erroribus ipsi persistunt, eosque pertinaciter defendere student. 2. Status iste primum casu introductus censetur, deinde erroribus est cumulatus, Deo igitur amplius placere nequit, uti in subsequentibus ostendemus.

59. Quæstio quarta: *Num Monachorum hodiernorum ordines sint cultus per se Deo placentes, & num hoc vitæ genus mereatur remissionem peccatorum?*

60. Resp. *Bellarminus*, ut majorem authoritatem Monachatui conciliet, imponit ipsi vocabulum Religionis. *Johannes à Daventria*, Monasticam vitam mereri remissionem peccatorum, ait.

61. Assertionem hanc breviter refutaturi, duo ostendimus Prius est: *Status ipse hodiernorum Monachorum Deo displicet.* Nam 1. Omnis cultus propriâ intentione & humanis mandatis susceptus displicet Deo. Atqui status hodiernorum Monachorum propriâ intentione, & mandatis humanis est susceptus. Destituitur enim divino mandato, & Apostolicâ præscriptione: Et ipsis pontificiis testibus opera Monachorum sunt indebita. Ergo. *Esa.* 29. *v.* 13. 14. Appropinquat populus ille ore suo, & labiis suis glorificat me, Cor autem ejus longè est à me, & timuerunt me mandato hominum, & doctrinis. *Matt.* 15. *v.* 9. Frustrà me colunt docentes doctrinas mandata hominum. *Mar.* 7. *v.* 7. In vanũ me colunt, docentes doctrinas mandata hominum. Non igitur unusquisq; faciat, quod in oculis suis rectum videtur, sed quod Jehova præcipit, *Deut.* 12. Custodiamus & faciamus, quæ præcepit Dñs Deus, Noe declinemus ad dexteram, aut ad sinisteram, *Deut.* 5. Nemo sequatur cogitationes suas, *Num* 15. Reprehenduntur igitur Israëlitæ bonâ intentione excelsa, & altaria erigentes. Acerrimè itidem à Deo sunt reprehensi, qui sine divino mandato factum Abrahami filium immolaturi imitari volebant, 4. *Reg.* 17. 21. 23. Et Saul absq; divino mandato immolans peccat, 1. *Sam.* 13.

62. 2. Apostolus igitur *Coloss.* 2. *vers.* 20. à cultu ejusmodi humano dehortatur. Si, inquiens, mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid quasi viventes in mundo decretis tenemini. 3. Quid enim aliud agunt Monachi, quam ut clament hic est Christus, illic est Christus, dum vociferantur se quas præconceptas opiniones

opiniones cõfirmare miraculis, quæ Deus facit solus; At ejusmodi homines falsos esse Prophetas, docetur. *Matt.* 24. *v.* 23. 24.

63. 4. Monentur liberi, ut parentibus senio confectis succurrant, *Mar.* 12. *v.* 23. At violatur præceptum hoc votis parentum.

64. Posterius est: *Nomina ordinum displicent Deo* Pugnat enim institutum hoc apertè cum dicto Apostoli, 1. *Cor.* 1. *v.* 12. Ubi nonnulli in religionis fundamento consentientes denominari volebant à Paulo, alii ab Apollo, & propterea à reprehenduntur. At Monachi alii nominari volunt à Benedicto alii ab Augustino, alii à Bernhardo, alii à Francisco &c. etiamsi prætendant, se in religionis fundamento non dissentire.

65. Quæstio quinta: *Quid sit censendum de habitu, & tonsura Monachorum?*

66. Resp. 1. Vestitus, modus tondendi, & aliud id genus instituta rebus indifferentibus annumerantur. Parum igitur sunt curanda & singularis sanctitas ei superstitiosè non est adscribenda. 2. Apostolus quidem Ecclesiasticis hoc unum injungit, 1. Tim. 3. ut sint hoc est externæ honestatis rationem habeant; Sed nusquam docet, quâ formâ, qua dimensione, quo colore, & ex qua materiâ habitus eorum constare debeat. 3. Vestimentis ad frigus repellendum, & ad partes corporis tegendas datis sanctitatem ineſſe, & sanctitatem conferre nusquam docet scriptura. Mirum igitur est, esse viros doctos, qui statuant animarum suarum saluti profuturum si corpora sua in cucullo Monachali sepeliantur. 4. Sacerdotibus V. Testamenti disertè prohibitum fuit ne comam in circuitu tonderent, neve barbam raderent, *Levit.* 19. *v.* 27. *c.* 21 *v.* 5. *Ezech.* 44. *v.* 30 Inepti igitur sunt Monachi pervotum aliquod ad certum vestimenti genus sese astringentes, & partem divini cultus in his nugis constituentes.

67. Argumentorum Pontificiorum refutatione non sunt digna: Capuccini ex Mat. 10. disputant de sandaliis & non calceamentis portandis, & duplici tunicâ, hoc est, mutatoriâ, & superfluâ non habenda, videatur expositia F. *Hieronymi à Politio siculi c.* 2. *n.* 97. Alii ex spineâ coronâ Christi colligunt, Monachos in modum coronæ esse tondendos.

FINIS DISPVT. XVI.

DE PAPISMO

DISPVTATIO XVII.

Et quidem in specie

DE

CONSILIIS ET VOTIS.

In qua

Christo Duce & auspice Christo

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS GISENII,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS,
ET ORDINARII IN INCLY-
ta Academiâ Gissenâ Pro-
fessoris,

RESPONDEBIT

REINHOLDUS Seher / TREMO-
niâ-Westphalus.

In Auditorio Theologico ad diem 14. Februar. horis antemeridianis & pomeridianis.

GIESSÆ,

Typis exscribebat Casparus Chemlinus.

M. DC XVIII.

DISPUTATIO DECIMASEPTIMA.

De Consiliis & Votis.

THESIS I.

FUndamenta ſtatus Monaſtici finguntur eſſe conſilia Evangelica: *Bellarm. in Præfat. lib. 2. de Monachis præmiſſâ* Conſilia Evangelica ſunt quaſi baſes, & fundamenta totius monaſtici ædificii: Horrent enim hæretici ad vocem conſiliorum, & operum ſupererogationis, tanquam ad ingentem blaſphemiam. Id, quod neceſſariò faciunt: Cum enim arbitrentur ipſi, præcepta divina non poſſe à quoquam, tametſi juſtiſſimo impleri, non poſſunt non vehementer mirari, cum nos dicere audiunt, veros Religioſos non ſolùm præcepta, ſed etiam conſilia adimplere, & plus facere, quam Deus præcepit.

2. Eſt verò conſilium perfectionis opus bonum, à Chriſto nobis non imperatum, ſed demonſtratum; non mandatum, ſed commendatum, *Bellarm. lib. 2. de Monach. c. 7.*

3. De numero conſiliorum altercantur Pontificii, quod reticens *Bellarm lib. 1. de Monac. c. 8.* Sententia Catholicorum omniũ, inquit, eſt, multa eſſe verè, & propriè cõſilia Evangelica, ſed præcipuè tria; continentiã, obedientiam, & paupertatẽ, quæ nec ſint præcepta, nec indifferentia, ſed Deo grata, & ab illo commendata.

4. Quod conſilio ſuadetur, voto promittitur: Hinc hoc loco de votis etiam agitur. *Eſt verò Pontificiis votum religioſa promiſſio alicujus excellentioris boni Deo facta liberâ voluntate.* Dicitur *promiſſio*, quaſi contractus quidam inter Deum, & hominem. *Religioſa* dicitur, ut ſignificetur, cujus virtutis actus ſit votum, nimirum *Religionis* *Bellarminus lib. 2. de Monach c. 14 pag. 483.* Sunt verò vota tria: Fiunt enim de rebus non præceptis ac nominatim de continentiâ, Paupertate, ac obedientiâ, *Idem cap 14. & 20.*

5. Quamvis Proteſtantes non ſimpliciter conſilia, & vota improbent, ſed potius, ut proponuntur in Scriptura approbent: At tamen, quæ de iis alunt Pontificii figmenta & opiniones ex ſcriptura refutant. De his igitur quęſtiones quaſdã proponemus, & veram ſententiam, falſâ refutatâ, confirmabimus.

6. Quæstio prima: *Quomodo differant præceptum & consilium, & num Consilium Evangelicum præceptis sit difficilius, atq; num sit meritorium?*

7. Resp. *Bellarminus lib. 2. de Monach. cap. 7. pag.* 448. Consilium perfectionis, inquit, vocamus opus bonũ, à Christo nobis non imperatum, sed demonstratum, non mandatum, sed commendatum. Differt autem à præcepto ex parte materiæ, ex parte subjecti, ex parte formæ, ex parte finis. Ex parte materiæ dupliciter: primò, quia materia præcepti est facilior; Consilii difficilior: Illa enim sumpta est ex principiis naturæ, hæc superat quodammodo naturam: Nam ad servandam conjugii fidem natura inclinat; At non ita ad abstinendum à conjugio. Secundò, quia materia præcepti bona est; Consilii melior & perfectior, loquendo de præceptis, quæ circa eandem materiam versantur, circa quam versantur consilia: Consilium enim includit præceptum, & aliquid supra præceptum addit. Ex parte subjecti differunt, ut commune, & angustius: Nam præceptum commune est omnium, consilium non item. Ex parte formæ, quod præceptum vi suâ obliget, consilium in arbitrio hominis positum sit. Ex parte finis, sive effectus, quod præceptum observatum habet præmium, non observatum habet pœnam: Consilium autem si non servetur, nullam habet pœnam, & si servetur, majus habet præmium.

8. Quamvis Protestantes discrimen inter præceptum, & consilium non simpliciter rejiciant, cum Apostolus aliquod dari haud obscurè innuat, 1. *Cor.* 7. *v.* 25. Attamen distinctionem pontificiam Dei verbo è diametro esse contrariam, atque pharisaicam docent: Proinde sequentia ipsis piè consideranda exhibent: Primò: *Appellatio Consilii perfectionis nullibi reperitur in universa scriptura sacra.* In vulgata quidem editione *consilii* vocabulum legitur, 1. *Cor* 7. *v.* 15. 2. *Cor.* 8. *v.* 8. 10. Sed 1. non extat in textu græco, 2 Nullius perfectionis fit mentio. 3. Consilium dare est ex æquo, non summo jure judicare. Ergo usurpamus hic illud Apostoli, 1. *Tim.* 6. *v.* 20. Depositum serva, devitans profanas vocum inanitates, & oppositiones falso nominatæ scientiæ.

9. Secundò: *Absurdum est docere, consilia Evangelica esse præceptis Mosis difficiliora.* Nam 1. Absurdum est dicere, & profiteri Deum

Deum viventibus sub regno gratiæ rigidiores tulisse leges, quam viventibus sub servitute Legis Mosaicæ. Atqui viventes tempore manifestati Evangelii vivunt sub regno gratiæ. Ergo absurdum est dicere & profiteri Deum his rigidiores tulisse leges, quam illis: Et per consequens respectu difficultatis nequit consilium distingui à præceptis. 2. Jugum meum, dicit Christus. suave est, & onus meum leve, *Matt.* 11. *v.* 30. Johannes dicit, 1. *Epist.* 5. *v.* 3. Præcepta ejus gravia non sunt. At de lege dicitur, *Act.* 15. *v.* 10. Nunc ergo quid tentatis Deum, ut imponatur jugum super cervices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus. Quare consilia Evangelica nequeunt esse difficiliora, quam jugum Mosaicum: Et per consequens falsum est pronunciatum Scholasticorum: Cõsilia esse supra præcepta. 3. Nemo hominũ potest implere legẽ. Ergo nequit, plura præstare, quam Decalogus requirit. Nemo enim potest perfectus esse, sicut pater cælestis: Damnatur à lege non tantum concupiscentia actualis, sed etiã originalis. Itaq; adulter est non solum ipse qui cũ alterius uxore realiter congreditur, sed etiam qui alterius uxorem concupiscit, *Matt.* 5. v. 28. Coram Deo fur est, non solum qui alterius bona ipso invito aufert, sed etiam qui prohibitâ concupiscentiâ eisdem utitur. Nemo potest dicere mundum esse cor suum à concupiscentiis, *Prover.* 20. *v.* 5. Ergo nemo dicere potest, se per omnia observasse Legem Dei. Si per legem est justitia, Christus frustrà mortuus est, *Ga.* 2. *v.* 21. Quod lex præstare non poterat eâ parte, qua imbecillis erat per carnem, hoc Deus proprio filio misso sub specie carnis peccato obnoxio præstitit, *Rom.* 8. *v.* 3. Decalogi tabulæ sunt lapideæ, cor nostrum conterunt, non sanant, *Exod* 24. *v.* 12. Gravis, & difficilis est Mosis, lingua, verbis ejus auscultare, & obsequi nõ possumus *Exo.* 4. *v.* 10. Mosis manus sunt graves, & jugum legis est importabile, *Ex.* 17. *v.* 12. *Acto.* 15. *v.* 10. Radiat Mosis facies, quam introspicere nequimus, *Exo.* 34. *v.* 29. 2. *Cor.* 3. *v.* 13. Non Moses, sed Josua in terram promissam introduxit: Non Moses, sed cælestis Josua Christus ad vitam æternam duxit. Et si Renati legẽ perfectè implerent, non opus haberent ut quotidie debitorum remissionem peterent: Nam debiti non contracti remissio expeti nequit. At monet id servator, *Matt.* 6. *v.* 11.

10. Tertiò: *Falsum est, Christum attulisse novam & perfectiorem legem, legi Evangelica consilia adjungendo.* Nã 1. Lex per Mosen data est: Gratia autem, & veritas per Christum Jesum exorta est, *Joh.* 1. *v.* 17. Christus igitur, cum non sit legislator non judicat quenquam *Joh.* 8. Nolite, inquit *Joh.* 5. *v.* 4. putare, quod ego accusaturus sim vos, est qui vos accusat Moses. 3. Evangelii igitur concio (non legis) appellatur concio de Christo, & Ministerium reconciliationis, 1. *Cor.* 5. *v.* 18 Evangelium pacis, *Esa.* 52. *v.* 7. *Eph.* 2. *v.* 13. Evangelium gaudii magni, *Luc.* 2. *v.* 10. Evangelium salutis, *Rom.* 1. *v.* 16. 1. *Cor.* 15. *v.* 2. Evangelium gratiæ Dei, *Act.* 20. *v.* 14. Evangelium bonorum, *Rom.* 10. *v.* 15.

11. Quartò: *Pharisaicum est, credere, & docere Consiliorum finem esse singularis cujusdam gratiæ meritum?* Nam 1. non est data lex, quæ posset justificare, *Gal.* 3. *v.* 21. Ergo nec concilium. 2. Si per legem est justitia ergo Christus frustrà mortuus est, *Gal.* 2. *v.* 21. 3. Assertio igitur illa pontificia contrariatur morti, & merito Christi. 4. Ea, quæ facimus bona opera, non sunt nostra, sed solius Dei, à quo tanquã Patre luminum omnia dona, & bona proficiscuntur, *Jac.* 1. *v.* 17. Et qui in nobis velle, & perficere operatur, *Philip.* 2. *v.* 13. 5. Et cum opera nostra propter adhærentem malitiam non exactè respondeant legi, *Rom.* 7. *v.* 14. *Gal.* 5. *v.* 17. Num iis aliquid mereri possumus?

12. Quintò, *Dogma Bellarmini de consiliis involvit varias contradictiones, & absurda.* Rectè igitur *improbatur, & abjcitur.* Nam. 1. consilium dicit Bellarminus includitur præcepto; At in definitione consilii quod non sit imperatum, non mandatum. 2. Consilium non est omnium, & tamen est bonum opus. Quasi bonum opus non sit faciendum omnibus. 3. Consilium in arbitrio hominis est positum. At inimicorum dilectio, vindictæ omissio, &c. referuntur à Pontificiis ad consilia. Num igitur & hæc in hominis arbitrio sunt posita? 4. consilium non observatum non habet pœnam. At abstinentia à certo ciborum genere in die veneris annumeratur à Pontificiis Consiliis, Num igitur nulla irrogatur pœna consilii hujus violatoribus?

13. Sextò: *Distinctio rationis inter præceptum, & consilium petipotest à formâ, subjecto & finibus.* A formâ & modo: Nam præceptum, consili-

consilium suadet: A subjecto, quia omnes omninò obligat homines; Consilium spectat paucos. A finibus: consilia enim non spectant ipsum esse, sed modum ipsius esse, nimirum instantem necessitatem: Solicitudinis, & molestiarum, quæ in conjugio objiciuntur, carentiam: A vocamentorum à continuâ oratione remotionem, 1. *Cor.* 7. *v.* 16. 28. 32.

14. Verum *Bellarminus lib.* 2. *de Monach. cap.* 9. opinionem pontificiam testimoniis scripturæ probare nititur. Respondebimus ad unum & alterum. Primum igitur legitur, *Esa.* 56. *v.* 3. 4. 5. Non dicat Eunuchus, ego lignum aridum, quia hæc dicit Dominus Eunuchis, qui custodierint Sabbata mea, & elegerint, quæ ego volui & servaverint fœdus meũ, dabo eis in domo meâ, & in Muris meis locum, & nomen melius à filiis, & filiabus, nomen æternum dabo eis, quod non peribit. Hoc loco continentia Eunuchorum non mandatur, ait, sed consulitur, per hæc verba *Qui elegerint, quæ ego volui.* Quod autem continentia non solum sit utilis in hac vitâ, sed sit verè meritoria gloriæ singularis, patet ex illis verbis: *Nomen æternum dabo eis, quod non peribit.*

15. Resp. 1. Agit Dominus de iis, qui fœdus Dei custodiebant. Ergo non agit de conciliis. 2. Nõ agit de solis Eunuchis sed etiã de alienigenis. 3. Promittit iis Deus nomen ætetnum nõn propter abstinentiam à conjugio, sed quia custodiunt Sabbata, & tenuerunt fœdus Domini. 4. Nomine Eunuchorum intelliguntur ii, quibus publicum non committebatur officium, *Deut.* 23. *v.* 1. Et sensus vaticinii hic est. In N. Testamento ex æquo omnibus aditum patere ad Ecclesiam.

16. Deinde urget in primis *Bellarminus illud Matt.* 19. Cum Apostoli dixissent: Non expedit nubere: Dominus ait, non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est. Sunt enim Eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt, & sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum Cœlorum. Hinc infert potissimum duo: Primò Christum non prohibere nuptias. Ergo non præcipere sed tantum consulere continentiam. Secundò continentiam non solum conferre corporalem utilitatem, sed habere præmium in Cœlo, & hoc patere ex his verbis: Sunt Eunuchi, qui castraverunt se propter regnum Cœlorum.

17. Resp.

17. Respon. Sensum verum testimonii hujus ostendimus in Disputat. de conjugio Sacerdotum: Repetimus inde pauca 1. Christi admonitio restringitur non ad Monachos, sed ad omnes spectat, qui dono continentiæ sunt præditi. 2. Non est absoluta, sed limitata: Accipienda enim est de iis, quibus datum est, hoc est qui singulari illo continentiæ dono sunt donati. 3. Propter regnum cœlorum se castrare non denotat vitam æternam, quasi isti ex opere operato vitam æternam promereantur; Sed significat pietatis exercitia: Qui enim, dono continentiæ sunt præditi rectè manent cœlibes, ut ad verbum vel docendum, vel audiendum, & pietatis exercitia reddenda sint promptiores.

18. Quæstio secunda: *An omne quod fit ex voto, etiamsi alioqui à Deo non sit præceptum, verè & propriè sit cultus Dei?*

19. Resp. *Bellarminus lib. 2. de Monachis cap. 16. pag. 485.* Omne, quod fit ex voto, inquit, etiamsi alioqui non sit à Deo præceptum, verè, & propriè est cultus Dei. *Johannes Cochlæus in Harmon. Aug. Confess. p. 462.* Meritò, inquit, tam sanctũ, & arduum vitæ institutum dicitur status perfectionis, quia habet testimonium in Evangelio, ubi ait Dominus: si vis esse perfectus, vade, & vende omnia, &c.

20. Contrà docent, credunt, & profitentur, Protestantes tantum abesse ut vota Pontificia sint cultus Dei, ut ne quidem piè fieri, & præstari possint. Nam 1. Quodcunque debet esse liberum, & voluntarium, illud sub juramento nequit, nec debet voveri. Atqui Consilia Evangelica, & Apostolica debent esse libera, & voluntaria: Unde Apostolus dicit, 1. *Cor. 7. v. 6.* Hoc autem dico secundum indulgentiam, & non secundum imperium. Et *v. 35.* Hoc ad utilitatem vestram dico. Ergo. 2. Quodcunque dogma laqueum conscientiis injicit, illud nequit placere Deo, 1. *Cor. 7. v. 31.* Hoc dico secundum utilitatem, non ut laqueum vobis injiciam. Atqui dogma Papisticum de ejusmodi votis vovendis laqueum injicit conscientiis: Arcentur enim homines simpliciter à conjugio, ad quod natura impellit. Ergo.

21. 3. Quod non tantum nusquam est mandatum, sed verbo Dei contrariatur, illud placere nequit Deo. Atqui vota papistica non tantum nusquam sunt mandata, sed etiam verbo Dei contrariantur:

trariantur : Non enim Apostolus dicebat ad imperium, sed ad indulgentiam. Ergo.

22. Inquis, nemini votum iniici, cum nulli cogantur ut inviti voveant, sed lubentes, & libentes vota nuncupent.

23. Resp. 1. Protestatio contraria est facto : Admittuntur enim apud Pontificios ad vota facienda etiam pueri, & adolescentulæ. 2. Idque defendere conatur *Bellarminus lib. 2. de Monachis cap. 35* exemplo Johannis Baptistæ à pueritiâ in Eremum secedentis. 3. Quamvis igitur hi ad votum faciendum initiò non semper compellantur: Attamen postea ad annos discretionis perventi, & animadvertentes à se servari non posse, quod promiserant, laqueum sibi injectum esse persentiscunt.

24. 4. Omnis cultus humanâ & propriâ intentione susceptus displicet Deo. Atqui cultus ille humana suscipitur intentione, cum nullum habeat mandatum, nullum exemplum. Ergo.

25. Pro uberiori quæstionis propositæ explicatione, & argumentorum ab adversariis motorum solutione, notamus, votum esse duplex: Pium & impium. Pium votum est, quod fit à personâ liberâ de re aliqua licitâ & Deo grata, quæ est in nostra potestate. Vel votum legitimum est promissio spontanea facta à Deo, de peragendâ re licitâ, possibili, ipsique grata, ad ipsius honorem celebrandum, & vel aliquid ab eo impetrandum, vel gratitudinem propter accepta beneficia declarandam.

26. Vota esse non debent coacta: *Deut. 23. ver. 22.* Si nolueris polliceri absque peccato eris. Ergo liberrima. Requiritur igitur in præstando voto plenum judicium mentis, & libertas voluntatis. Vota sunt præstanda Deo non sanctis, nec Angelis, quia sunt species invocationis, & honoris soli Deo debiti. Materia votorum est res præstanda vel facienda *Deut. 23. v. 21. 23.* Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere : quia requiret illud Dominus Deus tuus: & si moratus fueris reputabitur tibi in peccatum. Quod semel egressum est de labiis tuis, observabis. Psa. 75. v. 12. vovete, & reddite. Ergo præstanda non sunt de re impossibili, quæ non est in nostra potestate. Finis votorum est triplex, nempe gloria Dei, liberatio ex aliqua tentatione, aut calamitatis quodam genere, atq; pro accepto beneficio gratiarum actio. Ejusmodi fuit vo-

tum Jacobi *Gen.28.ver.20*, Davidis. *Psalm.50.ver.14*. Similia leguntur exempla, *Lev.27. ver.2. Num.30. ver.3. Deu.12.v.17*. Est hoc commune vel singulare. Commune fit in Baptismo qui propterea vocatur συνειδησεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα. Singulare est votum, quod quis Deo suâ sponte promittit, ut mater Samuelis voto addixit filium divino Ministerio, *1. Sam.1.v.11*. Fitq; vel publicè, vel privatim, & quidem simpliciter, vel conditionaliter.

27. *Impium & illegitimum est votum, quod fit à persona non sui juris de re impossibili, & malo suscipitur fine.* Ejusmodi sunt vota pontificia, idque colligitur facile, ex efficiente voti legitimi, quæ debet esse persona libera. At in Papatu sæpe puellæ, & adolescentes adiguntur ad vota perpetui cælibatus eâ ætate, qua vires suas nondum rectè explorare, neque Satanæ insidias, aut carnis imbecillitatem satis perpendere possunt. 2. Ex subjecto cui sunt præstanda: Debentur soli Deo, qui introspicere potest corda, & novit defectus nostros, istisque succurrere potest; At in Papatu fiunt vota etiam idolis, & his, vel illis sanctis. 3. Ex materiali, quæ debet esse res licita, possibilis & Deo grata. At in Papatu præstantur etiam de re impossibili, cujusmodi sunt vota de perpetuâ virginitate etiam ab illis præstita, qui dono continentiæ non sunt præditi: Hæc igitur nihil sunt aliud, quam Dei tentationes, & obligationes ad impossibilia, ex quibus ustiones nefandæ, & demum æterna perniciesoriuntur. Deinde vota fieri debent de re Deo grata, licet ea quoad certum modum non sit in Scriptura expressa, quoad genus tamen habet mandatum Dei, ut in voto Jacobi est videre: atque ita voti regula est fides. Damnat igitur Christus ἐθελοθρησκείας *Matt.15*. Et *Deut.4*. dicit Jehova: Non quod tibi rectum videtur, hoc facias, sed quę ego præcipio tibi, hęc tantum facito. At in Papatu fiunt vota de rebus etiam verbo Dei contrariis. Hujusmodi est votum paupertatis, & abjectionis bonorum, quod non modo nusquam est mandatum, sed etiam expressè prohibitum, *1. Tim.5*. Qui suorum maximè domesticorum curam non habet, fidem abnegabit, & est infideli deterior. Apostolus *2. Cor.8*. ita vult contributiones in pauperum dirigi usum, ut non sit inopia erogantibus. Ad eundem modum votum monasticæ macerationis, caret mandato, & si afflictio illa corpus profitetur,

sternat, pugnat cum Apostolo, qui honorem corpori vult haberi, *Col.*2. Ejusque curam agi, *Rom.*13. 4. Ex fine, qui est triplex, ut *th.*16. notavimus: At in Papatu votis affingitur opinio meriti, tribuitur status perfectionis, qui reliquis vitæ statibus adimitur ex votis extruuntur opera supererogationis, quæ aliis pretio vendunt.

28. 2. In V. Testamento Deus de votis faciendis manifestum tradidit verbum; At in N. Testamento de votis præsertim in rebus adiaphoris, nec mandatum, nec promissionem neque exemplum habemus: Imò *Coloss.*2.*ver.*16. dicit Apostolus: Nemo vos judicet in adiaphoris. *Gal.*5.*v.*1. Nolite jugo servitutis subjici in rebus liberis 2. Deus ipse declarabat, quæ sibi voveri volebat vel generaliter ut: *Deut.*23.*v.*21. *Eccl.*5.*v.*3. *Proverb.*15.*v.*8. *cap.*20.*v.*25. Vel in specie, ut *Levit.*27.*v.*2. *Num.*6.*v.*18. *Deut.*13.*v.*20

29. Quæstio tertia: *An votum illegitimum præstitum, & juramento confirmatum sit obligatorium?*

30. Resp. 1. Contemptus in oculis Jehovæ reprobus, qui jurat in malum, & non mutat. 2. *Causa* 22. *quæst.*4. *c.*5. In malis promissis rescinde fidem. In turpi voto muta decretum: quod incautè vovisti, ne facias. Impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur. Et peccatum peccato nō est cumulandum. Juramentum igitur contra bonos mores præstitum non est obligatorium. Quare, qui ejusmodi juramentum servat, bis peccat, semel malè jurando, & iterum malè juratum servando. 3. Exemplum hujus rei habemus in Davide, qui irâ commotus, jurat, se cum omni familia Nabalem interfecturum; Sed posteà de iniquitate hujus instituti admonitus à proposito desistit, 1. *Sam.*25.

31. Quæstio quarta. *Num votum voluntariæ paupertatis Deo placeat, & vim merendi, & satisfaciendi habeat?*

32. Resp. Vota Pontificiorum sunt primaria seu principalia, & mins principalia. Principalia sunt tria, ut votum voluntariæ paupertatis, obedientiæ regularis, & continentiæ. Reliqua sunt minus principalia, ut non vindicare. Patientia injuriæ.

33. Quamvis Protestantes nec paupertatem, neque obedientiam, neq; cælibatum per se improbent, sed potius commendent. Non tamen Monachorū, & Monialiū vota probare possunt.

34. Monasticæ igitur paupertatis votum his refutamus fundamentis. 1. Christus, cujus vocatio erat, ut suâ paupertate peccata nostra expiaret, ut nos ditaret, 2. *Corinth.* 8. *vers.* 9. bona temporalia non abjecit, sed in loculis servavit, *Johan.* 13. *vers.* 29. *cap.* 6. *vers.* 7. *cap.* 4. *vers.* 8. *Matth.* 26. *vers.* 9. Ergo ut nos ejusmodi bona abjiciamus necessarium non est. *Augustinus Tract.* 60. *in Johannem:* Habebat Dominus loculos, in quibus servabat collata, ut intelligeremus, quòd præcipit, non cogitandum de crastino, non ad hoc fuisse præceptum, ut nihil pecuniæ servaretur à Sanctis, sed ne Deo propter ista serviatur. Ne igitur dixeris, Christum habuisse marsupium tantum ad inopum Ministerium: Nam emit etiam cibos, *Johan.* 4. *v.* 8. Et quæ necessaria erant ad festum, *Joh.* 13. *v.* 9.

35. *Ais*, Judam furem deputatum fuisse à Christo custodiæ loculorum: Veros igitur discipulos non esse qui loculos, & æs in Zonis habeant. Respon. 1. Christus erat Dominus loculorum, *Johan.* 13: *v.* 29. Judas fuit tantum dispensator. 2. *Joh.* 4. *v.* 8. Discipuli ejus abierant in civitatem ut cibos emerent. Ergo solus Judas ex loculis non emit.

36. 2. Beatius est dare, quàm accipere, *Actor.* 20. *vers.* 35. Ergo status mendicantium nequit esse perfectior, quam reliquorum bona possidentium. 3. Doctrina Evangelii præcipit Eleemosynas, & promittit eas distribuentibus præmia, 1. *Timot.* 6. *v.* 17. Ergo approbat, & confirmat proprietatem. Ergo non præcipit bonorum abjectionem. 4. Evangelium non abolet legem, & ordinationes politicas ex Lege naturæ desumptas. Ergo bonorum abjectionem neque mandat, neque approbat: Politicæ enim constitutiones facultatum proprietatem, & distinctionem sanciunt.

37. 3. Apostolus, 1. *Corinth.* 8. *vers.* 10. Dat quidem consilium, sed & simul Eleemosynarum præscribit modum, nempe ut non omnia erogentur simul, & nos ipsos ad paupertatem redigamus. Non est igitur hoc ejus consilium, ut omnia bona vel abjiciamus, vel pauperibus demus, & posteà ipsi mendicemus. Et

Johan-

Johannes Baptista dicit, qui habet duas tunicas, det non utramq;, sed alteram *Luc.*3.*v.*11.

38. 6. Apostolus 1. Thes. 4.ver.11.12. Monet ut manibus laboremus, ne ullâ re nobis opus sit, & ne ob egestatē mendicare compellamur. 7.1. *Tim.* 5.*ver.*13. Mendicitatis non necessariæ incommoda recensēt, perfectionem ipsi nullam tribuens 8. In oratione Dominica jubemur petere panem quotidianum. Monastica igitur bonorum desertio, & mendicitas pugnant cum oratione Dominicâ. Salomon *Proverb.*30.*vers.* 8. Precatur divitias, inquiens, & mendicitatem ne dederis mihi. At si monastica mendicitas est justitia supra legem, & perfectio, minus commoda est precatio Salomonis.

39. 9. Divitiæ sunt donum Dei, *Proverb.*10.*v.*22. Benedictio Domini divites facit; Contra mendicitas annumeratur pœnis peccati, *Deut.*28.*v.*22. Est mala imprecatio, *Psal.*108.*v.*9. Nutantes transferantur filii ejus, & mendicent, & ejiciantur de habitationibus suis. *Psalm.*36.*ver.*26. Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem. 10. Abrahamus, Isaac, Jacob, Joseph, David, Hiob, Centurio, quos Scriptura commendat, & perfectos prædicat, bona sua non abjeceruut.

40. Pro declaratione quæstionis, 1. distinguimus inter paupertatem corporalem, & spiritualem. Corporalis est rerum externarum, quæ ad necessitatem, & commoditatem hujus vitæ requiruntur, necessitas. Spiritualis est virtus in summâ humilitate & patientia egestatem ferens 2. Divitiæ considerantur vel per se, atque sic non sunt malæ, sed creatura, & donum Dei, vel respectu possidentis, qui sæpe istis abutitur: Inde quod *Matth.*19.*ver.*23. dicitur, Divites difficile intrabunt regnum Cœlorum, *Luc.*6.*ver.*24. væ divitibus; Id exponitur alibi de confidentiâ, & solicitudine, *Mar.* 10.*ver.*24. Filioli, quàm difficile est confidentes in pecuniis, in regnum Dei intrare. *Matth.*13.*ver.*22. Solicitudo seculi istius, & fallacia divitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur: *Luc.*8.*ver.*14 A solicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ euntes, suffocantur, & non referunt fructum. 3. Scriptura igitur tradit præcepta de divitiarum acquisitione, possessione & usurpatione: *In ac-*

quisitione fugienda est confidentiæ, & avaritiæ solicitudo: Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & desideria multa, & inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem, 1. *Timoth.6. v.9. In possessione* fugienda est fiducia: Confidentes enim in divitiis, veluti vivum semen, suffocantur. *In usurpatione* fugienda est proximi pernicies, sed quærenda est ejus salus, & distribuendæ sunt inter pauperes eleemosynæ.

40. *Obiicis* illud Christi, *Matt.10.v.19.* Nolite possidere aurum, argentum, & pecuniam in zonis. Quos igitur Christus in perfectiori statu, veluti Apostolos, vult vivere, eos non vult aurum, & argentum possidere.

41. Respon. 1. Christus ipse marsupium habuit, & necessaria emi, ac pauperibns dari jussit, *Johan.13. v.29.* Num igitur in statu perfectionis non vixit? Num in perfectiori statu vixerunt discipuli ejus? 2. Distinguimus inter præcepta perpetua, & temporalia: Fuit hoc mandatum temporale, ut constat primò ex Discipulorum missione: In vias gentium, inquit hoc loco, ne iveritis; At *Matt.28. v.19.* Ite in orbem universum, docete omnes gentes. Secundò ex ipsâ abrogatione, quæ legitur *Luc.22.v.19.* Anteà misi vos sine perâ, nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram. 3. Causa hujus specialis & temporalis mandati non est status perfectionis monasticus, Sed solicitudinis remotio, Providentiæ divinæ admonitio, & fidei confirmatio: Curam enim victus in Deum rejicere debebant, & certò statuere, si fideliter fungantur suo vocationis ministerio, necessaria ipsis non defutura, licet magna sint expectanda pericula.

42. *Instas, Luc.12. v.33.* dicit Servator: vendite quæ possidetis, & date eleemosynam, facite vobis thesaurum non deficientem in cœlis. Ergo in perfectionis statu vivunt, qui possessiones suas vendunt, & inter pauperes distribuunt.

43. Respon. 1. Repetimus fundamenta in præcedentibus proposita de liberâ opum possessione. 2. His stantibus respondemus, dictum Christi intelligendum esse de casu summæ, & externæ necessitatis quo à veris Christianis requiritur, ut nõ solum pauperibus

pauperibus ex fructibus possessionum, sed necessitate urgente eò progredi debent charitatis officia, ut ipsas possessiones vendant, & paupertatem fratrum sublevent.

43. Quæstio quinta: *Num votum regularis obedientiæ sit legitimum?*

44. Resp. Nomine regularis obedientiæ non intelligunt Pontificii observationem regularum Pietates, quam omnes Christiani in Baptismo vovent, & infantes ad annos discretionis perventi, & ad sacram cœnam admissi promittunt; Sed observationem legum Monachalium de peculiari quadam victus ratione, de pecculiari quodam vestitu quoad figuram & dimensionem, de gestu, incessu, &c. Votum verò hoc 1. præstatur sub ratione cultus de inventis humanis. Quod igitur diximus de Traditionibus humanis, idem hoc loco repetimus: Frustra Deus colitur mandatis hominum, *Matt.*15. State in libertate, *Gal.*5. Nemo vos judicet in cibo, & potu, *Coloss.*2. Cum pretio empti simus, num servi hominum, & humanarum traditionum fiamus, 1. *Cor.*7? Annon potius Christum pro summo & unico Religionis Magistro agnoscemus, *Matt.*23.

45. Quæstio sexta. *Num votum perpetuæ continentiæ sit legitimum?*

46. Resp. Qui dono continentiæ præditi, eo fruuntur, ut cultui divino promptius inservire possint, laude omninò sunt digni; At qui votum de cælibatu perpetuò servando faciunt vel in pueritiâ, quando nondum constat, num dono hoc sint præditi, vel in ætate juvenili, & virili, etiamsi actiones carnis sentiant, illegitimo se voto obstringunt, 1. Nam donum hoc non est cuivis datum, *Matth.*19. *vers.*11. Est donum proprium, & singulare, 1. *Corinth.*7. *vers.*7. 2. Melius est conjugium contrahere, quam uri, & nulli laqueus est injiciendus: Ad cavendam scortationem quilibet suam habeat uxorem, 1. *Corinth.*7. 3. Nam honorabile est conjugium inter omnes, *Hebræor.*13. 4. Apostoli *Actor.* 6. *vers.*1. viduas quasdam ad ministrandum juxta consuetudinem Mosaicam, *Exod.*83. *vers.*8. 1. *Reg.*2. *vers.*22. *Luc.* 2. *vers.*37. Ex publicis Ecclesiæ eleemosynis alebant. Ad collegium verò illud Diaconissarum non nisi sexagenarias assumebant; Juniores, ut

res, ut nuberent, & rem domesticam curarent, monebantur, 1. Timot. 5. Plura de his videantur in Disputat. de cœlebatu Sacerdotum.

47. *Vrgent Capuccini illud Christi, Matt. 19. v. 29.* Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum: centuplũ recipiet, & vitam æternam possidebit. Ergo status Monasticus est status perfectionis, reliquis omnibus præferendus, & vita monastica est meritoria. Resp. *Aliud est bonorum abdicatio ex intentione cujusdam monastici cultus instituta, quæ fit sine vocatione, & contra verbum Dei, & aliud bonorũ desertio, quæ fit in persecutione, in casu confessionis, & in legitimâ vocatione.* Non illam, sed hanc intelligit Christus: Nam dicit *Mar. 10. v. 29.* propter Evangelium, nimirum prædicandum; & *Matt. 19. v. 29.* Propter nomen meum scilicet confitendum: In ejusmodi casibus, si bona externa non possunt retineri, nec simul auferri, cedat secunda tabula primæ, & Dominus abundè recompensabit.

48. *Quæris*, annon donum continentiæ perpetuæ quilibet precibus obtinere possit? Resp. 1. Non omnibus datur, & est donum proprium. 2. In nomine Christi, h.e. mandato & promissione Christi petere jubemur. At de ejusmodi precibus nullum habemus mandatum, & nullam promissionem.

In nomine igitur Christi fieri nequeunt.

FINIS DISPVTATIONIS XVII.

DE PAPISMO

DISPVTATIO XIIX.

Et quidem in ſpecie

DE

Magiſtratu, & ejus officio

In qua

Chriſto Duce & auſpice Chriſto

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS GISENII,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS,

ET ORDINARII IN INCLY-

ta Academiâ Giſſenâ Pro-

feſſoris,

RESPONDEBIT

Thomas Wehnerus Rochlitiâ-Miſnicus.

In Auditorio Theologico ad diem 25. Februar. horis antemeridianis & pomeridianis.

GIESSÆ,

Typis exſcribebat Caſparus Chemlinus.

M. DC XVIII.

DISPUTATIO DECIMAOCTAVA.

DE MAGISTRATU, EJUSQVE circa religionem officio.

THESIS I.

CONtulimus de Presbyterio, & Monachis, sive de duobus Ecclesiæ membris, Clericis, & Monachis, ut loquitur Bellarminus: Sequitur igitur, ut de tertio agamus Ecclesiæ membro, quod Pontificii esse, ajunt, de Laicis, sive secularibus, & simul de membris ab Ecclesiâ præcisis, id est, de hæreticis.

SENTENTIA PROTESTANTIUM.

2. Distincti sunt status Ecclesiasticus, & politicus, & utriusque distincta officia: Illi commissus est gladius spiritualis. Arma igitur ejus sunt spiritualia: Huic gladius civilis. Itaque in politicis, & civilibus, politicus Magistratus non est subjectus personis Ecclesiasticis.

3. Publicum docendi munus ordinariè competit, & commissum est Theologis, seu Pastoribus, non Principibus; At judicium, & cognitio de religione competit etiam ipsi Magistratui, qui est Ecclesiarum nutritius, & utriusque Decalogi tabulæ defensor. *Antecedat verò defensionem legitima cognitio.*

4. Cum Laici, & Ecclesiastici contrà datam fidem sæpe spargant hæreses, & Deus nihil velit fieri impune, atque resistendum mandet malo; Ideò animadvertendum est in hæreticos satis monitos, & judicatos, sed aliter personis Ecclesiasticis, nimirum excommunicando; & aliter personis politicis, nimirum ex officiis expellendo, & proscribendo.

SENTENTIA PONTIFICIORUM.

5. Quamvis distincta sint munia Ecclesiasticum, & Politicum, seu civile: Conjuncta tamen esse possunt.

6. *Nicolaus* dicit in Epist. ad Mediol. *Christus utriusq; regni claves Petro attribuit.* Et habetur in Decreto digest. 22. Can. Oves: *Christus B. Petro, vitæ æternæ Clavigero terreni simul, & cœlestis Imperii jura cõmisit* Bonifacius huc accomodavit illud Luc. 22. Ecce duo gladii hic.

7. *Panormitanus, Franciscus Aretinus*, & alii responderunt, Papam jus utriusque gladii à Christo accepisse, atque adeo ipsum quoque Imperium ab Ecclesia dependere, & ita de necessitate salutis credi, ac firmiter teneri oportere.

8. Itaque non pugnat cum verbo Dei, ut unus homo sit Princeps Ecclesiasticus, & politicus simul, *Bellarminus lib. 5. de Pont Rom. c. 9.*

9: *Clemens V. in lib. 2. Clementinarum Tit.* 11. de sententiâ, & de judicata C. Pastoralis cura: Nos tam ex *superioritati*, quam ad imperium non est dubium nos habere, quàm ex potestate, *in quâ (vacante imperio) Imperatori succedimus:* & nihilominus ex illius plenitudine potestatis, quam Rex Regnum, & dominus dominantium nobis, licet immeritis, in personâ Petri concessit, &c. declaramus. *Bellarminus lib. 5. de Rom. Pont. cap. 5.* Pontifex, ait, succedit Imperatori vacante imperio, non in omnibus rebus, sed solum in authoritate judicandi, & terminandi eas causas, quæ à solo Imperatore judicari solent, & quæ non patiuntur moram.

10 Quamvis Papa habeat potestatem temporalem saltem indirectè habet tamen summam. *Bellarminus lib. 5. c. 1.*

11. Itaque in potestate Papæ est uterque gladius, hoc est, Pontifex habet per se, & propriè gladium spiritualem, & quia gladius temporalis subjectus est spirituali, potest Pontifex Regi imperare, aut interdicere usum gladii temporalis, quando id requirit Ecclesiæ necessitas, *Bellarminus lib. 5. C. 8.*

12. Ad Magistratum politicum pertinet quidem Religionis defensio, sed non ejus judicium & cognitio, *Bellarminus lib. 3. de Laicis cap, 17. 18.*

13. Hæretici ab Ecclesiâ damnati, & judicati non solum puniri possunt in libris, sed etiam in facultatibus, & personis, etiam usque ad mortem.

Status Controversiæ

14. *Disputatur igitur. 1. de potestate Ecclesiastica in temporalibus. 2.*

bus.2, De subjectione Imperatorum, & Regum, num in temporalibus sint subjecti Papæ; An contrà? 3. De religionis judicio, & cognitione, annon hoc pertineat etiam ad Laicos? 4. De pœna hæreticis inferenda. Distinctas de his proponemus Disputationes.

15. Quæstio prima: *Num utraq; potestas spiritualis & temporalis, & uterque gladius spiritualis, & civilis competat personis Ecclesiasticis?*

16. Resp. Arrogat sibi Pontifex Romanus utrumq; gladium experientiâ teste, nominat se in jure Canonico Romani Imperii Vasallum, profitetur, se esse, qui Imperatoribus disponat Regna pro beneplacito voluntatis suæ: Et Monarcham superiorem se non agnoscere, *Extra vag. Vnam sanctam: C. Nemo. Et C. Cuncta per Mundum. Item. 9. q. 3. C. Nunc autem. dist. 21.*

17. *Bellarminus lib. 5. de Rom. Pont. c. 1. 6* impietatem hanc excusare, & Pontif. Rom. pudenda tegere studet scribens: *Pontifex uti Pontifex non habet quidem directè & immediatè ullam potestatem temporalem, sed solum spiritualem. Tamen ratione spiritualis Monarchiæ habet saltem indirectè potestatem quandam, eamq; summam in temporalibus. Etqnanquam Papa, ut Papa non habet verè temporalem potestatem, tamen habet in ordine ad bonum spirituale, summam potestatem disponendi de temporalibus rebus omnium Christianorum.*

18. Verum conatu prorsus irrito Bellarminus evadere conatur. Nam. 1. Pontifex Romanus utriusque gladii usum, & secularem, ac Ecclesiasticam potestatem, eamque summam indefinitam, liberam, & absolutam obtinet. 2. eandem Bellarminus propugnat. 3. In fulminibus, & tonitruis extrudendis atque in excommunicationibus violentis fundendis, Principibus, Regibus, & Imperatoribus Pontifex non parcit. 4. Pontifex nefandas, impias, & sceleratas voces Iuris Canonici, atq; Canonistarum non apertè damnat, & abrogat, sed ad eas silet.

19. Opponimus igitur & assertioni, & praxi pontificiorum sequentia. 1. *Quod Christus non usurpavit, quod fugit, & à quo studiosè abstinuit, ejus vicarios non dedit, nec illud vicarii ejus arrogare sibi queunt Atqui potestatem vel jurisdictionem politicam Christus non usurpavit, eam fugit, & ab ea studiosè abstinuit.* Nam requisitus ad divisionem hæreditatis inter duos fratres, judicis partes affectare noluit, *Homo*

inquiens, *quis me constituit Iudicem, aut divisorem inter vos.* Animadvertens, se de consensu populi in Regem esse eligendum, fugit, & subduxit se ab illis. *Luc.*12. *Joh.*6. Pilato respondet *Joh.*18. *v.*36 *Regnum meum non est de hoc mundo.* Ergo.

20. 2. Christus Servator discipulos suos omnes, & sic quoque Petrum (cujus alioqui successorem Papa se se jactitat) in officio Apostolico confirmaturus, *sicut*, inquit, *misit me pater, ita & ego vos. Joh.*20 *v.*21. Ergo non plus juris aut potentiæ vel Petro, vel reliquis indultum voluit, quam ipsemet sibi inexequendo demandato munere usurpavit. Venit verò filius hominis non ministrari, sed ministrare, *Matth.*20, *ver.*28.

21. 3. Servator regnum politicum, ob quod Reges gentium benefici vocantur derogat discipulis. Ergo hoc eis non committit, *Matt.*20, *v.*25.26.27.28. Scitis quod Principes Gentium dominentur illis, & qui magni sunt, potestatem excercent in eas. Non ita erit inter vos: Sed quicunque voluerit inter vos magnus fieri, sit vester minister. Et qui voluerit inter vos primus esse, sit vester servus, Sicut Filius hominis non venit, ut sibi ministraretur, sed ut ipsi ministraret *Luc.*22. *ver.*24.25.26. Facta est contentio inter eos, qui eorum videretur esse major. Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eis: Et qui potestatem habent super eas, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui major est in vobis fiat sicut junior: Et qui Princeps est, sicut qui ministrat. Quæ verba ponderans *D. Bernhardus lib.* 2. *de considerat. ad Eugen.* Planum, inquit, est Apostolis interdicitur dominatus.

22. 4. Promisit & concessit Christus servator discipulis suis, atque sic etiam Petro claves regni cælestis, non regni civilis, *Matt.*16. *v,*19. *c.*18. *v.*18. *Joh.*20. *v.*23

23. 5. Apostolus igitur Petrus admodum seriò prohibet ne, cui docēdi munus in Ecclesiâ est commissum, ullum sibi imperium usurpet in Ecclesiam, 1. *Pet.*5. *v.*2.3. Pascite, inquit, quantum in vobis est gregem Christi, curam illius agentes, non coactè, sed volentes: non turpiter affectantes lucrum, sed propenso animo: *Neq; ceu dominium exercentes adversus cleros*, sed sicut sitis exemplaria gregis.

24. 6. Tanta est officii Ecclesiastici molestia, & difficultas,

tas ut totum hominem requirat. Hujus igitur, & Authenticæ Christi constitutionis memores Apostoli nihil cum rebus politicis sibi voluerunt esse commercii usque adeò, ut ne quidem mensarum curam retinere, & dispensationi Eleemosynarum præesse voluerint, *Act.6.1.Tim.3.& 5.* Nemo, qui militat, implicatur vitæ negotiis, ut ei, qui se in militiam delegit, placeat 2.*Tim.2.v.4.* Quare Pontifex Romanus, sive obliquè, & quasi per cuniculos, sive directè sibi potestatem civilem, arroget, religioni Christianæ, exemplo, & informationi Christi atq; Apostolorum adversatur.

25. At Bellarminus simpliciores decepturus, & turpitudinem papisticam nonnihil occultaturus, mittit testimonia, quæ impertinenter ad cõfirmandam potestatẽ illam civilem ab alis allegãtur, ex *Matt.28.* Data est mihi omnis potestas. Et ex *Luc.22.* Ecce duo gladii hic. Provocat verò ad exempla V. Testamenti, cujusmodi sunt eorum, qui Sacerdotes simul & Reges, seu Principes fuerunt. Nam in lege naturæ Melchisedech fuit Rex, & Pontifex, *Gen.14. Heb.7.* Constat quoq; Noe, Abraham, Isaac, Jacob, præfuisse suis tam in iis, quæ ad religionem, quam in iis, quæ ad politicã vitam pertinebant. Moses & summus Princeps temporalis, & summus Pontifex fuit. *Exod.18.v.40.* Item Eli & Samuel 1. *Sam.2.& 4.* Deinde potestas Ecclesiastica, inquit, & politica non sunt contrariæ. Ergo non pugnant inter se, ergo simul in eodem esse possunt.

36. Resp. 1. A formâ politiæ Mosaicæ ad formam regiminis Ecclesiæ, & civilis Reipubl. sub regno Christi argumentari non licet, præsertim postquam id, quod concessum in V. Testamento videbatur Sacerdotibus, in N. Testamento Discipulis Christi expressâ Christi voce, *vos autem non sic*, sit denegatum *Gratianns l.2.q.7.C.Nos si:* Multa, inquit, concedebantur tunc, quæ nunc penitus prohibentur. Tunc enim Samuel Agag pinguissimum Regẽ Amalec in fustra dividendo concidit; Nunc nulli Ecclesiasticorum judicium sanguinis agitare licet: Tunc Phinees Judæum coëuntem cum Madianitâ interfecit, & reputarũ est ei ad justitiam, hodie Sacerdotibus in perniciem sui officii verteretur. 2. Una quidem est Ecclesia ante & post natum Christum respectu essentialium: Differt respectu accidentalium: Illa regebatur sub umbris, & spe communis capitis, hæc sub ipso Christo, viso, audito, præsente.

37. Sta-

37. Statum & conditionem habuit Ecclesia vetus multiplicem: Aliam ante legem, ubi variæ possunt observari partiales Ecclesiæ in singulis familiis; Instituto Levitico Sacerdotio lex Scripta *Deut.*21.præcipit, ut primogenitus duplam habeat in patrimonio proportionem. At plurimi erant primogeniti singuli in singulis fidelium familiis. Ne Ecclesiastica verò Monarchia alicui tunc legitur concessa, ut supra alios emineret. 4. Post legem filiis Israel datam, Moses Propheta insignis à Deo constituitur, cum que ipse initio solus esset in omnibus instructissimus, quæ ad illius populi regimen spectarent, quippe qui cum Jehova de facie ad faciem loqueretur, *Exod.*33 *Deut.*5. Et quid in singulis agendum esset dubiis minutim institueretur, *non tam per modum imperii, quàm per modum instructionis*, aliquamdiu rexit populum, cujus Deus solus immediatus Rex esset: Venit ad me, inquit, populus quærens sententiam Dei, *Exod.*18. 5. Multum verò in his defatigabatur. Consilio igitur sui soceri negotia à se abdicavit civilia, instituens varios Magistratus, qui ea curarent; Ipse negotia Spiritualia sibi reservavit. *Exod.*18.*v.*18. *Stulto labore consumeris*, & tu, & populus iste, qui te cum est: *Vltra vires tuas est* negotium: Solus illud *non poteris* sustinere *ver.*9. Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent. 6. In tota autem lege utriusq; fori ipse solus erat instructissimus. Ipse solus igitur difficiliora quæq;, dum vixit, explicabat, non ut Rex & Imperator, sed ut merus Minister, & interpres, *Deut.*5.*v.*5. Ego, inquit, sequester, & medius fui inter Dominum, & vos, ut annunciarem vobis verba ejus. 7. Ipse propediem moriturus erat. In Repub. igitur quam jussu Dei ordinare cæperat diversorum Magistratuum institutione, consistorium, seu Concilium informabatur, in quo non soli erant Sacerdotes, & Levitæ, sed etiam Laici, Judex nimirum loci, & Principes familiarum: *Deut.*17.*v.*8.9. Si difficile, & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem &c. & judicum inter portas tuas videris verba variari: Surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes Levitici generis, & Judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui judicabunt tibi judicii veritatem. *Josephus lib.*4. *Antiquit.* Si Judices, inquit, nesciunt de rebus ad se delatis pronunciare, integram causam in urbem sanctam mittent

mittent,& convenientes Pontifex, & Propheta,& Senatus, quod visum sit pronuncient.

38. 8. Gladius Spiritualis & civilis non quidem simpliciter inter se contrariantur, cum personæ Ecclesiasticæ,& politicæ unum consistorium constituere possint; Sed secundum quid,nimirum ob divinam ordinationem atque sic N. Testamenti conditionem respectu unius Ecclesiasticæ personæ. 9. Ad fabulam de donatione *Constantini* respondimus *Disput.*1.

39, Quæstio secunda : *Vtrum imperator Reges, & Principes sint,& debeant de jure subjecti esse Romano Pontifici; An verò Pontifex in negotiis civilibus Imperatori?*

40. Resp. *Bellarminus lib.* 3. *de Laicis. cap.* 18. Potestas temporalis,& Spiritualis,inquit,in Ecclesia non sunt res disjunctæ,& separatæ, ut duo regna politica, sed sunt conjunctæ, ita ut unum corpus faciant; vel potius ita se habent, ut corpus & anima in uno homine: Est enim potestas spiritualis quasi anima, & temporalis quasi corpus *Barradius Tom.* 2. *Comm.p.*211. Nullus est in toto orbe Pontifex, qui totum terrarum orbem humeris ferat præter Pōtificem Romanum.Et *in jure Canon.*potestas Regem & Imperatorem eligendi,& rursus deponendi adscribitur Romano Pontifici.

41. Verum. 1. ostendimus in quæstione præcedente Pontificem Romanum injustè sibi arrogare gladium civilem. Ergo & iniquè ex impio fastu sibi, & suæ fictitiæ juris dictioni conatur subiicere Imperatorem,Reges & Principes.

42. 2. Christus servator *Matt.*22.*v.*21. Cæsari tributum dare jubet.*Reddite,inquiens, Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & Deo quæ sunt Dei.Matt.*17.*v.*27.Pro se,& Petro illud solvit.*D. Bernhardus Epist.*42 scribit, Christum præsidis Romani potestatem super se cœlitus ordinatum fassum esse,quoniam,*Joh.*19.*v.*11.non excipit,sub præsidis se non esse potestate, non negat ad eum potestatem jure pertinere aliquo.

43. 3. Apostolus Paulus non ad Principatum Petri provocat,sed Cæsaris judicio sese submittit,*Act.*25.26. Et dicit *Rom.*13. *v.*1. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. 4. *Gregorius Magnus Pontifex lib.*4.*Epistolar. Epist.*32. Universi mundi Rectorem, & Dominum à Deo constitutum agnoscit Mauritium

Imperatorem, *Item.* Quantum ad me attinet, sereniſſimis juſſionibus obedientiam præbeo. Non in commodè verò & hoc ab ipſo dici *Epiſt.* 31. fatemur: Sacerdotibus dominus noſter ita dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat.

44. *Fruſtra obtenditur Imperatores à Pontificibus eſſe depoſitos.* Nam. 1. Furor proditur Antichriſti efferentis ſe ſuper omne, quod dicitur Deus. 2. *Theſſ.* 2. *verſ.* 4. 2. Platina dicit, vanam tunc habitam fuiſſe Cleri, & populi electionem, niſi etiam Imperatores, aut eorum ἔξαρχοι eam confirmaſſent. 3. Annon Imperator Otto Johannem XIII. Henricus II. tres Pontifices: Henricus IV. Gregorium VII. exautoravit.

45. *Parum circumſpectè dixeris Imperium à Pontifice eſſe Imperatoribus collatum, & ab eodem illis poteſtatem, & Majeſtatem eſſe collatam.* Nam imperium, & poteſtas civilis prior eſt Pontifice, Pontificatu, & Papatu: P. *Gregorius Tolozanus lib.* 19. *de Repub.* C. 1. *ſect.* 3. *ſtatuit una cum Adamo politias cæpiſſe, cum Geneſ.* 1. *v.* 26. ipſi poteſtas hæc à Jehova conferatur, ut præſit piſcibus maris, volatilibus cœli, & beſtiis univerſæ terræ. Et *ver.* 27. univerſa animantia ei ſubjiciat. Et Eccleſ. 17. dicatur, quod cum creaſſet Deus hominem de terrâ, numerum dierum, & tempus dederit illi, poteſtatemque eorum, quæ ſunt ſuper terram. Sed quia Adamus non legitur uſurpaſſe imperium quoddam in alios homines extra familiam ſuam conſtitutos, ideò rectè diſtinxeris inter materiale, & formale: Cæpit illud cum Adamo, ſed non hoc, id eſt, non ipſe modo civilis. 2. Inter imperium civile in homines univerſos, & beſtias univerſas, hoc, & non illud confertur Adamo. 3. Inter poteſtatem naturalem & civilem poteſtatem patriam, ſeu domeſticam, & politicam: Priorem cæpiſſe cum Adamo, & ab eodem ulurpatam, ſed non poſteriorem cenſemus.

46. *Joſeph. lib.* 1. *Antiq. & alii complures*, Cum Caino politias arbitrantur cœpiſſe. Ipſe enim condidit urbem Henoch. Reſp. Non ſtatim ex exſtructione civitatis colligitur conſtitutio Politiæ, & jura Majeſtatis: Requiruntur enim ad Rempub. ex ſententia Politicorum. 1. Cætus hominum, ſeu plures familiæ, & ſocietates. 2. Res aliquæ communes. 3. Legitima gubernatio junc-

cta cum

cta cum summâ potestate. At tunc temporis, quando Cainus condidit civitatem ne quidem societates leguntur fuisse.

47. Verissimam verò censemus, eorum esse sententiam, qui cum Nimrodo Politias cæpisse docent. Nam Scriptura testatur, quod *ipse caperit esse potens in terra*, & quod principium regni ejus fuerit Babylon, & Arach. *Genesi.* 10. *vers.* 8. 9. 10. Chus genuit Nemrod, ipse cæpit esse potens in terra. Et erat robustus venator coram Domino, ab hoc exivit proverbium: Quasi Nemrod robustus venator coram Domino. Fuit autem principium regni ejus Babylon, & Arach, & Achad, & Chalanuc, in terra Sennaar. 1. *Par.* 1. *vers.* 10. Chus genuit Nemrod: Iste cæpit esse potens in terra *Mich.* 5 *v.* 6. Pascent terram Assur in gladio, & terram Nemrod in lanceis ejus.

48. *Si quæras, quomodo Politiæ ceperint?* Remittemus te, non simpliciter ad *Bodinum asserentem lib.* 1. *de Repub. cap.* 6. vi politias, & Magistratum coaluisse *pag.* 316. Reip. Historia, inquit, & præcipuè Plutarchus testatur, illud hominum genus nihil prius habuisse, quam obvios quosque Spoliare, diripere, occidere, aut in Servitutem redigere: Ergo more latronum grassatum, alios sibi vi subiecisse: Neque remittemus te ad potestatem Papalem, quæ tunc temporis fuit nulla; Sed. 1. ad Scripturæ sacræ testimonium *Romanorum* 12. *vers.* 1. Non est potestas nisi à Deo, & quæ sunt potestates à Deo ordinatæ sunt. 2. ad exempla Veteris Testamenti: Deus enim creasse legitur in Veteri Testamento Reges, ipsoque mandante illi sunt constituti. 3. Ad virtutes Regum heroicas: Ob summam enim integritatem, vitæ honestatem, animi fortitudinem, justitiam, & aliarum virtutum, quibus excellebant, commendationem Reges creabantur, & constituebantur. Rectè dicit *Casus in Sphæra civ. lib.* 3. *p.* 181. Sic Saturnus in Italia, sic Romulus Romæ. Sic Theseus Athenis, sic Amphion, & Cadmus oblata imperia Thebis suscepisse dicuntur: Nam more belluarum vagantes homines non magis sine Rege, quam oves sine Pastore vivunt. Sic Nerva Coccæus Marcum Ulpium Troianum natum in Hispania propter virtutem adoptavit, & successorem fecit præsente senatu, eique insignia misit in Germaniam

ad urbem Coloniam Agrippinam. 4. Magistratui igitur ob officium, quo fungitur, tribuitur in Scripturâ nomen Dei, *Psal.* 28. *Exo.* 22. *Deut.* 13.

54. *At provocant adulatores sedis pontificiæ* ad coronationem Papalem multis lustrorum cursibus receptam: Hæc enim Romæ debet peragi, *Clement.* 1. *Nos itaq; de jurejur.* Hinc factum ut Imperatores personaliter Romam irent ad coronam suscipiendam.

55. Resp. 1. Audaciam illam Pontificiam esse abominabilem, asserimus. Et nulla juris specie potestatem imperatoriam sibi adscribere posse Papam ostendimus. 2. Multi cordati Imperatores coronationem illam neglexerunt, ut Rudolphus Habspurgensis Romam ingredi recusans, & Nicolao Papæ respondens: *Me vestigia terrent, omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum.* Item Maximilianus II. Rudolphus II. Matthias I. 3. Coronatio non est Majestatis collatio, sed collatæ declaratio. Non est igitur de ejus essentia.

56. Quare Sacerdotium, & Ministerium non debent confundi, & ut Sacerdos, ita &, Magistratus civilis intra officii sui terminos sese contineat: & eam potestatem, quam Christus Ministerio concessit Sacerdoti relinquat: Alia enim est potestas à Christo discipulis collata, & alia tyrannicè assumpta, & à Papa fastuosè hactenus usurpata.

57. Quæstio tertia: *An ad Magistratum politicum pertineat, etiam judicium de Religione?*

58. Resp. *Bellarminus lib.* 3. *de Laicis cap.* 17. 18. Concedit, Magistratus officium quidem esse religionem defendere, sed non de controversiis fidei judicare, & conciliis præsidere.

59. Contra errorem verò hunc disputavimus in disputationibus de judice controversiarum, & de Conciliis. Hoc igitur loco breviores sumus.

60. 1. Piis Regibus, ac Principibus, tanquam Ecclesiæ nutritoribus, & defensoribus, mandatur ut in veram religionem inquirant, eamque ex sacris literis cognoscant, atq; ita probè cognitam legitime tueantur. Ergo pii Reges, ac Principes ad cognitionem hanc, & judicium potius sunt instigandi, quam à Scripturæ sacræ lectione arcendi.

61. 2. Qui

61. 2. Qui debent sibi à Pseudoprophetis cavere, doctrinas vanas fugere, canes observare, illorum est ratione donorum sibi concessorum de religione judicare. Atqui illud est omnium Christianorum Regum, & Principum. Ergo. Monuit id ipse Servator, *Matt.7.v.15.* Cavete, inquiens, vobis à Pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. *Et cap.24.vers.24.26.* Surgent Pseudochristi, & Pseudoprophetæ, qui dabunt signa magna, & prodigia, verum nolite credere. Apostolus Paulus dicit, *Philip.3.v.2.* Observate canes. Johannes 1. *Epist.cap.4.v.1.* Charissimi, ait, ne cuivis spiritui credatis, sed probate Spiritus, an ex Deo sint: quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum. Author Epistolæ ad Hebræos *cap.13.vers.9.* Doctrinis vanis, inquit, & peregrinis nolite circumferri.

62. 3. Memores mandati hujus pii Reges, Principes, & Magistratus cum in Veteri tum in Novo Testamento accuratam orthodoxæ fidei cognitionem cum legitimâ defensione conjunxerunt, & piè de religione, & controversiis judicarunt, quo nomine à Spiritu sancto, & viris Ecclesiasticis subinde commendantur. Hujusmodi fuerunt in V. Testamento, Moses, Josua, Samuel, David, Salomon, Ezechias, Josias, & alii complures pii Judices, ac Reges. In Novo Testamento Constantinus Magnus, uterque Theodosius, Valentinianus, Honorius, Arcadius, &c. Quare pii Ecclesiæ Ministri ab eo, propter quod Spiritus sanctus Magistratum subinde laudat, eum non arceant, nec illud ipsi derogent.

63. 4. Defensio præsupponit cognitionem, & judicium. Quare cum Magistratui adscribatur religionis defensio, non deneganda est ipsi religionis cognitio, & judicium. Ecquis enim salvâ conscientia defendere, & pro virili tueri id poterit, de cujus veritate nondum persuasus est? Certè justum est, id studiosè tueri, quod pium & justum esse cognoveris; Ergo iniquum, & injustum est, illud defendere, cujus veritatem, & certitudinem ignoraveris.

64. At contrà insurgit Bellarminus, Christus, inquiens,

Ecclesiam regendam Petro, & Episcopis commisit, non Tiberio, & ejus præfectis. Nam Petro dixit *Joh.* 21. Ergo Magistratus politicus de religione judicaturus alienam functionem invadit.

65. Respon. Quod injunctum est Petro, idem injunxit Christus pariter reliquis suis discipulis: Unde se Apostolus Petrus reliquorum agnoscit συμπρεσβύτερον. Hoc autem erat ordinariè omnes gentes docere, & sic discipulos facere. Ergo. Sed de his egimus prolixius in Disputationibus de Conciliis, & in Prodromo. Calumnias, quas annectit Bellarminus de Brentio & aliis, ad suum authorem remittimus.

96. Quæstio quarta: *Quomodo pius Magistratus de Religione judicare debeat?*

67. Resp. Judicem controversiarum supremum constituunt Pontificii Romanum Pontificem, non Spiritum S. in Scripturâ loquentem, nec ipsam Scripturam sacram, hoc fine ut suis opinionibus authoritatem concilient, & traditiones humanas pro verbo Dei obtrudant. Sed num pars controversiæ inter se & suum adversarium poterit esse Judex? Num inventa humana pro verbo Dei, quod Spiritum sanctum habet authorem, sunt obtrudenda? Annon verum illud Jehovæ, nihil addatis verbo huic, nihil auferatis ex eo? Annon igitur illud omne, quod ex propriâ intentione humanâ additur verbo Dei, & pro eo obtruditur, etiâsi quoad subjectam materiam illi consentaneum esse videatur, ipsi prohibitioni contrariatur. Ecquis igitur ex ejusmodi ineptiis, & humani cerebri figmentis pius permittet judicium fieri de ipso verbo Dei scripto, & de ipsa Spiritus sancti voce? Num fidei mensura judicari, æstimari, & censeri debet ex mensurato?

68. Verum absurda illa alibi refutavimus], quò remittimus. Pius verò Magistratus de religione, quæstionibus controversiis, & similibus, quæ defendere tenetur judicaturus, nullam agnoscit normam, & regulam aliam, secundum quam fert sententiam, quam scripturam sacram.

69. Nam 1. Scriptura sacra est regula, canon & mensura divinæ veritatis, *Deuter.* 4. *vers.* 2. *cap.* 12. *vers.* 32. *Esa.* 8. *vers.* 20. *Galat.* 6. *vers.* 16. 1. *Timot.* 6. *vers.* 3. Ex eâ igitur, & secundum eam controversiæ

versiæ Theologicæ sunt decidendæ, & secundum ejus ductum est judicandum.

70. 2. Cui Scripturæ nihil licet addere, & nihil detrahere, ea sola est controversiarum theologicarum dicendarum norma. Scripturæ verò sacræ nihil licet addere, & nihil detrahere, *Deut.* 4. *v.* 2. *c.* 12. 32. *Prover.* 30. *ver.* 6. *Apocal.* 22. *vers.* 18. Ergo ea sola controversiarum in theologicis obortarum, & decidendarum est norma, & per consequens secundum eam solam controversias theologicas decidere debet etiam pius Magistratus, & non secundum hujus, vel illius Pontificis figmenta & decreta.

71. 3. Spiritus sanctus in controversiis decidendis, & religionis negotio aliquid constituendo, ad solam nos remittit Scripturam, eamque tanquam normam Regibus, & Principibus unicè commendat, secundum cujus verbum si non dixerint, non erit eis matutina lux, *Deuteron.* 17. *vers.* 18. *Ios.* 1. *vers.* 7. *C.* 23. *versic.* 6. 3. *Reg.* 2. *vers.* 3. 4. *Reg.* 17. *vers.* 37. *Esa.* 8. *vers.* 20. *Ierem.* 36. *vers.* 2. Hæc igitur in theologicis sola, certa, & vera controversiarum est norma.

72. 4. Super Scripturam sacram, hoc est, doctrinam propheticam, & Apostolicam in Scriptis Canonicis comprehensam ædificata est Ecclesia *Ephes.* 2. Secundum hanc igitur pius Magistratus judicabit de controversiis theologicis. Nullum enim fundamentum præter id, quod positum est, poni potest. 5. Hæc igitur doctrina dicitur regula, quæ exivit in totum terrarum orbem, *Psal.* 19. *v.* 5. *Rom.* 10. *v.* 18.

73. 6. Secundum hoc igitur verbum, quando incediditur, non erratur, *Psalm.* 119. *vers.* 9. *Galat.* 6. *v.* 15. Ab hoc quam primùm receditur, error committitur quacunq; etiam fiat intentione, sive malâ, sive bonâ. Testantur id exempla, ut Saulis Samuele Prophetâ in Gilgal commorante, sacrificantis, cum videret sibi ab hostibus Philistæis periculum parari: intentio quidem ejus erat bona, utpote Deum sibi, & populo placare; Sed gravissimè reprehenditur à Samuele 1. *Sam.* 13. *vers.* 13. *Stultè, inquit,* ille-

ille, egisti, nec custodivisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Similia vide, 1. *Sam.* 15. *v.* 19. *Luc.* 19. *v.* 46.

74. 7. Quare hanc normam solam omnes pii sunt secuti, secundum hanc judicarunt, eamque suis auditoribus commendarunt, ut Moses, Josua, Josias, Esdra, &c. Scripturam igitur sacram omnes pii Reges, Principes, & omnes Christiani, ut fidei, ita & controversiarum in theologicis decidendarum meritò agnoscunt normam. Idque sinceri Ecclesiæ Ministri suis tenentur inculcare auditoribus. Magistratus enim civilis superiorem agnoscat oportet Scripturam legibus suis humanis. Itaque potestatem sibi non arroget in spiritualibus indeterminatam, sed determinatam, & intra Scripturæ cancellos sese contineat, atque suâ potestate non abutatur. Potestas illa est à Deo. Non igitur usurpet eam contra

Deum.

FINIS DISPVTATIONIS XIIX.

DE PAPISMO

DISPVTATIO XIX.

Et quidem in ſpecie

DE

POENIS HÆRETICORVM

In qua

Chriſto Duce & auſpice Chriſto

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS GISENII,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS,

ET ORDINARII IN INCLY-

ta Academiâ Giſſenâ Pro-

feſſoris,

RESPONDEBIT

Adolphus Bömerus Stadhagenſis.

In Auditorio Theologico ad diem 12. Februar. horis antemeridianis & pomeridianis.

GIESSÆ,

Typis exſcribebat Caſparus Chemlinus.

M. DC XVIII.

DE PARISMO

DISSERTATIO XIX.

In quadam Sacra

DE

FONTIS HERETICORUM

Ex quo

Christo Deo & auspice Christo

PRAESIDIO

JOHANNIS GISENII,

SACRAE THEOLOGIAE DOCTORIS,

ET ORDINARII IN INCLYTA

Academia Gissaeno.

Facultatis

ADSPONSORIS

Adolphus Bonnetus Stadiagensis,

[illegible]

GISSAE,

[illegible]

M DC XVIII.

DISPUTATIO DECIMANONA
DE
POENIS HÆRETICORUM

THESIS I.

MEmbrum Ecclesiæ mortuum', seu ab Ecclesiâ præcisum ut loquitur Bellarminus, sunt hæretici, Hi ne veneum suum ubique pro suo arbitratu, disseminent, sunt coërcendi. De modo verò pœnæ istis inferendæ est controversia: Hunc determinaturi quæstiones quasdam proponemus, & decidemus.

2. Quæstio prima: *Num in Ecclesia vera nulli sint hæretici.*

3. Resp. *Bellarminus lib. 3. de Ecclesia militante cap. 4.* simpliciter affirmat, nullos hæreticos esse in Ecclesiâ, seu nullos ad eam pertinere.

4. Assertionem hanc simpliciter approbare nequimus. Distinguimus enim 1. inter eos quos pontificii hæreticos faciunt, & eos, qui judicio Dei sunt hæretici: Pontificiis illi sunt hæretici, qui abiicientes traditiones hũanas sola pugnant authotitate scripturæ. At hos verè esse fideles, affirmam⁹, cũ sint illi, quibus secundũ verbũ hoc dicẽtibus futura est matutina lux. 2. Inter hæreticos occultos, & manifestos pertinaciter hæresin defendentes, hi vel per excũmunicationem ab Ecclesiâ separantur, vel ipsi ex eâ egrediuntur; Illi in visibili Ecclesiæ sunt cætu. Nam. 1. Zizania sunt inter triticum, *Matth. 13. vers. 25.* 2. Apostolus dicit, *1. Cor. 11. vers. 19.* Inter vos ἐν ὑμῖν oportet esse hæreses. In Corinthiaca igitur Ecclesiâ fuerunt hæretici. At hæc fuit vera Christi Ecclesia *1. Corinth. 1. vers. 13.* Ergo. 3. Imò per hæreticos, & per corruptum Ministerium generantur Deo filii & filiæ, *Ezech. 16. vers. 20. c. 23. vers. 17.* Num igitur nullo modo hæretici sunt in Ecclesiâ? 4. *Augustinus libr. 3. de Baptist. capit. 19.* disputat, dici posse, hæreticos

ticos esse adhuc aliquo modo in Ecclesia etiam postquam abeâ exierunt, propter Sacramentorum administrationem, quia etiam ipsi quædam Sacramenta administrant. 5. *Alphonsus de Castro Pontificius lib. 2. de justa hæret. punit. c. 24.* docet, hæreticos esse membra, & partes Ecclesiæ, teste ipso Bellarmino. 6. otthodoxi sæpe Ecclesiæ falsæ sunt partes. Ergo heterodoxi in visibilis Ecclesiæ esse possunt cætu: Quamvis igitur verè hæretici sint Satanæ membra & proinde non de Ecclesia, esse tamen possunt in Ecclesiâ.

5. Quæstio secunda: *Quinam propriè sint hæretici?*

6. Resp. *Distinguimus inter paganum, sceleratum, hypocritam Schismaticum, infirmum, blasphemum & hæreticum, qui est vel simplex, vel simul seditiosus.*

7. *Paganus, & infidelis* est iste, qui est foris, qui Christi nomen non agnoscit, & Christo non est per fidem insertus, ut sunt Turcæ, Judæi, &c. videatur Apostolus 1. *Cor. 5. ver. 12. Augustinus in Enchir. ad Laurent. cap. 4.*

8. *Sceleratus, seu facinorosus est,* qui ex erratis describitur: Peccat enim manifestâ vitæ impietate.

9. *Hypocrita* est, qui talis cupit videri, qualis non est, qui aliud corde agit, aliud ore tenet: qui coram mundo gloriam, lucrum, & quæstum quærit, & tamen videri vult summopere Deum colere: qui omnia instituit ad externam speciem, & ore nihil aliud sonat, quam Deum & cultum Dei: qui traditiones majori diligentiâ custodit, quam præceptâ Dei. Videatur *Augustinus in sermone Domini in monte.*

10. *Schismaticus* Ecclesiæ unitatem dissecat. Est enim Schisma Ecclesiasticæ unitatis disruptio, qua fidelium societas in partes & studia scinditur. *Augustinus lib. de fide & Symbolo cap. 10.* Hæretici, inquit, de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant; Schismatici autem discissionibus iniquis à fraternâ charitate dissiliunt, quamvis ea credant, quæ credimus. *Differt igitur hæresis à Schismate:* Nam hæresis est, quando falsum aliquod dogma in causâ fidei contra communem Ecclesiæ sensum pertinaciter asseritur, etiamsi fiat hoc sine Schismate; Schisma verò est, quando vel dogmatis alicujus gratia, vel aliam ob causam scinditur Ecclesia. In Ecclesia igitur

igitur esse potest Schisma sine hæresi, & hæresis sine Schismate, cujus exemplum habemus *Joh.9.v.15.*

11. *Infirmus* est, qui verâ quidem fide est præditus, sed non satis in eâ est confirmatus.

12. *Blasphemus est*, qui maledictum, & convitium effundit, & dicit ea, quæ sunt flagitiosa, & probrosa. Distinguitur blasphemia, & alia dicitur in filium, & alia in Spiritum. *Blasphemia in Filium est* hostilis impugnatio doctrinæ de Christo, quæ proficiscitur ex ignorantia & zelo sine scientiâ, non autem ex malitiâ, nec præsupponit veritatis agnitionem. *Blasphemia* in Spiritum est veritatis agnitæ, de cujus veritate aliquis in conscientiâ suâ est convictus, malitiosa, & voluntaria abnegatio, & oppugnatio, omniumque salutis mediorum abjectio. Ejusmodi igitur Blasphemus peccat non ex ignorantiâ, sed plenâ mentis scientiâ, non ex infirmitate, sed contumaci voluntatis malitiâ

13. *Hæreticus* est qui falsam doctrinam contra Ecclesiæ fundamentum amplectitur, & propagat. Vel: *Hæreticus est persona intra Ecclesiæ gremium constituta doctrinam falsam fundamento fidei contrariam cum Ecclesiæ damno* & scandalo malitiosè & pertinaciter oppugnans, & defendens.

13. Requisita igitur hæretici sunt, 1. ut intra Ecclesiæ sit gremium. 2. ut erret non tam in moribus, quàm in doctrinâ. 3. ut errorem pertinaciter defendat. 4. atque sic sæpe Ecclesiæ unitatem scandalo scindat.

14. *Est verò hæreticus simplex, vel simul seditiosus*: Hæreticus simplex falsam doctrinam simpliciter propugnat: Hæreticus simul seditiosus turbas movet, seditionemque in Ecclesiâ excitat. Monet *Augustinus*, alium esse hæreticum, & alium credentem hæretico, alium seductorem, & alium seductum.

15. Quæritur de hæreticis propriè ita dictis, & quidem de illis, qui hæreses spargunt, & alios seducunt, quomodo sint coercendi, & puniendi?

16. Quæstio tertia: *Quomodo tractandi sint hæretici ab Ecclesiasticis?*

17. Resp. Diversi sunt vitæ status, Ecclesiasticus & Politi-

cus: Hæretici aliter sunt tractandi à personis Ecclesiasticis, & aliter à politicis: Aliud est agere de Ecclesiasticâ censura, & aliud de Magistratus curâ.

18. Ad disciplinam Ecclesiæ in tractando hæretico tres observandi sunt gradus. *Primus est σκέψις diligens observatio & inquisitio* ex plurimis notis petenda, ne innocentes habeantur pro reis, & ne catalogo hæreticorum adscribantur, qui ab improbis calumniatoribus in suspicionem corruptæ doctrinæ sunt vocati. Diligenter est attendendum, *Rom.16.v.17.* Obsecro vos fratres, ut *considereti* eos, qui dissidia, & offendicula contrà doctrinam, quam didicistis gignunt.

19. *Secundus gradus est, ἔλεγχος καὶ νουθεσία* falsæ doctrinæ, & facti pravi correptio, atque admonitio: Monstrandi enim sunt errores ex apertis scripturæ fundamentis atque testimoniis, & quidem non semel, sed sæpius, *Tit.3.v.10.* Hæreticum hominem post unam, & alteram correptionem devita. Nam. 1. vult Apostolus illi spatium dari ad meditandum, & considerandum periculem, suum, & Ecclesiæ damnum, & simul ejus salutem. 2. Requirit in orthodoxis Ministris, ut aliquamdiu morosos istos novorum dogmatum inventores ferant, *2.Tim.2.v.24.25.26* Servũ Domini non oportet pugnare, sed placidum esse erga omnes, propensum erga omnes, propensum ad docendum, tolerantem malorum, cum manſuetudine erudientẽ eos qui obsistunt, si quando det illis Deus pœnitentiam ad agnoscendam veritatem: Et resipiscant è Diaboli loqueo, capti ab eo ad ipsius voluntatem.

20. *Tertius gradus est excommunicatio* τὸ παραιτεῖσθαι, *Tit.3.v.10.* ἐκκλίνειν, *Rom.16.v.17.* παραιτεῖσθαι significat recusare, & repudiare: Unde de repudio matrimonii usurpatur à Græcis, quando maritus conjugem domo eiicit, & plane abdicat, ἐκκλίνειν cum quodam odio aversari personam, & â moribus, & doctrinâ ejus declinare, & tribuitur hominibus omnibus respectu naturalis corruptionis secundum quam à Deo declinarunt odio ipsum habentes, & pessimè viventes, *Rom.3.v.12.* Exclusionem hanc vocat Paulus actum, quo reus traditur Satanæ ad interitum carnis, ut Spiritus salvus fiat, *1.Cor.5.v.5.* Tradatur satanæ ad interitum carnis quò Spiritus salvus sit in die Domini Jesu.

21. Ulti-

21. Ultimus igitur, & supremus gradus censuræ Ecclesiasticæ tam auditoribus, quam Ecclesiæ Doctoribus competens est excommunicatio: Utrique enim conjunctim ejusmodi exequuntur Apostoli decretum: Illi dum non audiunt, nec docenti fidem habent; Hi dum pertinacem, & Ecclesiæ turbatorem è domo Domini ejiciunt, sive excommunicant.

22. Quid verò sit excommunicare, Christi phrasis ostendit, *Matt.* 18. interpretantis excommunicationem hanc his verbis: *Sit tibi veluti Ethnicus, & publicanus.* Non incommodè enim totus ille processus, qui ad privatos offensos potissimum spectat huc potest accommodari.

23. Quæstio quarta. *An excommunicationis usus hodie in Ecclesiis nostris sit retinendus.*

24. Resp. *Excommunicatio nihil est aliud, quàm actio, qua homo enormiter delinquens aut in peccatis sine pœnitentia perseverans, dominio potestatiq; Satanæ traditur Hunnius in 1. Cor. p. 559.* vel est censura à canone, vel judice Ecclesiastico prolata privans à communione hominum, & Sacramentorum.

25. *Est verò Major, & Minor, Eckius in Ench. p. 123.* Major est anathema separans à fideliũ communione usu Sacramentorũ, tẽpło & ipso cœlo. Hæc simpliciter approbari nequit 1 Exẽplũ enim ejus nullũ habetur in scriptura. 2. Proximi salus, & nõ pernicies est quærenda, Salut ẽ verò proximi ille excõmuicationis modus perdit. Fides n. est ex audito. Minor excõmunicatio separat àperceptione Sacramẽtorũ & nõ simpliciter â cõmunione quorũvis fideliũ.

26. Distinguendum igitur esse censemus inter ipsam excommunicationem per se consideratam, & excommunicationis formam, seu modũ. Excommunicatio ipsa est necessaria, h. e. legis maledictio est annuncianda hominibus impœnitentibus. Clavis enim solvens, & ligans non frustra est tradita. Et maledictus qui opus Domini facit negligenter. Ad certam verò formam non sumus astricti. Opponi nequit exemplum Apostoli 1. *Cor.* 5. Non enim expediebat tristem illum casum devolvi ad Ethnicum Magistratum. Defectum igitur hunc compensat Apostolus severitate pœnæ, seu disciplinæ.

27. Excõmunicationis modus põtificius approbari nequit

1. quia

1. quia fuit psychotyrannis, & conscientiarum carnificina. 2. quia fuit via ad tyrannidem pontificiam in Ecclesiâ & in repub. à Pontifice exercendam. 3. quia ob ineptas & injustas causas tyrannis illa à pontificiis exercetur.

28. Sunt autem excommunicandi, dicit *Herbrandus pag.* 687. ad mortem peccantes, hoc est mortalia externa peccata committentes: Hæretici falsa dogmata serentes, inordinatè ambulantes. *Alii duplicem lapsum excommunicationi esse obnoxium docent, doctrinæ, & morum.* Doctrinæ, cum quis falsum dogma in aliquem fidei articulum impingens obstinatè defendit. Morum peccatum est privatum, vel publicum. Finis Excommunicationis est, ut peccator pudore affectus resipiscat, & alii ejus exemplo moniti sint cautiores, 1. *Cor.* 5. 2. *Thess.* 3. Deinde ne sceleratorum contagione alii inficiantur.

26. Quæstio quinta: *Num hæreticus simplex, hoc est, non simul seditiosus, hæreses spargens, & defendere studens, sit auferendus, & capitis pœna afficiendus?*

30. Resp. *Eckius in Ench. Tit.* 27. *pag.* 147. Hæretici obstinati, inquit, aut relapsi justè per mortem è medio tolluntur. *Bellarminus lib.* 3. *de Laicis cap.* 21. Nos, inquit, breviter ostendemus, hæreticos incorrigibiles, ac præsertim relapsos, posse ac debere ab Ecclesia reiici, & à secularib. potestatibus temporalib. pœnis, atque ipsa etiã morte mulctari. Et hæc sanguinis effusio Jesuitis est res levis, & exigua. *Bellarminus lib.* 3. *de Rom. Pont. c.* 7. Dicunt quidem, inquit, hæretici, se magnam persecutionem ab Antichristo pati, quia interdum comburuntur aliqui de ipsorum numero, &c. Et praxis pontificia ad oculum illud ostendit, qua de re videatur historia Gallica, & Hispanica.

31. *Nos verò censemus Magistratus politici officium esse, ut in hæreticum simplicem, sufficienter ab Ecclesia judicatum, animadvertat, ipsum coerceat, & functione sua pellat, proscribat, ut desinat hæresin propagare, seducere, & ne amplius nocere queat; At negamus hæreticum quatenus hæreticum capitali supplicio esse afficiendum, distinguentes inter V. & N. Testamenti tempora. Illic licitum fuisse propter expressum Dei mandatum, & alias circumstantias, admittimus; Hic permissum esse negamus.*

32. Nam. 1. de Ecclesiâ N. Testamenti est prædictum, quod

quod sine cæde, & sine sanguine Ecclesia illa debeat propagari. Hæretici igitur in eâ sunt tolerandi, & non simpliciter tollendi. *Esai.*11.*v.*6.9. Habitabit lupus cum agno & pardus cum hædo accubabit: vitulus, & leo, & ovis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos. Non nocebunt, & non occident in universo monte sancto meo: quia repleta est terra scientiâ Domini, sicut aquæ maris operientes.

33. Excipit *Bellarminus lib.* 3. *de Laicis cap.* 22. *pag.* 690. Non dicit Propheta, inquiens, quòd Catholici non occident hæreticos sed potius contrà, quod hæretici non occident, & non nocebunt catholicis: Loquitur enim Propheta de leonibus, & ursis, & serpentibus, regulis, aliisque venenatis bestiis, de quibus dixerat: *Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, & in caverna* reguli mittet manum suam. His autem bestiis Diabolus, & hæretici ejus ministri significantur: ac dicit, quòd non occident, neq; nocebunt in omni Ecclesiâ: Tametsi enim hæretici videtur Ecclesiæ nocere, tamen revera non nocent, sed eam exercent, & in sapientiâ, ac patientiâ proficere faciunt.

34. Resp. 1. Nomine venenatarum bestiarum malè, imò ineptè intelligit Bellarminus hæreticos: Nã venenatarum bestiarũ cum orthodoxis prædicit Propheta totalem concordiam. At inter hæreticos, & sinceros Theologos ea neque hactenus fuit, neq; speranda est. Oportet enim esse hæreses, 1. *Cor.* 11. *v.* 19. Ergo per venenatas bestias non intelligit Propheta hæreticos. 2. Vocabulis istis Propheta depingit omnium hominum naturam, qualis ea est respectu corruptionis, & habitus malitiæ. 3. Aliud est civile regimen & aliud Ecclesiæ moderamen: Non eripit Propheta Magistratui jus gladii, quia non agit de civili regimine; Sed de Ecclesiæ moderamine. 4 Sensus igitur vaticinii illius hic est: Homines qui quondam Deo summè displicebant in N. Testamento ad cognitionem Christi adducti pacificè vivent, & à sanguine adversariorum sibi temperabunt.

35. *Secundum argumentum petimus à mandati defectu* seu negatione: In re seriâ absque manifesto mandato nihil est peragendum. Atqui de hæreticis tollendis in N. Testamento nullum habemus mandatum. Ergo. Hoc adeò verum est, ut ipse *Thomas Aqui-*

nas 2. Secund. quæst. 11. manifestam divisionis, vel accentus fallaciam commiserit cum græcum (ἀποτέμνειν) non intelligeret: Et proinde illud *Tit. 3. v. 10.* hoc modo depravarit: *Hæreticum hominem de vitâ scilicet tolle.*

36. Excipit *Bellarminus lib. 3. de Laicis cap. 22, p. 690.* Christum, inquiens, & Paulum hoc loco non præcepisse, sed nec prohibuisse, ut compellerentur hæretici: ac proinde nihil ex hoc loco deduci cum etiam Christus & Paulus nusquam jubeant adulteros, & falsarios occidi, suspendi fures comburi latrones, & tamen id fieri & rectè fieri nemo inficias eat

27. Resp. 1. Falsum hoc est effugium Bellarmini, & vana ejus sunt verba: Nam abrogatam esse legem de hæreticis tollendis in V. Testamento latam subsequenti argumento ostendemus. 2. De adulteris, falsariis, latronibus, & furibus, quæ annectuntur, nõ sunt hujus loci. Et expressam de facinorosis corporaliter puniendis habemus in N. Testamento literam, de hæreticis non item.

38. *Tertium argumentum desumimus á mandato Christi, Matt.* 13. *v.* 30. Sinite pariter crescere zizania, & triticum, usque ad messem *vers.* 29. Ne dum colligatis zizania eradicetis simul cum illis triticum. Et hanc evulsionem ad Angelos in extremum usq; diem remittere nos debere, mandat Christus, *ver.* 30. *Quos igitur relinquere jubemur, illorum occisio prohibetur. At qui hæreticos per zizania intellectos cum orthodoxis relinquere jubemur. Ergo.* Deinde, *Quod denegatur hominibus, & præcipitur Angelis, ab illo abstinebunt homines. At qui exturpatio zizaniorum, hoc est, hæreticorum, denegatur hominibus; & præcipitur Angelis.* Ergo.

39. *Inquis,* homine zizaniorum non intelligẽdos esse solos hæreticos, sed omnes homines malos, seu facinorosos, quorum, ais, prohiberi extirpationem in certo casu, & non absolute: Boni enim non conentur omnes malos ubique extirpare, & nullum omninò permittere, cum id fieri non posset sine ingenti clade bonorum: Probas. 1. ab explicatione Christi: Nam zizania interpretatur de scandalis, & de iis, qui faciunt iniquitatem: Bonum semen, ait, filii sunt regni, zizania filii nequam. At non soli hæretici faciunt iniquitatem .2. Ab appellatione agri, qui notat universum

versum mundum,& non tantum Ecclesiam. In mundo verò non tantum sunt hæretici,sed etiam flagitiosi.

40. Resp. primò, nomine *zizaniorum*, solos esse intelligendos hæreticos, probatur. 1.*à contrario semine*: Zizania enim opponuntur bono semini: Quæ igitur est ratio seminis, ea etiam respectu ἀνυπόστως est zizaniorum. At semen significat tantum verbum fidei,cum suis Doctoribus juxta regulam: *Vbicunque seminis à Christo sati in scriptura sit mentio, ibi de doctrina fidei semen illud est intelligendum.* Ergo respectu ἀνυπόστως nomine Zizaniorum intelligi debent hæreses cum suis authoribus: Opponuntur enim doctrinæ fidei, non scelera, sed hæreses. 2. *Ab absurdo*: Nam extirpatio Zizaniorum fieri non debet, nisi per ministerium Angelorum.Ergo si nomine Zizaniorum sunt intelligenda furta, & latrocinia, sequitur ea esse toleranda, & Magistratui politico gladium esse eripiendum:Zizania enim evelli prohibentur non aliqua,sed omnia. 3. *A Zizanii naturâ*: Hoc enim quoad culmen, & folia adeo est simile tritico,ut à tritico, nisi ad justam maturitatem pervenerit distingui nequeat:Idem est ingenium hæreticorum,qui ut simiæ actiones hominum, ita subdolè veros Doctores imitantur.

41. Secundò nomine *agri*, intelligitur non universus mundus, sed Ecclesia: Nam 1. *ver.*24. Non regna mundi,sed regnum cœlorum comparatur agro. 2. Christus agit non de negotiis mundanis, sed de rebus Ecclesiæ suæ. 3. Ager igitur iste dicitur *vers.* 38. mundus συνεκδοχικῶς,quia Ecclesia in mundo colligitur.

42. Tertiò: Quamvis non soli hæretici operentur iniquitatem, & præbeant scandala: Sunt tamen species sub isto genere comprehensa non postrema.

43. *Quartum argumentum suppeditat testimonium Christi, Luc.* 9.v.55.56. Samaritanos enim infideles ad petitionem discipulorũ igne de cœlo descendente exuri renuit additâ gravi correptione: *Nescitis,cujus Spiritus filii sitis: Filius hominis non venit animam perdere, sed servare.* Christus igitur noluit Samaritanos ignè cœlitus revocato à suis discipulis perdi,*eòquod discipuli essent filii sui, & quod venisset non ad perdendum,sed ad servandum.*Ergo sequitur hæreticos in N. Testamento non esse interficiendos.

44. Regerit Bellarminus duo: *Primò* latissima, inquiens, differentia est inter Samaritas illos, & hæreticos: Illi enim nunquam promiserant se Christi religionem servaturos, sed tum primùm eis offerebatur, & ideò compellendi non erant; At hæretici promiserunt, professiq; sunt, se Christi fidem servaturos, ideò meritò compelluntur. *Deinde* Jacobus, & Johannes non tam Zelo salutis animarum, quàm amore vindictæ cupiebant Samaritas comburi, & ideò meritò arguuntur, Ecclesia verò Zelo salûtis animarum, quas hæretici pervertunt, eos persequitur.

45. Resp. Ad primum Bellarmini effugium 1. Differentiam illam, quod mitius sint tractandi, quibus primùm proponitur Evangelium, quàm alii, qui illud receperunt, ignorat Scriptura. 2. Magis illi videntur compellendi, qui magis aberrant, quam qui sunt propiores. 3. Ratio, quam Christus addit, *quod videlicet venerit non ad perdendum, sed ad salvandum*, valet apud omnes populos. Ergo & ipsum mandatum. Falsum est, eos, quibus primùm Evangelium offertur, non esse compellendos; *Luc.* 14. *v.* 23. præcipit convivator famulis, ut exeant ad eos, qui ad vias, & sepes jacebant, hoc est, ad gentes, extra Ecclesiæ pomœria adhuc degentes, & ad intrandum *compellant*, quod fit non interficiendo, sed adhortando, objurgando, & voce legis terrendo.

46. Resp. ad secundum effugium. 1. Discipulos quidem intempestivo zelo, expetiisse Samaritanorum internecionem, sed propterea à Præceptore Christo graviter reprehenduntur, & de officio Christi considerando monentur, quod est non hominum interitum, sed salutem quærere. 2. Num Pontificii salutis nostræ desiderio ferro pugnent, praxis ostendit. Num eversio, est conversio? 3. Num ferrum est mediũ, quo inimico est benefaciendum?

47. *Quintum argumentum mutuamur à religionis naturâ: Tertullianus* dicit: Nõ est religionis cogere religionem, quę sponte suscipi debet, non vi. Nam voluntarium populum expetit Dominus. *Psal.* 110. *v.* 3. Fides non necessitatis, sed voluntatis res est, Ambrosius *in* 2. *Cor.* 1. Concilium igitur Toletanum. 4. Statuit, nemini ad credendum vim esse inferendam, *Stephanus Batorus Poloniæ Rex dixit*: Trra Deus sibi reservavit. Ex nihilo aliquid facere, scire futura, & dominari velle Conscientiis. *Damascenus lib.* 4. *de orth. fide cap.* 20.

*cap.*20. Bonum inquit, non sit violentum. *Erasmus* scibit non potest esse sincerum, quod coactum est, nec Christo gratum, nisi quod est voluntarium. Et experientiâ teste coactio aut fecit hypocritas, aut tumultus, persecutionesque excitavit. *Quare Domino voluntarium populum expetenti est contrarius, quicunque vult cogere. At qui in hæreticos usque ad mortem sævit, ille animos hominum vult cogere.* Ergo.

48. *Sextum à praxi veteris Ecclesiæ:* Hæc enim Arium in exilium condemnavit, sed non interfecit, *Socrates libr.* 1. *cap.* 8. Nestorium, Valentinianos & alios hæreticos proscripsit, *Nicephorus lib.* 8. *Hist. Eccl. cap.* 43.

49. *Septimum, ab utilitate hæreticorum:* His enim spatium resipiscendi est concedendum. Potest enim Dominus deceptos, & alia infirma membra reducere, & sanare, modò ne nimiâ celeritate præcidantur.

50. *Octavum à consensu Patrum piorum: Lactan: lib.* 5. *Divin. Inst cap.*20. Non est opus vi, & injuriâ inquit, quia religio cogi non potest. *Ibidem.* Sciant vel ex hoc ipso, quantum interfit inter verum & falsum, quando ipsi, cum sint eloquentes, persuadere non possunt, imperiti, ac rudes possunt: quia res ipsa, & veritas loquitur. Quid ergò sævinnt, ut stultitiam suam dum minuere volunt, augeant? Longe diversa sunt, carnificina, & Pietas: Nec potest aut veritas cum vi, aut justitiâ cum crudelitate conjungi. *Et Paulò post:* Defendenda religio est, non occidendo, sed moriendo: non sevitiâ, sed patientiâ: non scelere, sed fide: Illa enim malorũ sunt, hæc bonorum. Et necesse est, bonum in Religione versari, non malum. Nam si sanguine, si tormentis, si malo religionem defendere velis, jam non defendetur illa, sed polluetur, atque violabitur: Nihil est enim tam voluntarium: quam religio: in qua si animus sacrificantis aversus est jam sublata, jam nulla est. *Augustinus dicit Tom.* 2. *Epist.*160. *ad Apringium judicem* De vobis quidem dixisse, Apostolum legimus, quod non sine causa gladium geratis, & ministri Dei sitis, vindices in eos, qui male agunt: Sed alia causa est provinciæ, alia est Ecclesiæ: Illius terribiliter gerenda est administratio, hujus clementer commendanda est mansuetudo.

51. Hactenus veram sententiam confirmavimus; Argumenta jam quædã, quib. Pontificii opinionẽ suã probare student,

examinabimus : Adducit igitur *Bellarminus* fundamenta pro suâ opinione stabilienda primò ex V. Testamento, & quidem ex *Deut.* 13. 17. 18. ubi Pseudoprophetæ sine misericordiâ jubentur occidi.

52. Resp. 1. Legem illam fuisse non moralem, sed forensem: Nam in N. Testamento non est repetita, sed abrogata. Obligabat illum populum, cui erat peculiariter lata, qui erat non quivis, sed Israëliticus: colligitur id ex *Deut.* 13. Ubi dicitur: *Si in medio tui* surrexerit Propheta. Deinde intelligenda etiam est de paganis, qui sunt extra Ecclesiam, *Deut.* 17. *v.* 2. Num igitur Magistratus Judæos, & alios infideles interficere obligatur? Imò *Deut.* 18. legimus: *Quicunq; superbierit* nolens obedire Sacerdotis Imperio, ex sententia Judicis moriatur. est igitur generalis non tantum ad hæreticos, sed ad alios immorigeros referenda. Num igitur omnes, qui Sacerdotis verbo non sunt obedientes, in N. Testamento sunt occidendi? 2. Seu distinguimus inter generale & speciale. Generale est hæreticos esse puniendos, idque in N. Testamento etiam debet observari; Speciale erat in V. Testamento de modo pœnæ capitalis, cujus rationem reddit Dn. *D. Balduinus in suâ nervosâ disput. de hæresi.* à triplici circumstantiâ personarum, temporum, & locorum. *A Personarum respectu*, quia aguntistæ leges de illo populo, quem potenti manu eduxerat Deus ex Ægypto. Gravius igitur supplicium dictabat non cuivis Pseudoprophetæ, sed surgenti *è medio* hujus populi, *Deut.* 13. *v.* 1. Et quidem propterea, ne populo in factiones distracto, & gentibus mixto dubia redderetur Messiæ præsentia, qui ex illo popnlo, & ex illa regione expectabatur. *A ratione temporis.* Nuper enim admodum hunc sibi populum in peculium Deus elégerat, suumq; favorem multiplicibus signis declaraverat. Horum tàm citò memoriam deponere, morte piandum divinitus existimabatur. *A respectu loci.* Erat enim regio chananæa quasi Dei domicilium. Locum igitur illum Deus peculiariter sanctum esse voluit: Ac proinde pro justissimâ suâ voluntate leges strictiores populo illi præscripsit.

53: *Secundum fundamentum petit Sciopius ex illo Zach. cap. 13. v.* 2. Nam vaticinium de Ecclesia N. Testamenti his traditur verbis: Erit in die illa, dicit Dominus exercituum, disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur ultra: Et Pseudoprophetas, & Spiritum immundum auferam de terrâ: Et erit, cum

prophetaverit quispiam ultrà, dicent ei, pater ejus,& mater ejus, qui genuerunt eum,non vives: quia mendacium locutus es in nomine Dei: Et configent eum Pater ejus & mater ejus.

54. Resp.1.Idololatræ possunt configi, vel confundi, etiamsi non igni,vel ferro perimantur.2.Prophetarem N. Testamẽti phrasibus suo populo usitatis exprimit, ut & *Zach.6.v.15.c.14.v.16.Joël cap.2.v.29.* 3.Sensus igitur vaticinii est, post unam, vel alteram admonitionem Pseudoprophetas devitabunt,cavebunt,& gladio spiritus jugulabunt.

55. *Tertium fundamentum petunt Pontificii ab exemplis virorum Illustrium à Spiritu S.laudatorum*,ut Mosis *Exo.32.v.27.* Asæ,*2.Par.15 v.13.* Jehu,*2.Reg.10.v.1.* Eliæ,*1.Reg.18.v.4.*

56. Resp.1. Qualia fuerunt præcepta, talia etiam fuerunt exempla, nimirum Mosaica,temporaria,isti Reipub. peculiaria.2. sunt in istis quædam extraordinaria, & heroica,quæ in exemplum non sunt trahenda.

57. *Quartum ex Matt.18.v.16.* Ubi Ecclesiæ dicitur, sit tibi velut Ethnicus,& pũblicanus. Et ex *Rom.13.v.4.* Ubi de magistratu dicitur,quod non sine causâ gladium portet. Inde colligit Bellarminus,hæreticos ab Ecclesiâ posse abscindi.

58. Resp.1.Matt.18.loquitur Christus de fratre in nos peccante.At hæreticus non est frater,sed hostis. 2.Non agit de hæresi, sed de privatis offensis.3.Pœnam,quam ipsis adjudicat,non est capitalis.sed excommunicatio.4. *Rom.13.* Agitur in genere de iis, in quos jus gladii habet Magistratus.5.Non statim verò illi sunt è medio tollendi: Nam habet illud etiam in avaros contentiosos, &c. Num igitur & hi gladio sunt tollendi? *6.* Jure gladii utitur etiã Magistratus animadvertens in hæreticos carcere,& proscriptione.

59. *Quintum à comparatis*:Nam comparãtur iis rebus, quæ sine controversia ferro,& igne repelluntur,ut *Matt.7.v.15.Act.20.v.* 15.Lupis, *Joh.10.v.8.* furibus &latronibus.*2.Tim.2.v.17.* Gangrænæ, seu Cancro.

60. R.1. Johann *Matt.3.v.7.* comparat Pharisæos viperis. Verum non jubet eos occidi,sed cõverti.2. Tyrannus,& morosus Paterfamilias vulpibus, lupis, leonib. *Luc.13.v.32. Ezec.22.v.27. Soph.* *3.v.1.Zach.11.v.3. 2.Tim.4.v.15.* cõparantur.Nũ igitur illi à subditis,

& ser-

& servis suis sunt interficiendi? 3. Hæretici comparantur lupis, non quod similiter sint tractandi, sed ob similem naturam & indolem.

61. *Sextum ab exemplis N. Testamenti:* Nam Christus nummularios é templo ejecit, *Joh.* 2. Petrus Ananiam & Saphiram interfecit *Act.* 5. Paulus Elymam Magum excœcavit. *Act.* 13.

62. Resp. 1. Exempla à proposito sunt aliena. 2. Nam sunt diversa. 1. *Ratione personarum*: Quæstio enim enim est de Magistratu; Exempla illa agunt de Christo, & Apostolis. 2. *Ratione causarum:* Non enim propter hæresin sunt puniti, sed ob fraudem, Magiam, artem nummulariam, quam in templo exercebant. 3. *Ratione instrumentorum*: Nam Apostoli egerunt verbo, Christus flagello; Pontificii igne, & ferro. 4. *Ratione factorum:* Nam aliud est excœcatio, & ejectio, & aliud combustio. Deinde non sine injuria tribuitur cædes illa Petro, quippe qui neque verbis, neque manibus, neque ullis imprecationibus mortis illius repentinæ est author; sed Dei occulta vindicta reos percutit.

FINIS DISPVTATIONIS XIX.

DE PAPISMO

DISPVTATIO XX.

Et quidem in ſpecie

DE

HÆRETICORUM LIBRIS, FIDE ILlis datâ ſervandâ, & de pace Religionis

In qua

Chriſto Duce & auſpice Chriſto

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS GISENII,
SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS,
ET ORDINARII IN INCLYta Academiâ Giſſenâ Profeſſoris,

RESPONDEBIT

JOHANNES ADAMUS Roßbecher Spirâ-Nemetanus.

In Auditorio Theologico ad diem 11. *Martii horis antemeridianis & pomeridianis.*

GIESSÆ,
Typis exſcribebat Caſparus Chemlinus.

M. DC XVIII.

VIRIS CONSULIBUS

Magnificis, Ampliſſimis, Theologis & Jureconſultis, Reverendis Clariſſimis

Dn. JACOBO AMANDO Rommerſch Inclutæ & Liberæ Imperialis Reipublicæ Conſuli graviſſimo, ſpectatiſſimo

Dn. GEORGIO Hütterott/Proconſuli ejuſdem Civitatis honoratiſſimo

Dn. CONRADO FABRI } U.J. Dd. eximiis & Imperialis
Dn. PHILIPPO ECKARDO } JUDICI ſummi in Nobili Spira Procuratoribus, & Advocatis Excellentiſſimis, bene meritiſſimis

Dn. M. NICOLAO PHRYSIO } Illi ſeniori. Utrique gre-
Dn. M. JOHANNI LEUSLERO } gis Dominici qui piè ibidem Chriſto colligitur Ductori & Doctori orthodoxo

Dn. M. HENRICO HIRTZWIGIO Scholæ Mœno-Francofurtanæ Rectori fideliſſimo Laudatiſſimo.

Dn. Dn: Favitoribus, Patronis, Præceptori olim, & reſpectivi Adfinibus quos ſingulos ſtudii hortatores mens & animus efflictim ſuſpicit ac veneratur ἄσκημα hoc Theologicum

Ad ſui commendationem honore pio more antiquo ſubmiſſe

Offert ac Inſcribit

JOHANNES ADAMUS Roßbecher Spirâ-Nemetanus.

DISPUTATIO VIGESIMA
DE HÆRETICORUM LIBRIS, FIDE illis datâ ſervandâ, & de pace Religionis

THESIS I.

HÆreticos ſimplices, & non ſimul ſeditioſos, ferendos, & non auferendos eſſe in præcedente Diſputatione evicimus. Reſtant igitur quæſtiones de ipſorum libris, de fide eis datâ & ſervandâ, atque de pace Religionis, de quibus ſententiam noſtram exponemus & conferendi occaſionem exhibemus.

2. Quæſtio prima: *An libri hæreticorum ſint ſimpliciter abolendi?*

3. Reſp. Libri alii notoriè ſunt blaſphemi, alii famoſi, alii magici, alii errorib. conſperſi, & deniq; alii opinione Pontificiorũ dicũtur hæretici: Libros notoriè blaſphemos, famoſos & magicos pius Magiſtratus ſummo jure prohibere tenetur, imò per vim eos abolere poteſt; At librorum erroribus quibuſdam conſperſorum, non facile quidem niſi in fide bene confirmatis lectio eſt concedenda; Sed non ſunt ſimpliciter abolendi, multò minus libri ex ipſo Dei verbo de religione diſſerentes, & propterea opinione Põtificiorum hæretici, ſunt comburendi, nec eorum lectio literatis, & doctis eſt interdicenda.

4. Nam 1. Quo injuſtè tollitur & ſupprimitur libertas Chriſtiana *omnia probandi*, illud meritò improbant pii, & fideles, 1. *Theſſ.* 5. *v.* 20. 21. 22. Prophetias ne ſpernemini. Omnia probate, quod bonum eſt tenete. Ab omni ſpecie malâ abſtinete. 1. *Joh.* 4. *v.* 1. Ne cuivis Spiritui credatis, ſed probate Spiritus, an ex Deo ſint. Atqui libertas hæc, facto illo pontificio, quo indifferenter quoſvis libros Papatui oppoſitos abolent, vel de jure interdici ſcribunt, ſupprimitur: Num enim ignis probare poteſt? Ergo.

5. 2. Nullus eſt Patrum, qui ſit per omnia abſq; errore, imò multi hæreſes ſpargunt. Ergo ſi propter errores, qui ſæpe ſunt

insperſi, comburendi eſſent libri, nullius Patris ſcripta eſſent amplius ferenda. *Hieronymus in Epiſt. ad Theoph.* Scio me aliter habere Apoſtolos: aliter alios tractatores: Illos fecimus vera dicere, iſtos in quibuſdam, ut homines aberrare. *Auguſtinus Epiſt.* 111. Multa inveniuntur in Patribus, quæ ſalvâ honorificentiâ, quæ illis hominibus debetur, repudiari queunt. *Anshelmus in commen. in* 2. *Ep. ad Corinth.* In libris ſanctorum doctorum, quos authenticè legit Eccleſia nonnunquam inveniuntur prava, vel hæretica non tamen pro his vel libri, vel authores damnantur *Jer.* 9. *v.* 14. Abierunt poſt Baalim, quod didicerunt à Patribus ſuis. *Gal.* 1. *v.* 13. 14. dicit Apoſtolus: Perſequebar Eccleſiam ſtudioſus paternarum traditionum. *Hieronymus l. contra Helvidium.* Rhetoricati ſumus, inque morem declamatorum paulum luſimus. *Auguſtinus in Epiſt. ad Marcellinum.* Vos, quibus multum diligitis, ſi talem me aſſeritis adverſus eos, quorum malitiâ, vel imperitiâ, vel intelligentiâ reprehendor, ut me nuſquam ſcriptorum meorum erraſſe dicatis, fruſtra laboratis: non bonam cauſam ſuſcepiſtis: facile in ea etiam me ipſo judice ſuperamini. Quoniam non mihi placet, cum à chariſſimis meis talis eſſe exiſtimor, qualis non ſum. Profectò enim non me, ſed pro me alium ſub meo nomine diligunt, ſi non quod ſum, ſed quod non ſum diligunt. Irenæus fuit Chiliaſta: Tertullianus Montaniſta: Cyprianus ab hæreticis baptizatos rebaptizandos cenſuit: Hieronymus ſecundas nuptias damnavit.

6. 3. Omnium etiam Ethnicorum libri eſſent comburendi: Siquidem in his à fide aliena proponuntur: Dii alieni agnoſcuntur: Muſæ invocantur.

7. 4. In hæreticorum libris talia ſæpe occurrunt, ex quibus ipſæ hæreſes poſſunt refutari experientia teſte *Thomas* 4. *Sentent. diſt.* 13. Eccleſia, inquit, utitur hæreticis ad probationem doctrinæ ſuæ. Ergo non ſimpliciter ſunt comburendi.

8. 5. Multa ſæpe utilia ſunt admixta malis. *Auguſtinus lib.* 3. *de Doct. Chriſt. cap.* 30. *Hæretici ſi quid bene dixerunt, legendi, ſed cauté.* Ergo non ſimpliciter ſunt igni deſtinandi, quippe qui talem diſtinctionem non curat.

9. 6. Utile eſt propter hiſtoricam relationem ſcire quid quovis

quovis seculo sit actum. Non statim igitur quorumvis hæreticorum libri sunt abolendi.

10. *Contrà Bellarminus l.3.de Laic. cap.20.Breviter,inquit,ostendemus, libros hæreticorum jure interdici, & exuri. Provocat primò ad antiquam consuetudinem,& quidem Ethnicorum.*

11. Resp.1. Argumentum religionis ab Ethnicis petitum, ethnicam arguit religionem. 2. Num Ethnici ita insanire potuerunt,ut insaniverunt Monachi Augustani anno Christi 1548.sacra biblia Laicis eripientes,& in ignem abjicientes?

12. *Secundò ad consuetudinem Christianorum:Refert enim Lucas Act.19.v.19.Multos ab Apostolis conversos libros curiosos, & vanos contulisse,& combussisse coram omnibus.*

13. Resp. 1. Libri illi pleni fuerunt artibus magicis, & habuerunt otiosas curiositates,nullas solidas utilitates,innuit id primo nomen græcum, ἔφεσον Secundò Ephesii divinationibus,& incantationibus erant dediti, quod innuit proverbium, *Ephesiæ literæ.* Hujusmodi libros abolendos esse asserimus. 2. Libros illos combusserunt non Apostoli, nec alii Apostolorum jussu, sed illi ipsi,in quorum erant potestate ad fidem suam testificandam,& ad præcidendam inter istum populum in ejusmodi curiosis in posterum delinquendi ansam.

14. *Tertiò,non omnes,ait, Bellarminus extare veterum hæreticorum libros.Infert igitur eos esse combustos.*

15. Resp.1.Non negamus apertè blasphemos libros à Magistratu prohibendos & abolendos esse. 2.Quod non omnia hæreticorum extent volumina in causa non statim est combustio, sed quod nemo sumptus facere voluit in iis recudendis. 3. Johannis Hussii secundum Pontificios insignis hæretici,extant libri Noribergæ recusi.

16. *Deniq; dicit Bellarminus: Colloquia hæreticorum sunt periculosissima, & ideò diligenter vitanda. Ergo multò magis libri sunt noxii. & pestilentes,ac vitandi.*

17. Resp.Quemadmodum libri, ita & colloquia hæreticorum sunt periculosa illis, qui nondum sufficienter sunt confirmati,ut omnia possint probare, quod bonum tenere. Hi igitur nõ facile ad colloquia, & hæreticorum librorum lectionem sunt

admittendi. Exercitatis verò, & in fide confirmatis periculosa non sunt.

18. Quæstio secunda. *Num Pontificii hæreticis fidem datam esse servandam doceant, & num eam servent?*

19. Resp. Scribit *Becanus Tom. 2. De fide Hæret. serv. pag. 4. Est hîc quæstio; An in promissis, pactis, & conventis servanda sit fides hæreticis? Catholici constanter docent servandam esse. Idem pag. 35.* Tametsi, cum hæreticis non facile paciscendum sit, nihilominus tamen, si cum illis pactum, aut fœdus iniviſti (siquidem nihil aliud obstat, quam hæresis) debes integrè, & sincerè fidem illis servare, non minus quam Catholicis. Et *pag. 61.* Quæstio est *an quando Catholicus Princeps sive secularis sit, sive Ecclesiasticus, concedit salvum conductum liberè veniendi, & redeundi (sive id faciat jure communi, sive speciali) debeat illis servare fidem nec ne? Affirmant uno consensu omnes Catholici.* Et *denique pag. 62.* Privatim, publicè; verbo, calamo docemus, & protestamur, *fidem servandam esse hæreticis*; & tamen in contrariam sententiam, vel invitos nos habere volunt.

20. Verùm Protestatio hæc *Becani* contrariatur publicis Pontificiorum Decretis, contrariatur ipsi facto, contrariatur ipsi Becano, vel saltem est captiosa.

21. Contrariatur publicis decretis. Missis jam aliis, ad Concilium Constantiense remittimus, cujus verba sess. 19. hæc sunt: *Præsens sancta Synodus ex quovis salvo conductu per Imperatorem, Reges, & alios seculi Principes, hæreticos, vel hæresi diffamatis, concesso, nullum fidei Catholicæ vel jurisdictioni Eccl. siasticæ præjudicium generari, vel impedimentum præstari posse seu debere, declarat, quò minus dicto salvo conductu non obstante, liceat judici competenti, & Ecclesiastica de* hujusmodi *personarum erroribus inquirere, & contra eos* debite procedere, eosdemque punire, quantum justitia suadebit, si suos errores revocare pertinaciter recusaverint etiamsi de salvo conductu confisi, ad locum venerint judicii, aliás non venturi: nec sic promittentem, cum alias fecerit, quod in ipso est, ex hoc in aliquo remansisse obligatum.

22. Excipit *Becanus pag. 67. 68.* dupliciter. 1. secularis potestas nullo modo potest impedire Ecclesiasticam à suo exercitio.

Si quis

Si quis igitur secularis princeps det salvum conductum hæretico, hoc non debet obstare, quò minus liceat Ecclesiastico judici suum officium exercercere. 2. Princeps promittit plus quam in ipsius est potestate. Qui autem promittit securitatem, non censetur majorem promittere, quàm præstare possit

23. Resp. 1. Dominatus personis Ecclesiasticis denegatur: Nam Reges gentium, dicit Christus dominantur, vos non sic Num igitur in dominatu præferri possunt Imperatoribus & Regibus, qui illis non competit? 2. Magistratus politicus utriusque Decalogi tabulæ constitutus est custos, & defensor, idque agnoscit *Bellarminus lib. 3. de Laicis cap.* 18. Quo igitur jure Papa sese ipsi præfert? 3 Annon potestati magistratus, Imperatoris, & Regum subjecti tenentur esse Ecclesiastici, cui omnis debet esse subjecta anima, *Rom.* 13. *v.* 1? 4. Num igitur salvâ conscientiâ eorum fidem datam possunt convellere? 5. Num ipsi subditos ad rebellionem debent excitare?

24. Deinde contrariatur ipsi Pontificiorum facto: Nam M. *Johannem Hussum in concilio constantiensi* anno Christi 1415. Sess. 15. contra datam fidem condemnarunt, & quidem his verbis: *Sacro sancta synodus Constantiensis per hanc definitivam sententiam, quam profert in his scriptis pronunciat, decernit, & declarat, Johannem Huß fuisse, & esse verum manifestum hæreticum, &c. & tanquam hæreticum judicandum & condemnandum fore judicat, & condemnat per præsentes &c. eumq; ab ordine sacerdotali, & aliis ordinibus, quibus existit insignitus, deponendum, degradandumq; fore declarat, & decernit, &c.* Hæc sancta synodus Johannem Huß, *attento, quod Ecclesia Dei non habeat, ultra quid agere valeat, judicio seculari relinquere, & ipsum curiæ seculari relinquendum decernit.* Hussus proinde etiam cum nondum auditus esset damnatus comburitur idem. De Hieronymo Pragense perhibet concilium Sess. XIX. quod die XXIII. doctrinam Johannis Hussi, quam cum ipso communem habuit, publicâ palinodiâ damnarit; Sed fabula hæc fide dignis historicis est contraria. Platina scriptor pontificius dicit. *Duo ex sectatoribus hæresis Johannis Vigiephi Constantiæ combusti sunt, Johannes Huß, & Hieronymus de Praga, ejus discipulus* TANQUAM HÆRESIARCHA. Nauclerus generatione 48. scribit: *Hieronymus diu post (supplicium Hußi) in vinculis habitus cum resipi-*

resipiscere nollet, pari supplicio affectus Æneas Sylvius ait: *Johannes combustus est prior: Hieronymus postea in vinculis habitus, cum resipiscere nollet pari supplicio adfectus. Pertulerunt ambo constanti animo necem, & quasi ad epulas invitati, ad incendium properarunt, nullam emittentes vocem, quæ miseri animi posset facere indicium. Vbi ardere cæperunt, hymnum cecinêre, cujus initium: Ave vivens hostia, veritas, & vita, &c. quem vix flamma, & fragor ignis intercipere potuit. Nemo Philosophorum tam forti animo mortem pertulisse traditur, quam isti incendium: Cineres exustorum ne raperentur à Boëmis, in lacum projecti. Discipuli eorum ex eo solo terram abstulere, in quo ignis fuit, eamq; veluti sacram secum attulere in patriam.*

25. *Oggerit Becanus pag. 62. Patres concilii Constantiensis fidem Hussio non dedisse* Resp. Annon caput imperii Sigismundus Imperator fidem illi dedit? annon ejus est salvo conductu statuere? annon quod Monarcha promisit, ratum est habendum?

26. *Inquis Imperator dedit quidem, sed non violavit.* Resp. 1. Num Monachus irritum reddere potest, & debet id quod ipse Imperator ratum habet? Num membrum præjudicabit capiti? Num Monachorum est de salvo conductu statuere? Num Apostolus Paulus provocavit ad cathedram Petri? Annon ad Festi?

27. *Pergis, Nec Patres, inquiens, fidem violarunt: Nam Imperator dedit Johanni Hussio salvum conductum jure communi: Ergo nihil aliud dedit, quam securitatem contra violentiam injustam. Hanc autem præstitit quia nihil injustè passus est.*

28. Resp. 1. Docte Becane, quò laberis, aliquem contra datam ab ipso Imperii capite fidem comburere, hoccine est injuriâ afficere, & justitiæ leges transire? Num ita promissa sunt servanda? 2. In te abi, & attende quid sit salvus conductus. 3. Ne dixeris, ipsum nihil injustè passum, quia hæresin noluit abjurare: Nam hæc ipsa est quæstio, *an hæretico hæresin abjurare respuenti fides data sit servanda?* Tu servandam esse asseris. Quo igitur candore Johannem Hussium nihil coatra datam fidem passum esse scribis?

29. Denique provocas ad fugam sub pœna capitis illi prohibitam Resp. 1. A regia viâ, qui aberrat, ad varia diverticula deviat, & ubi subsistere debeat non invenit. 2. Ne verbo meminit decretum fugæ, ob quam sit damnatus sed solius hæreseos. 3. Quæsum ipsi fides erat data?

30. Quod

30. Quod de Hieronymo dicit Becanus, quasi hæresin abjurarit, figmentum est, cui omnes candidi contradicunt Historici.

31. Denique Becanus sibi ipsi est contrarius, quod sic ostendo: *Vnius, respectu ejusdem, affirmatio, & negatio est contradictio. Atqui hæreticis fidem abnegare respuentibus fidem dare, & eā non servare propterea, quod eam abjurare recusent est ejusdem affirmatio, & negatio. Ergo.* pag.137. scribit Becanus: *Is legitimè damnari potest, non obstante salvo conductu, qui legitimè convincitur de hæresi, quam abjurare non vult, quia salvus conductus, qui communi jure datur, non impedit justitiam, & juris executionem Hussius fuit legitimè convictus de hæresi, quam abjurare noluit: Ergo Hussius potuit legitimè damnari non obstante, salvo conductu.* Ex hisce quilibet, nisi planè cœcus videt, à Becano idem affirmari, quod in Concilio Constantiensi est decretum hæreticis fidem datam non esse servandam, Protestationem ejus esse contrariam facto, & Becanum sibi esse contrarium quod erat ostendendum.

32. Quæstio tertia: *An hæreticis fides data sit servanda?*

33. Resp.1. Quod licitè datur, illicitè frangitur, & non servatur. Atqui hæreticis fides licitè datur, pactum cum iis licitè initur, etiam secundum Pontificios. Ergo.

43. 2. Ad quod servandum nos obligat veritas, fidelitas, Justitia, & Religio ad illud frangendum solicitare nos nō potest hujus vel illius malitia. Atqui ad fidē malitiosis datam servandā virtutes illæ nos obligant. Ergo. Imò charitas nos obligat, *Matt.5.v.44. Ego dico vobis: Diligite inimicos vestros, ut sitis filii Patri vestri, qui in cœlis est, qui facit solem suum oriri super bonos, & malos.* Quidni igitur, etiam magis veritas, fidelitas, justitia, & religio nos obligaret?

35. 3. Quod suâ naturâ, imò etiam per se est illicitum, illud nullo prætextu reddi potest bonum & licitum. Atqui mendacium, perjurium, fidei abnegatio, alterius juris violatio, per se & ex sua natura sunt mala, & illicita. Ergo nullo prætextu possunt fieri bona & licita. Ubicunque igitur fidem licitè datam fregeris, sive apud hæreticos, sive apud politicos, rectè mendacii, & perjurii argueris, si modo te ita obstrinxeris.

36. 4. Fideles igitur fœdus ineuntes cum paganis, gentilibus, & idololatricis & ſtudioſè fidem datam ſervantes laudem & præmium habent; contra qui eam fregerunt, graviſſimè ſunt puniti. Ergo pariter imò magis fideles hæreticis fidem datam ſervare debent: Non enim deterioris ſunt conditionis hac in re hæretici, quam pagani, imò hi magis à veritate abſunt, quam illi. Antecedens probatur: Nam Joſua, & alii Principes Gibeonitis fidem datam *Joſu. 9. v. 15.* ita religioſè obſervarunt ut etiamſi ab iis decepti eſſent, contra vicinos hoſtes illos defenderint, atque ea defenſio miraculo, confirmata ſit, *Joſ. 10. verſ. 13.* Contra Saul in ſuis poſteris graviter eò quod fidem violaſſet, punitus eſt. *2. Sam. 21. verſ. 1.* Simeon & Levi, filii Jacob pactum ineũtes eum Sichemitis, illudque frangentes meritò à parente audiunt *Gen. 49. verſ. 5. 6. 7. Simeon, & Levi fratres: vaſa iniquitatis bellantia. In conſilium eorum anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria mea: quia in furore occiderunt virum & in voluntate ſuâ ſuffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax* & indignatio eorum, quia dura.

37. 5. Quare rectè dixit Ambroſius 2. de off. *Fides etiam perfidis præſtanda eſt:* Idque approbat pontificius *Lipſius lib. 2. polit. c. 14.* Carol. V. Imper. cum D. Martino Luthero fidem, & ſalvum cõductum Wormatiam eundi promiſiſſet, & à quibuſdam ut homini hæretico fidem violaret ſolicitatus, reſpondiſſe dicitur: *Fidem rerum promiſſarum, etiamſi toto orbe exularet, tamen apud Imperatorem conſiſtere oportere.*

38. *Obiciis, qui fidem, inquiens, non ſervat Deo, ei nec fides ſervari debet. Atqui hæreticus fidem non ſervat Deo ergo.*

39. Reſp. 1. Confunditur fides theologica cum politica: Major loquitur de fide theologica; Minor de fide in civilibus data. 2. Cui quis fidem violavit, ille ipſe non tenetur eidem fidem ſervare, juxta illud: *Frangenti fidem, fides frangatur eidem.*

40. Quæſtio quarta: *An diverſæ religiones in uno imperio, & una Repub. tolerari poſſint?*

41. Reſp. Quæſtio hæc referenda eſt partim ad politicos, partim ad Theologos: Nam ab illis quæritur, an ſalva Repub. formâ, hoc eſt, ſalvo conſenſu & concordia duplex Religionis exercitium

citium in uno imperio, Regno, civitate ferri possit; Ab his, an à Magistratu tolerari possit salvâ conscientiâ.

42. *Lipsius lib. 4. Polit. cap. 3.* Firmiter, inquit, hæc nostra est sententia, unam religionem in uno regno servari *Bellarminus libr. 3. de Laicis cap. 18.* Libertas credendi, ait, pernicioſa est illis ipsis, quibus conceditur. Nam libertas credendi nihil aliud est, quam libertas errandi, & errandi in re omnium periculosissima: Nam fides vera non est nisi una, *Eph. 4. una fides.* Ergo libertas ab ista una fide recedendi est libertas in errorum barathrum ruendi. Idem habet Melchior Glôselius in scripto quodam Germ. de hac ipsa quæstione.

43. Verùm in Comitiis Augustanis anno 1555. de duplici religionis exercitio Evangelicorum, & Pontificiorum in imperio ferendo hæc leguntur verba: **Vnd soll also hier mit ein beſtändiger/beharrlicher/vnbedingter/für vñ für ewigwerender Friede auffgericht/vnd beſchloſſen ſein vnd bleiben/ſolches alles vnd jedes bey Keyſerlichen vnd Königlichē Würden vñ Worten/bey Fürſtlichen Ehren vnd Würden/in rechten guten Trewen vnd im Wort der Warheit/auch bey trewen/vnd im wort der Warheit/auch bey Trewen vnd Glauben für vns vnd vnſere Nachkommen vnd Erben feſt/ſtäht/auffgericht vnd vnverbrüchlich zu halten/&c.**

45. Existimamus verò ex legitimo status informatione quæstionem ipsam cognosci, & pleraq; adversariorum argumenta refutari. *Non igitur quæritur primò de duarum religionum veritate.* Nam unum corpus & unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma Eph. 4. v. 4. 5. Religio igitur non nisi una potest esse vera.

46. *Secundò, nec quæritur de duarum illarum religionum approbatione,* nempe num Magistratus utramq; religionem simul possit approbare? Unica tantum est salutis via. Ergo Magistratus duas religiones contrarias approbare nequit. Propheta Elias dicit, usque quò claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus vester, sequimini illum. Si autem Baal, sequimini eum. Et Apostolus Paulus, quæ cõmunio, inquit, Christi & Belial, aut quæ fidelis cũ infi-

deli participatio. Filius Dei dicit, *Apoc. 3. vers. 16.* Quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.

47. Tertiò, *neq; quæstio est est de duplicis religionis exercitii introductione, ut nec de arbitraria dispensatione, & judiciaria in rebus divinis dispositione:* Nulli enim hominum permissum est contra verbum Dei aliquid statuere, cum ne quidem ulli permissum sit ipsi aliquid addere, vel detrahere, *Deut. 4. v. 2. cap. 12. v. 32.* cumque scriptura sacra sit regula, & canon omnis divinæ veritatis, *Gal. 6. v. 16. 1. Tim. 6. v. 3.* Itaque qui non dixerit secundum verbum hoc, non erit ei matutina lux, *Esa. 8. v. 20.* Jam verò scriptura sacra non præcepit, ut duæ religiones, in unâ sint, & vigeant Repub. Ergo nec Magistratus salvâ conscientiâ id præcipere potest. Paululum fermenti totam massam inficit, *1. Cor. 5. v. 6.* Utique igitur vel minima falsæ doctrinæ sive religionis cum vera mixtio, ac confusio totius Religionis certissimam corruptionem secum trahit. Hanc causam fuisse sentiunt alii, quod Deus ipse, certam politiæ Ecclesiasticæ formam populo suo præscripturus, talem Syncretismum severissimè interdixerit, præcipiens ei, ne species animantium, & semina miscerent, ne in bove & asino simul ararent, ne vestem gestarent ex lino, & lanâ contextam, *Levit. 19. v. 19. Deut. 22. v. 10.* Quare & alii graviter peccant, qui lucri causa in suam Rempub. multiplex Religionis exercitium indroducunt.

78. Quartò, *neq; quæritur simpliciter de quovis tempore;* Sed quæstio tantùm est de duarum Religionum permissione, & quidem eo tempore, quando Magistratus summus alii Religioni est addictus, & alii ordines seu status regionis una cum plebe, ita ut quælibet pars pro sese scripturam alleget. De ejusmodi tempore quæritur, *utrum Magistratus summus alteram partem armatâ manu debeat oppugnare, etiamsi periculum sit, ne totam Rempub. evertat; An verò publicæ pacis causa, si animi dissentientium aliter conciliari nequeant, utriq; possit parti publicum religionis exercitium salva conscientiâ permittere?*

79. Posteriorem quæstionis partem tuentur Protestantes eamque confirmant 1. *à praxi divinâ.* Quodcunque enim Deus permittit, illud Princeps seu Pius Magistratus, Salvâ conscientiâ permit-

permittere & tolerare potest. Atque Deus, approbat quidem non nisi unam religionem: Sed permittit plures. *Matt.* 13. *v.* 30. *finite crescere triticum & zizania usq; ad tempora Messis Esa.* 11. *v.* 6. *Habitabit lupus cum agno & pardus Hædo accubabit. Et v.* 9. *Non nocebunt & non occident in universo monte sancto meo.* Item *Matt.* 13. *v.* 47. Simile est regnum cælorum Sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti bonorum & malorum. Mali penes ripam, hoc est, in fine mundi abiicientur. Ergo pius Princeps, licet non nisi unam possit approbare religionem, salvâ tamen conscientia potest permittere plures, si aliter Respub. laboranis sanari non potest.

80. 2. *Ab exemplis piorum regum V. Testamenti Pii* enim reges V. Testamenti ob pietatem plurimum nobis commendati, & ad imitandum propositi, sæpe conservandæ pacis ergó plures religiones in suis imperiis Salvâ Conscientia tolerarunt. Ergo ob eundem finem & in simili casu pii reges N. T. idem permittere possunt, cum ratio disparitatis sit nulla. Christus enim non venit mittere pacem in terram sed gladium *Matt.* 10. *v.* 34. Itaque Christi adventu non sublatæ sunt hæreses. Imò oportet esse hæreses dicit Apostolus.

81. Antecedens probatur exemplo Davidis de quo legitur. 2. *Samuel.* 8. Quod Rex fuerit non tantum Israelitarum, cũ quibus cõmune habuit Religionis exercitium, sed etiam Philistinorum, Moabitarum Ammonitarũ & aliorum populorum, quos in religione habuit á se dissentientes; Verum ad suam religionem eos non coegit; sed unicuique suum religionis exercitium permisit, jnstitiam administravit, tributumque justum ab eis exegit. Idem legitur de Salomone 1. *Reg.* 4. *Nabuchodonosore Dan.* 3. de Cyro, *Esdræ* 1. De Dario, *Dan.* 6. Imò Asa, Josaphat, Joas, Amasias celebrantur in scriptura Reges pii cum fecerint quod Deo placuit, non minus ac pater ipsorum David: Populus verò ipsorum tempore in Excelsis sacrificavit contra expressum verbum: Siquidem Deus Israelitis severè mandaverat, sacrificare non nisi in templo aut apud tabernaculum Domini, *Deut.* 12. *v.* 15. 2. *Paralipom.* 7. *v.* 11. Modus verò ille sacrificandi in excelsis est observatus usq; ad tempora Hiskiæ 2. *Reg.* 18. *v.* 4. Hic enim dissipavit excelsa & contrivit

ſtatuas: Reliqui reges, quod commodè mutare non potuerunt, tolerarunt.

82. *A convenientiâ Decalogi tabulâ primâ & ſecundâ:* tabula enim ſecunda eſt ſimilis tabulæ primæ. *Matth.22.v.39.* Ergò ſicut prima tabula ſeu religio armis non eſt propaganda, ita nec pax Politica eſt turbanda. Ergò diverſarum religionum exercitium ſubditis inter ſe de religione diſſentientibus, ſi aliter Conciliari nequeant, & ſalus Reipublic. in ipſius permiſſione conſiſtat, eſt tolerandum: Sicut enim Haman nihil efficiebat perſuaſurus Ahaſſuero, ut omnes Judæos interficiendos curaret: Sic enim futurum ut una religio floreret: Ita nec quicquam efficient Pontificii, gladio ſuam religionem propagare conantes.

83. *Ab efficacia verbi:* Libero enim religionis exercitio in ejuſmodi caſu conceſſo, dubium erit nullum, quin facile *over* errantes in viam poſſint reduci, modò eruditi Theologi & animarum Paſtores à Magiſtratu conſtituantur, qui ſincerè, & purè verbum Dei proponant: Deus enim non permittet Verbum ſuum ad ſe redire vacuum. Quare ſi hac in re Pontificii juſtam habeant cauſam, cur potius ſuis viribus, quam Deo confidunt.

84. *Ab incommodo.* Teſtatur enim experientia, quod ubi liberum religionis exercitium in ejuſmodi caſu non fuit conceſſum, non niſi ſeditiones fuerint excitatæ & perpetuum geſtum ſit bellum, donec utriuſque partis vires imminutæ, imperia everſa, Juriſdictio amiſſa, & pietas fuit ſublata. Quare ex duobus malis minus eſt eligendum, & quod commodè mutari non poteſt connivendo eſt tolerandum.

85. *6. Hieronymus ſuper Matth.13.* Monemur, inquit, ne citò amputemus fratrem: quia fieri poteſt, ut ille, qui hodie noxio depravatus eſt dogmate, cras reſipiſcat, & defendere incipiat veritatem. *Auguſtinus contra Donatiſt.20.* Toleramus, quæ nolumus, ut perveniamus, quò volumus. *Idem Epiſt.123.* Corrigi hæreticos cupimus. non necari. *Bernhardus in Cantica:* Suadenda, non imperanda eſt fides. Nam *Auguſtinus dicit Epiſt.65.* Tolluntur, quæ ſenſibus inſi-

Rex

dent, docendo magis, quam jubendo, movendo, quàm minando. *Rex Theodoricus* dicere est solitus: Religionem imperare non possumus, quia nemo cogitur, ut credat invitus. *Maximilianus Secundus* dixit: Qui in conscientias sibi imperium sumunt, cœli arcem invadere videntur.

86. 6. Non incommodè scribit *Becanus pag. 57.* Tametsi Princeps, aut Magistratus Catholicus omnibus modis impedire debeat Libertatem religionis, ut dictum est; si tamen id facere nō possit sine graviori incommodo boni publici, potest eam tolerare, tanquam minus malum, ad evitandum majus, quod alioqui sequeretur. Hæc conclusio fundatur in illo communi axiomate: *Ex duobus malis minus Eligendum est*, scilicet, si utrumque evitare non possumus. Et ratio est, quia in tali casu, illud minus malum non eligitur præcisè, ut malum quoddam est; sed ut medium utile ad evitandum majus malum; ac proinde eligitur sub ratione boni utilis. *Addit ibidem; si Princeps, vel Magistratus Catholicus, paciscatur cum hæreticis de toleranda libertate Religionis, quam sine majori detrimento impedire non potest; sine dubio fides servanda est*, probatur ex dictis. Nam fides servari debet in omni pacto licito, & honesto: atqui licitum & honestum est, tolerare libertatem religionis ad majus malum evitantum; & de eâ tolerandâ licitè, & honestè paciscì potest Princeps Catholicus: Ergo si paciscitur fidem servare debet.

87. Quamobrem, quamvis Magistratus pius multarum religionum exercitium non possit salvâ conscientiâ instituere: Potest tamen id suo modo permittere, non ut gratificetur uni vel alteri civium, sed tunc, quando præcipua capita unâ cum aliquâ subditorum copiâ id petunt & periculum toti Reipublic. immineat, nisi permittatur: In tali igitur casu constituat Magistratus bonos & doctos Ecclesiæ Pastores oportet, qui subditos diligenter de concordia ineunda moneant. Quod si verò hac ratione nihil Magistratus obtinet, proponat sibi exemplum Christianorum, qui in civitate Romanâ, Ephesinâ & Corinthiaca inter homines diversis religionibus addictos vixerunt, & tamen pacem civilem cum ipsis coluerunt.

88. Quæ-

88. Quæ contra hanc assertionem opponuntur ab aliis ea maximam partem quæstionis statum non attingunt. Agunt enim de approbatione; At quæstio est de tolerantia & permissione. Quemadmodum verò Deus non nisi unam religionem approbat, sed plures permittit, & solem suum exoriri sinit super bonos & malos: Ita pius Princeps approbare potest non nisi Religionem unam; tolerare, & permittere plures. In Regesigitur idololatricos justè Deus animadvertit, non ob idololatriæ in regno suo permissionem; Sed ob approbationem: Ipsi enim vero Deo derelicto ad Deos alienos defecerunt.

FINIS DISPVTATIONIS XX.

DE PAPISMO

DISPVTATIO XXI.

Et quidem in specie

DE

Dcea Ecclesiæ parte, quæ secundum Pontificios fingitur sub terrâ

In qua

Christo Duce & auspice Christo

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS GISENII,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS,

ET ORDINARII IN INCLYta Academiâ Gissenâ Professoris,

RESPONDEBIT

JODOCUS Cappellen LUBECENSIS.

In Auditorio Theologico ad diem 18. Martii horis antemeridianis & pomeridianis.

GIESSÆ CATTORUM

Ex officina libraria Casparis Chemlini.

cIↃ IↃ cXVIII.

DISPUTATIO VIGESIMA PRIMA
DE EA ECCLESIÆ PARTE quæ secundum Pontificios fingitur sub terrâ.

THESIS I.

BEllarminus in præfatione de Purgat. pag. 698. *Disseruimus, ait, hactenus de eâ parte Ecclesiæ, quæ est in terris: Nunc de ea disputandum est, quæ degit infra terram.*

SENTENTIA PROTESTANTIUM.

2. Quamvis distinctionem Pœnarum Scriptura passim proponat, cum peccata sint imparia: Nusquam tamen figmentum de quatuor terræ capsulis Pontificiis tradit.

3. Imò nullum agnoscit medium inter Christum, & Belial, cœlum & infernum, vitam & gehennam, salutem & condemnationem. Figmenta igitur sunt humana, quæ de reliquis fabulantur locis Pontificii.

4. Infernum esse alicubi, seu certum esse ϖ̄, in quo damnati cruciantur, docet Scriptura; At quod sit locus Physicus, & terræ particula, tantum abest, ut vel innuat, ut potius illud refutet.

SENTENTIA PONTIFICIORUM.

5. Infernus dicitur, quod sit inferior nobis, seu quod sit infra nos: Undè non immeritò colligitur, quod sit in profundissimis terræ partibus.

6. Cum autem peccata sint imparia, pœnæ etiam sunt impares. Rectè igitur Scholastici quatuor intra terram sinus constituunt: Primus est damnatorum: Secundus Purgandorum: Tertius infantium ante Baptismum decedentium: Quartus Patrum justo-

rum, qui ante Christi passionem moriebantur, & hic jam est, vacuus, *Bellarm. lib. 2. de Purgat. cap. 6.*

Status Controversiæ.

7. Fabulosam ferè, & poëticam esse doctrinam Pontificiam, anilibus, & puerilibus figmentis plenam, de illis quatuor intra terram capsulis, docent Protestantes. At cum videant Pontificii, quod faciat ad opes mirè conflandas pro eâ, tanquam pro aris, & focis, fundamentis, nescio quibus, pugnant: Controversiæ igitur ipsæ sunt de istis quatuor intra terram locis, de situ inferni: De Limbo infantum ante baptismum decedentium. De Limbo Patrum: De Purgatorio: De suffragiis Ecclesiæ. Duabus Disputationibus figmenta Pontificia examinabimus.

8. Quæstio prima: *Quid sit sentiendum de quatuor locis subterraneis Pontificiorum?*

9. Resp. *Bellarminus lib. 2. de Purgat. c. 6.* Constituunt Scholastici, inquit, communi consensu intra terram quatuor sinus, sive unum in quatuor partes divisum, unum pro damnatis, alterum pro purgandis, tertium pro infantibus sine Baptismo abeuntibus, quartum pro justis, qui nunc vacuus remanet.

10. Scholasticorum verò illud figmentum refutamus, 1. *à duobus hominum generibus, quæ enumerat Scriptura:* Quot enim sunt hominum genera, tot sunt loca, in quæ post mortem recipiuntur. Atqui duo tantum sunt hominum genera. Ergo *Mar. 16. v. 16.* Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; Qui verò non crediderit, condemnabitur *Joh. 3. v. 18.* Qui credit in eum non condemnatur: Qui verò non credit, jam condemnatus est: quia non credit in nomen unigeniti Filii Dei. Unde hæc sunt axiomata: *Quicunque verâ fide Christum amplectitur, diligitur à Deo, & non condemnatur, sed habet vitam æternam; Quicunque in Christum non credit, jam condemnatus est.*

11. 2. *A locorum in Scripturâ hominibus post mortem adjudicatorum numero:* Universa Scriptura sacra, duorum tantum locorum facit mentionem, *Sinus Abrahæ, seu cœli, & inferni. Luc. 16. v. 23. Vitæ, & gehennæ: salutis, & condemnationis, Mar. 9. v. 44. cap. 16. v. 16.* Nec tertii alicujus, vel quarti meminit. Ergo contra Scripturam alia insuper finguntur: *In Articulis enim fidei ubi Scriptura tacet, ibi refutat.*

tat. Nihil verbo Dei est addendum, & nihil ex eo auferendum, *Deut.4.v.2.c.12.v.32.*

12. 3. *Ab oppositione Dei & Diaboli*: Inter Deum & Diabolum, Christum & Belial non agnoscitur tertium: Christus dicit *Luc.11.v.23.* Qui non est mecum contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit. Ergo, qui non est cum Deo, est cum Diabolo, & non existit in tertio aliquo loco.

13. 4. *A Patrum piorum consensu: Augustinus de verbis Apostoli serm.18.* Duæ quippe habitationes sunt, inquit, una in igne æterno, alia in regno æterno. *Idem de peccatorum meritis, & Remissione c.28.* Nō est ullus ulli locus medius, ut possit esse, nisi cum Diabolo, qui non est cum Christo. *Justinus in quæstionib. q.75.* Post animi ex corpore excessum, statim fit bonorum malorumque distinctio: Ducuntur enim ad loca, quæ in iis digna sunt ab Angelis, bonorum quidem animæ in Paradisum, ubi consuetudo est, & aspectus Angelorum, & conservatoris Christi: Injustorum autem animæ in ipsius orci loca: *Autor lib.hypogn.c.5.* Tertium locum penitus ignoramus.

14. 5. Fabulæ igitur de quatuor locis subterraneis sunt commenta hominum superstitiosorum, & avarissimorum ad turpem quæstum conficta Scripturæ directè contraria.

15. *Contra Bellarmin.lib.2.de Purgat.c.6.* Sufficientiam quatuor illorum locorum subterraneorum ostendere conatur, *à quadruplici pœnarum genere*: Sunt, inquit, hæc omnia (quatuor) loca pœnalia: Omnis autem pœna, aut est tantùm damni, aut etiam sensus. Et rursus aut æterna, aut temporalis: Pro pœnâ ergò solius damni æterna, est limbus puerorum; pro pœnâ solius damni temporali, erat limbus Patrum; Pro pœnâ damni, & sensus temporali, est Purgatorium.

16. Resp. 1. Philosophatur Bellarminus, & quidem contra scripturam. 2. Afflictiones, quæ dimissâ culpâ manent pios, sunt paternæ castigationes, & immittuntur non ad expianda peccata, sed ad cohibenda: Christus enim solus torcular calcavit: Ejus livore sanati sumus *Esa.53.* Redemit nos â maledictione legis *Gal.3* Servat nos ab irâ, *Rom.5.v.9.* Liberat nos ab *irâ vēturâ*, *1.Thess.1.v.10* 3. Omnis igitur pœna temporalis sive damni, sive sensus, hujus tan-

tantum vitæ ſpaciis includitur: Alterius verò ſeculi pœnæ omnes ſunt ſempiternæ.

17. Quæſtio ſecunda: *Num infernus ſit in profundiſſimis terræ partibus?*

18. Reſp. Infernum eſſe certum πρῶ, & damnatos graviſſimas ſuſtinere pœnas, docet paſſim ſcriptura, ut *Deut.* 32. *Eſai.* 66. v. 24. *Matt.* 5. & 25. At ubi ſit nuſpiam tradit. Quare opinionem pontificiorum fingentium infernum eſſe locum ſubterraneum, his ex pugnamus fundamentis. 1. Quod ſcriptura nuſpiam tradit, noſtrum non eſt curioſius inquirere, & ſimpliciter definire. Atqui infernum eſſe locum ſubterraneum ſcriptura nuſpiam tradit. Ergo noſtrum non eſt curioſius illud inquirere, multò minus ſimpliciter affirmare: Opera potius eſt danda, ut vera fide, & pietate, cruciatus infernales à nobis avertamus.

19. 2. Omnes res creatæ phyſicæ, ſeu corporeæ ſunt ſubjectæ vanitati. *Rom.* 8. v. 20. Atqui infernus Pontificiis eſt res creata corporea, quia fingitur ab iis locus ſubterraneus. Ergo.

20. 3. Omnes res creatæ corporeæ ſuſpirant, & ſui diſſolutionem expectant, *Rom.* 8. v. 22. Atqui infernus Pontificiis eſt res creata corporea. Ergo.

21. 4. Terra ſecundum ſubſtantiam interibit, *Luc.* 21. v. 33. Cœlum & terra tranſibunt, παρελεύσονται 2. *Pet.* 3. v. 10. Veniet dies Domini, ſicut fur in nocte, quo Cœli, procellæ in morem tranſibunt, elementa verò æſtuantia ſolventur, & terra, & quæ in ea ſunt opera, exurentur *Apoc.* 20. v. 11. Fugit terra, & Cœlum, & locus ejus non eſt inventus. Ergo & infernus interibit ſi eſt locus ſubterraneus.

22. *Chryſoſtomus Homil. in Epiſt. ad Rom.* 31. Et ubi, inquiens, & quo in loco erit ipſa gehenna? Quid iſtud curas? Quæſtio ſiquidem eſt, ut oſtendatur, *quod ſit*, & non *ubi ſit recondita*. *Gregor. lib.* 4. Nonnulli, inquit, in quadam terrarum parte infernum eſſe putaverunt, alii verò ſub terra eſſe æſtimant; Ego autem hac de re temerè definire non audeo.

23. Oppugnant ſententiam hanc Pontificii ſtatuentes infernum eſſe locum ſubterraneum, idque *Bellarminus lib.* 4. *de Chriſto cap.* 10. evincere conatur á notatione latinâ, græcâ, & hebraeâ.

Nomen

Nomen, inquit, inferni cum significet aliquid inferius nobis, & infranos, nihil sit nisi centrum terræ, necessariò loca inferorum intelliguntur loca profunda subterranea. Idem de nomine græco, quod habemus *Matt.*11. *Luc.*16. *Act.*2. est statuendum. Et ubicunq; latinè est infernus, est ἅδης, significatque locum subterraneum. Denique nomen hebræum, quod habetur passim in Testamento veteri, est שְׁאוֹל, significat voraginem & ordinariè accipitur pro loco animarum subterraneo.

24. Resp. 1. Distinguo inter creatum, generatum, introductum, præparatum, & factum: Infernus præparatus legitur in scriptura, ut, *Matt.* 25. *v.* 41. Ite maledicti in ignem æternum præparatum Diabolo & angelis ejus. 2. Tritam noto regulam: *Quando de rebus spiritualibus, & cælestibus est sermo, hæc vocabula, supra, & infra usurpantur quidem humanâ consuetudine, non definiuntur autem locis, sed dignitate & indignitate, Majestate, & abjectione, gaudio & honore, lætitiâ, & tristitia.* 3. Sursum aliud est loci, & aliud conditionis, & Majestatis, ita & deorsum. 4. Argumenta à notatione petita sunt tantum topica. Ergo parum probant. 5. Vocabulum inferni ejusque notationem nonnulli ab ethnicis derivant: Hi enim in terram cadentibus corporibus, hisque humo tectis, sub terra censebant reliquam vitam agi mortuorum. Vocabulum ἅδης nonnullis dici placet παρὰ τὸ μὴ ὁρᾶσθαι, quasi dicas οὐ σὺν ἔξιν ἰδεῖν: Est enim, dicit Scapula, tenebricosus, & (ut dixit Virgilius) est sine luce domus. Alii inde dictum censent, quod mortuos oculis viventium subtrahat, & in occulto esse velit. Alii deducunt ab ἄω, quod est πνέω, vel quod viventibus spiritum largiatur, vel quod omnia mortis halitus perspiret. Nonnulli ἀνάπαυσιν in ea notant voce, deducentes eam ab ἥδω hinc est ἀιδὴς inde ἀνάπαυστικῶς ἅδης, hoc est, tristis, & luctuosus. Hebræum שְׁאוֹל est à radice שָׁאַל petivit, postulavit, quia nunquam satiari potest, sed semper petit.

25. *Pergit Bellarminus*, & urget nomen *Abyssi* Nam Dæmones *Luc.*8. rogabant Christum, ne mitteret eos in abyssum. Certum ait, est, abyssum esse profundam voraginem, & proinde infra terram.

26. Resp. 1. ἄβυσσος dicitur vel à βυθὸς quod fundo careat ab α inten-

α intendendi vim habente & a βύω (tego, operio, ut sit locus, qui multitudine aquarum tegatur. 2. Notat in scriptura vel profundum maris, ut *Gen* 1. *v.* 2. vel infernum, & locum supplicii, qui dicitur abyssus non ob localitatis physicæ, sed ob conditionis, & cruciatuum profunditatem.

27. *Instat Bellarminus, & provocat ad scripturam.* Nam *Apoc.* 5. legimus, non fuisse inventos, qui solverent librum: Nec in Cœlo nec in terra, nec sub terram. Et infra: Dixerunt laudem Deo omnes creaturæ in Cœlo, in terra, & sub terram. Et *Philip.* 2. Ut in nomine Jesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & inferorum. In quib. locis vox καταχθονίων nihil significat aliud, quã subterraneorum. Dicuntur verò Spititus subterranei, eò quod in locis subterraneis degant. Deinde allegat quædam Patrum testimonia. Denique subjungit rationem: Consentaneum enim est rationi, ut locus dæmonum, & hominum impiorum, ac reproborũ longissimè distet ab eo loco, in quo Angelos, ac beatos, homines perpetuò futuros non dubitamus. Locus autẽ beatorum Cœlum est, à Cœlo verò nihil abest longius, quàm terræ centrum.

28. Resp. 1. Committit Bellarminus fallaciam notationis, seu figuræ dictionis: Nam infernus dicitur infra nos, non respectu loci, sed infimæ conditionis, & extremæ abjectionis. 2. Quæ igitur dicuntur humanitùs sunt intelligenda divinitùs: Spiritus S. in scriptura ad nostrum captum sese accommodat, & infernum ac inferos infra nos esse dicit intelligens abjectissimam conditionem. 3. Cœlum quando dicitur sursum esse, intelligitur sursum non loci, sed Majestatis, & conditionis. 4. Ut Cœlum ita & infernum alicubi esse asserimus, sed nuspiam explicitè est ostensum, ubi sit. Nostrum igitur est, nihil temerè definire.

29. Quæstio tertia: *Qualis sit pœna damnatorum?*

30. Resp. Controversia est inter scholãsticos, utrum corpora damnatorum actione reali; an intentionali duntaxat sint torquenda. Sola intentionali affirmat *D. Thomas. in 4. dist. 44. quæst. 3. Art. 1. Ferrariensis 4, contra gentes cap. 89. Capreolus in 4. dist. 44. quæst. 2. art. 3. Scotus distin. 50. quæst. unica. Art. 3. concl. 3. Hispalensis dist. 44. qu. 4.* Alii contra materiali igne damnatos torquendos esse, & torqueri statuunt. *Lombardus lib. 4 Dist 44. lit. F.* Quæri, inquit, solet an Dæmo-

Dæmones corporali igne ardeant? Cur non dicamus (quamvis miris, veris tamen modis) etiam spiritus incorporeos posse pœnâ corporali igni affligi, si spiritus hominum etiam incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? Gehenna illa, quæ stagnum ignis, & sulphuris dicta est, corporeus ignis erit: Et cruciabit damnatorum corpora, vel hominum, vel dæmonum: Sed solida hominum aerea dæmonum. Unus enim utriusque ignis erit, ut veritas ait. Eadem est opinio pontificiorum. *Bellarminus lib. 2. de purg. cap. 11.* Corpora damnatorum, inquit, punientur igne post resurrectionem, ut patet *Matt. 25. Ite in ignem æternum.* At corpora non possunt uri, nisi igne corporeo. Est autem idem ignis damnatorum & spirituum corpore vacantium: Nam ibidem dicitur, *qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus.*

31. Verum nimis confidenter illud pronunciatur à Lombardo, & Bellarmino. Utilius & certius esse censemus, potius quærere quomodo evitari possit ignis ille, quam qualis, & quo in loco sit: Et melius est de occultis dubitare quam de incertis litigare. Nō incommodè dicit *Augustinus lib. 20. de civit. Dei cap. 16.* Æternus ignis cujusmodi & in qua mundi, vel rerum parte futurus sit, hominem scire arbitror neminem, nisi forte, cui spiritus divinus ostendit. *Et lib. 21. cap. 9.* Eligat quisq; quod placet, aut ignem tribuere corpori, animo vermem, hoc propriè illud tropice, &c.

32. Si verò quis ex nobis quærat, quid probabilius in re ejusmodi dubia judicemus, & piè credamus? Respondebimus, nos omninò verisimile judicare, ignem infernalem esse, non elementarem, seu materialem, sed metaphoricum, hoc est, nomine ignis indigitari pœnæ atrocitatem, quæ sensu nostro non cōprehenditur. Nam 1. *Esa. 66. v. 24.* legimus vermis eorū nō morietur, & ignis eorum nō extinguetur. Eadam igitur ratione de verme, quem Esaias igni conjungit disputandum esset 2. *Esa. 30. v. 33.* dicit propheta Præparata est ab heri Thopheth, à rege præparata, profunda, & dilatata. Nutrimenta ejus ignis & ligna multa: flabellū Domini sicut torrens sulphuris succendens eam. Admiscet Propheta sulphur, & spiritum Dei, flabello comparat, quæ singula esse metaphorica nemo non videt. Ergo & ignis ille est metaphoricus. 3. Consentit

parabola de divite Epulone, *Luc.* 16. Hic in lingua cruciabatur. At linguam non habebat, quia mortuus erat, & anima à corpore erat separata. Linguæ igitur nomine aliquid spirituale intelligitur. Ergo & ignis appellatione non incommodè spiritualis pœna intelligitur. 4. Corporale, & merè naturale, atque materiatum non agit in immateriale & spirituale, quia effectus nullus est præstantior suâ causâ: & inter quæ est actio, & passio, inter ea debet esse proportio. Atqui Diaboli sunt immateriati; Homines in inferno habebunt corpora spiritualia. Ergo non torquebuntur igni materiali. 5. Gloria Beatorum non erit temporalis, sed spiritualis, & qualis illa sit futura, nõdum in cor hominis ascendit, 1. *Cor.* 2. *v.* 9. Corpus nostrum erit σύμμορφον corpori Christi, *Phil.* 3. *vers.* 21. Corpora beatorum non erunt quidem πνεύματα, sed πνευματικά. 1. *Corint.* 15. Eleganter dicit *Augustinus lib.* 22. *de civit. Dei cap.* 30. Deum sine fine videbimus, sine studio amabimus, sine defatigatione laudabimus. *Bonaventura in Diæt. c.* 50. Lætabuntur sancti propter loci amœnitatem, quam possidebunt; propter jucundam societatem, in qua regnabunt; propter glorificationem, quam habebũt, propter mundum, quem contempserunt; propter infernũ, quem evaserunt. Ergo verisimile omninò est, pœnam damnatorum spiritualem futuram *Bernhardus in med. devot. c.* 3. Ita vivent damnati, ut semper moriantur: ita morientur, ut semper vivant. *Idem serm.* 8. *in Psalm.* 91. Præ impatientiâ cordis rugient, frement, & dentibus stridebunt: Erit ibi fletus ex dolore, stridor dentium ex furore. *Dionys. in* 18. *Apoc.* Gravis est damnatorum pœna propter tormenti acerbitatem, gravior propter suppliciorum diversitatem, gravissima propter suppliciorum æternitatem.

33. 6. *Damascen. lib.* 4. *de ort. fid. cap.* 28. Tradetur diabolus, & dæmones ejus, & homo ejus, id est Antichristus, & impii, & peccatores in ignem æternum, non materialem, qualis est apud nos, sed qualem novit Deus.

34. Quare cum mens nostra satis comprehendere, & lingua satis effari nequeat, quales cruciatus isti sint futuri, ideò sacra Scriptura ad captum nostrum sese accommodans assimilat eos rebus istis, quibus in hac vitâ summus & animi & corporis dolor excitari solet, utpote igni, vermibus, stridori dentium, tenebris ut-

stissimis, *Esa. 66.v.24. Matt.5.v.22.cap.8.v.2. Apoc.19.v.20.* Gregorius super illud Matth.8.v.12. Ejicientur in tenebras, &c. *In inferno erit frigus intolerabile, inquit, ignis inextinguibilis, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, tenebræ palpabiles, flagella cædentium, horrida, visio Dæmonum, confusio peccatorum, desperatio bonorum. Erit enim miseris mors sine morte, defectus sine defectu: quia mors ibi semper incipit, & deficere nescit.*

35. Quæstio quarta: *Quid sit statuendum de limbo Patrum V. Testamenti?*

36. Resp. Limbum illum ignorat Scriptura, imò ipsi repugnat. 1. Hæc enim neque nomen, neque rem habet, sed tantùm duo agnoscit loca contraria, unum piorum, vitam æternam, cœlum, paradisum, sinum Abrahæ; Alterum impiorum, gehennam, tartarum, inferos, & quicquid tale est. Nec potest ex Scripturâ tertius monstrari locus.

37. At opponis illud *Psal.86.v.13.* Quoniam misericordia tua magna est super me, & liberasti animam meam de inferno inferiori. Ergo diversæ, inquis, sunt inferni contignationes.

38. Resp. 1. In textu Hebræo legitur vocabulum תחתיה, quod non est comparativus, sed positivus gradus, & infernum, quod infra est denotat, quasi dicas ab infero inferno animam meam eruisti. 2. Sensum testimonii istius tradit *Hieronymus* scribens, non quod duo inferna sint, sed iste superiorem infernum peccatum dixit; inferiorem verò, qui est verus infernus, in quo peccatores damnantur. Laudat ergo ob hoc misericordiam Domini, quod sit erutus à supplicio inferioris inferni. *Theodoretus* dicit, extremam mortem, & pericula infernos infimos nominavit. *Augustinus* docet, dupliciter nos liberari ab inferno, primũ, quod Christus pro nobis pervenit ad infernum, ne nos maneremus in inferno: Deinde quia Deus liberavit nos à talibus peccatis, per quæ homo deducitur ad infernum: Sicut à morbo liberari dicitur, qui à causa morbi immunis conservatur, à carcere, à cruce redimi dicuntur, qui in carcerem detrudi, inque crucem agi per intercessores non sunt permissi.

39. 2. *A causa instrumentali justificationis*, quæ est fides: Qui eandem habent fidem, eandem habét justificationis gloriam, quæ est vita æterna. Atqui pii Patres V. Testam & sanctiſN. Testamenti eandem habent fidem, *Rom.4.v.3.* credidit Abraham Deo & reputatum est illi ad justitiam. *vers.11.* Signum accepit circumcisionis signaculũ justitiæ fidei, quæ est in præputio, ut sit Pater omniũ credentium. *Heb.11.vers.1.2.* Est fides earum rerum, quæ sperantur substantia, argumentum eorum, quæ non videntur. Per hanc enim testimonium meruerunt seniores, *v.5.* Per fidem Enoch fuit translatus. *vers.6.* Sine fide impossibile est placere Deo. Ergo eandem habent justificationis gloriam.

40. 3. *A causâ justificationis meritoriâ:* Si eadem fide pii Patres V. Testamenti sunt salvati; Ergo & eodem merito. Fides enim apprehendit Christi meritum. At verum prius. Ergo. Quod fides ea idem hoc meritum apprehendere potuerit, colligimus ex *Heb.* 13.*v.*8. Christus heri & hodie, & idem in secula. Mors igitur *Christi* eundem præstitit effectum *Act.4.v.12.* Non est in alio quoquam salus: Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat, nos solvos fieri, *Act.15.vers.11.* Per gratiam Domimini Jesu Christi credimus nos salvos futuros, quemadmodum *& illi* (sub intellige Patres nostri) Quod denique mors Christi Patri fuerit præsens, constat ex testimoniis *Psal.89.ver.4. & 2.Pet.* 3.*v.*8. Unus dies est apud Dominum, ut mille anni, & mille anni, ut dies unus. Itaque mors Christi quavis ætate eundem præstitit effectum. Itaque opus non est Limbo.

41. 4. *Ab apertis scripturæ testimoniis, Sap.3.v.1.* Justorum animæ in manu Dei sunt. Et non tanget illas tormentum. *Eccl.12.v.7.* Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum, *Psal.31.v.6.* In manus tuas Domine commendo Spiritum meum.

42. *Verum* Bellarminus *lib.4.de Christo cap.11. Animas piorum non fuisse in cœlo ante ascensionem Christi evincere conatur exemplorum inductione, Gen.37.* dicit Jacob *Descendam ad filium* meum in infernum. Pius erat Jacob, pius etiam Joseph. & tamen utrumque non ascendisse ad Cœlum, sed ad inferos descendisse Scriptura significat. *Luc.16.* Dives in inferno cum esset, vidit á longe animam Lazari in sinu Abrahæ, & audivit inter loca ipsorum

magnum

magnum hiatum esse, id enim significat χάσμα, ex quo apparet nihil solidi fuisse interjectum inter locum damnatorum, & sinum Abrahæ, sed utrasque animas in eadem voragine fuisse, licet multum inter se dictantes.

43. Resp. 1. Vocabulum שְׁאוֹל significat in scriptura primò sæpe mortem, ut *Gen.37.v.35.C.42.v.38.& 44.Job.7.v.9.cap.17 v.13.Psal.89.v.48.Prov.27.v.20.* Secundò tartarum, & locum damnatorum, ut, *Num.16.v.30.Esa.5.v.14.c.14.v.12. C.28.v.15.* Tertiò cruciatus damnatorum, ut *Deut.32.v.22.Job.42.v.10, Psal.49.v.15. Job.11.v.8.Prov.15.v.11.Psal.139.v.8.* Quartò pavores conscientiæ, quibus tam pii, quam impii in hac vita torquentur, *Ps.16.& 18.v.6. Psal.30.v.4.Psal.86.v.13.Psal.8.v.4.Psal.116.v.3.1.Sam.2.v.6.* Quintò sepulchrum, *Psal.41.v.7.* In dicto Jacobi significat mortẽ. Hoc n. Jacobus vult dicere, se præluctu, & animi mœrore moriturum. Quamvis n. dubitaret Jacobus filium suum Josephum esse sepultũ non tamen dubitavit, eum esse mortuum. 2. Quæ alioqui consolatio Jacobi? Annón longè melior ejus fuisset conditio hac in vitâ, quàm post mortem? In vitâ suâ cum Deo, & Angelis pugnaverat, victorque extiterat, jam se consolari debebat, quod descensurus esset ad Limbum, ubi sit reperturus filium si non in pœna sensus, tamen in pœnâ damni.

44. 3. Sinus Abrahæ non notat Limbum illum supremum inferni, quia Scriptura interpretatur eum per manum Dei, *Sap.3. v.1. Apoc.14.v.13.* 4. Oppugnat Bellarminus manifestum textum, quia Christus testatur Lazarum in sinu Abrahæ consolatione frui; At consolationem habere nequeunt, qui post mortem divinâ visione carent. 5. Potius inde efficitur ex contignatione illâ nullam esse sperandam liberationem, quia tale χάσμα inter electos, & damnatos esse affirmat Abraham, ut nemo possit ultrò, citroq; trãsire. 6. Dives videt procul Abrahamum. Ergo non apud inferos. De exemplo Samuelis in subsequenti agemus quæstione.

45. *Deinde opinionem suam ostendere conatur Bellarminus ex testimonio Petri 1.Epist.cap.3.19.* Iis, qui in carcere erant spiritibus prædicavit, qui increduli fuerunt aliquando, quando expectabãt Dei patientiam in diebus Noë cum fabricaretur arca. Et *cap.4.vers.6.* Ideò prædicatum est mortuis, ut judicentur secundum carnem, vivant

vant autem Deo Spiritu. Hic dicuntur animæ fuisse in carcere. Ergo non fuerunt in cœlo, quod est fides Dei.

46. Resp. 1. Petrus in utroq; loco agit de impersuasibilibus & quidem illis, qui temporibus Noë judicati fuerunt secundum carnem, hoc est, diluvio perierunt; ut spiritu viverent Deo. 2. Agit igitur Apostolus, non de S. patribus, sed de quibusdam impersuasibilibus, quibus diluvium futurũ persuadere non poterat Noë. 3. Nõ facit ullam mentionem vel purgationis, vel liberationis, vel translocationis in vitam æternam, sed prędicationis 4. *Andradius* igitur interpretationẽ illam Romanensium l. 2. script. Ulisponensis p. 121. improbat. 5. Cæterum quis difficilis istius loci, cujus plurimæ afferri solent interpretationes, sit sensus in collatione ostendemus

47. *Deniq; opponit Bellarminus locum Zach. 9. v. 11. Tu in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua*, hoc est, Patres V. Testamenti ex limbo.

48. Resp. Propheta ait non de statu animarum Patrum V. T. post mortem, sed de virtute, & efficacia sanguinis Christi, idq; ex *v. 9.* colligitur. *Vincti* igitur sunt omnes homines in peccatis mortui. *Lacus* non est Limbus Patrum, & lacus perditionis & æternæ damnationis. qua omnes constricti teneremur nisi per sanguinem Testamenti Christi essemus liberati.

49. Quæstio quinta. *An verus Samuel à Pythonissa sit excitatus*

50. Resp. Pythonica illa mulier, non verum Samuelem, in vitam revocavit sed tantum spectrum quoddam, & ludibrium Satanæ, arte sua magicâ produxit. Nam 1. Justorum animæ in manu Dei sunt. *Sapien. 3. vers. 1.* Ergo Diabolus non potest eas per pythonicas mulieres sistere. *Ne dixeris* permittente Deo id factum esse: Nam Deus Sauli respondere neq; per somnia neq; per Sacerdotes, neq; per prophetas voluit 1. *Reg. 28. v. 6.*

51. 2. Deus prohibuit sciscitari veritatem ex mortuis, *Deut. 18. v. 11. Esa. 8. v. 19. 20.* Hortatur igitur nõ per mortuos, sed ex scriptura per vivos, ut constat ex historiâ divitis epulonis, cui roganti, ut per ablegatũ Lazarum admonerentur fratres de pœnitentiâ respondet Abrahamus, habent Mosen, & Prophetas hos audiant.

52. 3. Verus Samuel non passus fuisset, se adorari: Solus enim Deus est adorandus *Matth. 4. v. 10.* Ne Angeli, quidem *Apoc. 22. v. 9.*

22.v.9. At fictitius ille Samuel passus est, se adorari à Saule, 1. Reg. 28.v.14. Ergo.

53. 4. Si verus fuit Samuel, sequitur Saulem fuisse salvatum, & in sinum Abrahæ delatum, quia spectrum dicit ipsi v. 20. *cras tu. & filii tui mecum eritis* At consequens est impium, scripturæ contrarium, 1. Par. 10. vers. 13. 14. Mortuus est Saul propter iniquitates suas, eò quod prævaricatus sit mandatum Domini quod præceperat, & non custodierit illud: Sed insuper Pythonissam consuluerit, nec speraverit in Domino. Ergo.

54. 5. Aut totus Samuel à Pythonissa fuit in vitam revocatus, aut pars ejus. *Si totus*, sequitur merè divinum opus, cujusmodi est resuscitatio mortuorum Diabolo, & organis ejus adscribi posse. *Si pars*, fuit ea vel corpus vel anima. *Non corpus*, quia illud examine sese movere & vocem proferre non poterat. *Neq; anima*, quia illa erat in manu Dei, *Sap* 3.v.1.

55. *At inquis* Scriptura nominat eum Samuelem. Resp. fit id vel ex hypothesi, & opinione Saulis; vel quia talis videri volebat. *Instas Eccl.* 46. ponitur in laudibus Samuelis, quod mortuus prophetaverit Resp. librũ illum esse Apocryphũ, legi non ad fidei cõfirmationẽ, sed ad morũ informationẽ in Dis. secunda evicimus

56. Quæstio sexta: *Quid sentiendum de limbo infantum sine Baptismo decedentium?*

56. Resp. Limbum illum purum, esse figmentum paucis ostendimus. 1. Peccatum infantibus non baptizatis aut remittitur, aut non remittitur. Si ipsis remittitur, beati sunt, *Psal.* 32.v.1. Beati, quorum remissę sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Si ipsis non remittitur, damnabuntur, quia maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, *Deut.* 27.v.6. *Gal.* 3.v.10. Sunt igitur filii iræ, *Eph.* 2.v.3. Et ira Dei manet super eos, *Johan.* 3.

57. 2. Infantes non baptizati aut credunt aut non credunt. Si credunt, vitæ æternæ sunt hæredes, *Joh.* 3. v.18.36. Qui credit in eum non judicatur. Qui credit in Filium habet vitam æternam. Si non credunt in ignem æternum abjiciuntur. *Joh.* 3. v.18. Qui non credit, jã judicatus est, quia nõ credit in nomine unigeniti Filii Dei v.36. Qui incredulus est Filio, nõ videbit vitã, sed ira Dei manet supeũ. Incredulos igitur manet non tantũ pœna dãni, sed etiã sensus.

58. 3. Qui abiicitur in infernalem ignem, sustinet pœnam damni, & sensus. At qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis. *Apoc.*20.*v.*15. Ergo iste sustinet pœnam damni, & sensus. Infantes verò non baptizati secundum pontificios non sunt scripti in libro vitæ. Ergo mittuntur isti in stagnum ignis. Ergo sustinent pœnam damni, & sensus. Ergo & limbus infantum est figmentum pontificium.

59. 4. Qui non sunt in Christo Jesu pœnam sensus perpetiuntur, quia damnantur: Nihil enim damnationis his, qui sunt in Christo Jesu, *Rom.*8.*v.*1. Atqui infantes non baptizati secundum Pontificios nequeunt donari fide si ante Baptismum extinguantur. Ergo.

60. 5. Infantes illi aut sciunt, se esse exclusos à gratiâ Dei aut nescIunt. Si sciunt, dolent, & pœnam sensus sustinent. Si nesciunt, pœna non erit, quia scientes, & non nescientes propriè puniuntur.

61. 6. Infantes in limbo illo aut erunt perpetuo somno oppressi, atque sic otiosi, aut operabuntur, & sentient. At illius affirmatio est absurda. Ergo hujus vera. Aliquid igitur agent, & sentient. Quare vel dolebunt, vel gaudebunt. Sustinebunt igitur non tantum damni sed etiam sensus pœnam: Et per consequens inepta est distinctio inter pœnam damni & sensus. De distinctione inter infantes intra Ecclesiam & extra eam natos, videatur Delineatio th.101.

FINIS DISPVTATIONIS XXI.

DE PAPISMO

DISPVTATIO XXII.

Et quidem in ſpecie

DE

PVRGATORIO POSTERIOR

In qua

Chriſto Duce & auſpice Chriſto

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS GISENII,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS,
ET ORDINARII IN INCLY-
ta Academiâ Giſſenâ Pro-
feſſoris,

RESPONDEBIT

GERHARDUS GRAVIUS OSNABURGO-
WESTPHALUS.

In Auditorio Theologico ad diem 26. Martii horis antemeridianis & pomeridianis.

GIESSÆ,
Typis exſcribebat Caſparus Chemlinus.

cIↃ IↃ cXVIII.

DISPUTATIO VIGESIMA SECUNDA
DE PVRGATORIO

THESIS I.

PRæmiſſis quæſtionibus nonnullis de ſtatibus animarum poſtquam à corporibus ſolutæ ſunt, utpote de quatuor locis ſubterraneis, de qualitate pœnæ infernalis, de Limbo Patrum, & infantum ante Baptiſmum defunctorum, ſubjiciemus controverſias de ipſo Purgatorio.

2. Quæſtio prima: *Vtrum dogma de Purgatorio pontificium ſit Chriſtianum; an verò figmentum ſive Poëticum, ſive Ethnicum à gentilibus ſcriptoribus ad calefaciendas miſſificorum culinas mutuo acceptum?*

3. Reſp. Decretum Concilii Trident. Seſs. 9. hoc eſt: *Cum catholica Eccleſia Spiritu S. edocta ex ſacris literis, & antiqua Patrum traditione in ſacris conciliis, & noviſſimè in hac œcumenica Synodo docuerit, Purgatorium eſſe, animaſq; ibi detentas fidelium ſuffragiis potiſſimum verò acceptabili altaris ſacrificio juvari: Præcepit Synodus Epiſcopis, ut ſanam de Purgatorio doctrinam à ſanctis Patribus & ſacris conciliis traditam, à Chriſti fidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari diligenter ſtudeant. Coſterus in Enchirid. pag. 492. Prop. 4.* Qui cum reatu pœnæ temporalis inquit, ex hac vita migrant, neque recta proficiſcuntur in Cœlum, *quo nihil coinquinatum, aut immundum ingreditur*; neque in infernum cùm non mereantur pœnam æternam: Eſt igitut locus aliquis medius, in quo peccatis animæ purgantur, quæ jam in gratiâ Dei conſtitutæ, pœnis ſolum temporalibus peccata ſua expiant.

4. *Gregorius de Valentia Tom. 4. Controv. pag.* 2188. Purgatorii deſcriptionem hanc proponit: Purgatorium eſt locus, quo poſt mortem eorum fidelium animæ, quæ vel obſtrictæ reatu adhuc alicujus temporalis pœnæ, vel etiam aliquibus peccatis Veniali-

bus ex corpore migraverunt, secundum divinæ justitiæ rationem crucientur, quoad penitus ab ejusmodi peccatis expiatæ beatitudinem cælestem consequi valeant. *Bellarminus lib. 1. de Purgat. cap. 1.* Purgatorium, inquit, est locus quidam, in quo tanquam in carcere post hanc vitam purgantur animæ, quæ in hac non plenè purgatæ fuerunt, ut nimirum sic purgatę in cœlum ingredi valeant, quò nihil intrabit coinquinatum.

5. *Contra docent Protestantes dogma, de Purgatorio Pontificium non esse Christianum, sed figmentum poëticum & Ethnicum, quod cum faciat ad opes mirabiliter conflandos magni faciunt Pontificii.*

6. Nam. 1. Omnis Articulus seu dogma fidei perspicuis, claris, & manifestis verbis alicubi traditur in Scriptura, quæ fidem gignit, & est principium nostræ fidei. Atqui doctrina de Purgatorio Pontificia nusquam traditur in scriptura perspicuis, claris & manifestis verbis. Ergo non est dogma fidei & Christianum, sed fictitium. Primò, Nullum hactenus proferre potuerunt pontificii dictum, quod vel nomen Purgatorii exprimat, vel descriptionem ejus qualemcunq; contineat, cum opinione Pontificiorum consistere possit. Secundò, si ejusmodi horribilis daretur ignis, ejus in suis gravissimis concionibus, adhortationibus & dehortationibus Johannes Baptista, Christus, & Apostoli non semel, sed aliquoties mentionem fecissent, homines ab eo dehortati fuissent, modum eum mitigandi, homines in eo juvandi docuissent. At nusquam id vel verbo fecerunt. Tertiò, ne quidem verisimile est in tot exequiarum, & sacrificiorum descriptione, quot enumerantur à Mose istius purgatorii, si daretur, nullam mentionem explicitam factam esse. Quinimò Apostolus 1. *Thess.* 4. *v.* 13 de statu mortuorum interrogatus, eumque explicans, si daretur Purgatorium aliquem ejus vel mentionem injecisset. At non injecit. Ergo.

7. Quare *Petrus à Soto* ineptiarum pontificiarum non postremus propugnator, ingenuè fatetur, Purgatorium ex scripturæ testimoniis apertè probari non esse. Decretum igitur concilii Tridentini nullâ penitus scripturæ mentione factâ, hoc est: *Præcipit Episcopis, ut sanam de Purgatorio doctrinam à sanctis Patribus, & sacris conciliis, traditam à Christi fidelibus credi, teneri, doceri, & ubiq; prædicari diligenter studeant.*

8. 2. Quod

8. 2. Quodcunque dogma est Ethnicum astruitur ex Alcorano, Platone, Cicerone, Virgilio, Claudiano, consutum est ex apparitionibus Dæmonum, seu animarum, quæ se in Purgatorio esse renunciarunt, atque opem à vivis implorarunt, & quod suis partibus non cohæret illud non est Christianum. Atqui tale est dogma de Purgatorio pontificium. Ergo. Minoris veritatem agnoscit ipse Bellarminus lib. 1. de Purg. c. 11. Sic enim apertè scribit: *Tertia ratio sumitu à communi opinione omnium gentium: Id enim confitentur Hebræi, Mahumetani, Gentiles, itaq; tam Philosophi, quam Poëtæ. De Hæbræis patet ex lib. 2. Machabæorum cap. 12.* nam saltem *fides adhibenda est ei libro, quæ adhibetur Livio: Præterea Josephus filius Gorionis in libro de bello Judaico c. 19. indicat Judæos consuevisse orare pro mortuis, non tamen pro illis, qui se interimunt.* [*De Machumetanis patet ex Alcorano, ubi Purgatorium disertè confitentur. De Ethnicis patet ex Platone in Gorgia, & Phædone: Ex Cicerone in somnio scipionis in fine: Et Virg. 6. Æneid.*

Quin & supremo cum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
Corpora excedunt pestes, penitusq; necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterumq; malorum.
Supplicia expendunt.

Et ex Claudiano lib. 2. in Ruffinum circa finem:

Quos ubi per varios amnes, per mille figuras
Egit Letheo purgatos flumine. &c.

9. *Consutum est idem dogma ex apparitionibus Dæmonum*, seu spectrorum, (quas Dæmonum illusiones fuisse ad homines superstitiosos decipiendos factas non dubitamus,) idque fatetur Bellarminus *lib. 1. de Purgat. C. 11. Quarta ratio, inquiens, sumitur ab apparitionibus animarum, quæ se in Purgatorio esse renunciaverunt, atq; opem à vivis imploraverunt, quas apparitiones, cum viri gravissimi retulerint, non immerito veras fuisse credimus.*

10. *Suis partibus idem dogma non cohæret*, sed variis contradictionibus, aliisque incommodis scatet, Hinc vix unum atque alterum caput occurrit, in libris duobus Bellarmini, in quo non diversæ, sæpissimè etiam adversæ papisticorum scriptorum opiniones, & argumenta recitantur.

11. Scriptura sacra duo tantum agnoscit hominum genera unum fidelium, & piorum; alterum infidelium & impiorum, & tertium nuspiam tradit. Figmenta igitur sunt cerebri humani, quæ de tertio, nempe Purgatorii, afferri solent loco. Antecedentis veritas legitur, *Matt.3. v.12. cujus ventilabrum in manu ipsius, & repurgabit aream suam: Et congregabit triticum suum in horreum, paleam autem exuret igne inextinguili. Mar.16.v.16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit. Qui verò non crediderit contemnabitur. Joh.3.v.36. Qui credit Filio habet vitam æternam: qui verò non credit Filio*, non habebit vitam, *sed ira Dei manet super eum.*

12. Itaque fideles in hac vitâ sanguine Christi per fidem ita à peccato emundantur, ut nihil in ipsis sit condemnationis, t. *Joh.1.v.7. Sanguis Jesu Christi* Filii *Dei emundat nos ab omni peccato. Eph 5.v.25.* Christus *dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea ut illam sanctificaret mundans lavacro aquæ per verbum. Act. 15.v.9. Nihil discrevit inter nos, & illos, cum fide purificaverit corda illorum. Rom. 8.v.1. Nulla condemnatio in his, qui sunt in Christo Jesu, qui non juxta carnem ambulant, sed juxta Spiritum.*

13. Quare fideles & pii rectâ viâ ex hac vitâ temporali in æternam transeunt, *Apoc.14.v.13. Beati, qui in Domino moriuntur amodò. Etiam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis, sed opera illorum sequuntur eos, Joh. 5. v. 24. Amen, amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non venit; sed transivit à morte in vitam.*

14. Quæcunque opinio pugnat cum præcipuis fidei nostræ Atticulis, parit superstitiones, & abusus illa omninò est improbanda, & abiicienda. Atqui talis est opinio Pontificiorum de Purgatorio. Ergo. *Nam adversatur Christi merito*: Christus enim solus salutem nobis promeruit, & ejus sanguis à peccatis mundat, *Heb.9.v. 12. cap.10.v.12.14.1. Joh.1.v.7. Eph.5.v.26. Act. 4.v.12. C, 10.v.43. Col. v.9. Adversatur ardentissimæ Dei erga filios suos dilectioni, & misericordiæ Psal.103.v.13, Esa.49.v.15: Jer.31.v.20. Joh.3.v.16.* Qualis verò illa misericordia animas jam pridem ab omni peccatorum culpa ablutas & liberatas, atq; in statu gratiæ constitutas addicere & abucere plurimorum annorum igni ustulandas?

15. *Adversatur perfectioni satisfactionis Christi, maximè justitiæ passivæ,*

passiva, qua plenissimè pro nobis satisfecit, Esa. 53. Languoros nostros ipse tulit. Vulneratus est propter iniquitates nostras. Livore ejus sanati sumus. Posuit Dominus in ipso omnes iniquitates nostras. Disciplina pacis super ipsum. Iniquitates ipsorum ipse pertulit. At purgatorium honorem satisfactionis pro peccatis, & pœnis, & intercessionis apud Deum communem facit cum aliis sanctis.

16. *Adversatur doctrinæ de oblatione, & collatione divinæ gratiæ per verbum & Sacramenta.* Hæc enim respectu Dei tantum sunt media divinam gratiam offerentia, & conferentia *Eph. 5. v. 25. Joh. 15. v. 3. Gal. 3. v. 16. 27. Rom. 6. v. 3.* Quicunque igitur verbum Dei audire & Sacramentis uti non possunt, iis gratia divina & meritum Christi offerri, & conferri non potest. Atqui verbum Dei audire, & Sacramentis uti nequeunt isti, qui ex opinione Pontificiorum vivunt in Purgatorio. Ergo.

17. *Adversatur suavissimæ doctrinæ de remissione peccatorum, quæ consistit non in propria peccatorum compensatione, sed in gratuita condonatione, & circumscribitur hujus vitæ terminis. Eccl. 12.* Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, quocunque ceciderit IBI ERIT. 2. *Cor. 6.* ECCE NUNC tempus acceptum, ecce nunc dies salutis. Gal. 6. Operemur bonum. DUM TEMPUS habemus. 2. *Cor. 5.* Omnes nos manifestari oportet coram tribunali CHRISTI, ut reportet unusquisque ea, quæ fiunt PER CORPUS, juxta id, quod fecit sive bonum, sive malum.

18. *Parit varias superstitiones*, ut pro defunctis sanctos invocare, pecuniam pro sacris anniversariis erogare, indulgentias emere ad loca sanctorum pro ipsis ex Purgatorio liberandis instituere. &c.

19. *Gignit varios abusus in primis in Articulo de sacra cœna*, quæ pro defunctis ex purgatorio liberandis offertur. At instituta ea est, ut manducetur, & bibatur in commemorationem Christi. Defuncti verò neq; manducant, neq; bibunt.

20. 5. Animæ hominum fidelium & piorum in vera fide defunctorum quàm primùm à corporibus separantur, suscipiuntur in Cœlum, ubi cœlesti fruuntur gaudio. Ergo non intruduntur in purgatorium. Et per consequens hoc merum est figmentum. Antecedens legitur, *Joh. 5. v. 24.* Amen, amen dico vobis, qui ser-

monem

monem meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam. Sancti igitur in extremis versantes animam suam committunt Domino *Psal.*31.*v.*6. In manus tuas commendo Spiritum meum. Redemisti me Domine, Deus veritatis. Stephani precatio hæc est, *Act.*7.*v.*59. Domine Jesu suscipe Spiritum meum. Apostolus Paulus animam suam nominat depositum, 2. *Tim.*1.*v.*12. Scio, cui credidi, & certus sum: quia potens est depositum meum servare in illum diem. Christus latroni in cruce promittit non Purgatorium, sed Paradisum, *Luc.* 23. *v.* 43. Hodie inquiens, mecum eris in Paradiso. Idem promisit Christus omnibus fidelibus, *Joh.*14.*v.*3. Accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis, *Joh.*17.*v.*24 Pater quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, & illi sint mecum. Apostolus igitur dicit, 2. *Cor.*5.*v.*2. In hoc genimus domicilio nostro, quod è cœlo est, superindui desiderantes, *Philip.*1.*v.*21. Mihi vita Christus est, & mors lucrum, *vers.*23. Cupio dissolvi, & esse cum Christo. At num ingressus in purgatorium est lucrum, *Rom.* 14.*v.*7.8. Nullus nostrum sibi ipsi vivit, & nullus sibi ipsi moritur. Nam sive vivimus, sive morimur, Domino morimur. Sive igitur vivamus, sive moriamur, Domini sumus. Itaque beati mortui amodò, *Apoc.*14.*v.*13. Itaque quos Christus rediens ad judicium vivos deprehendet non abjicientur in Purgatorium, sed rectà immittentur in vitam æternam, *Matth.*25.v.34. Venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis ab exordio mundi.

21. 6. Quod peccavit & peccatis est pollutum, illud secundum Pontificios abiicitur in Purgatorium, ut ibi patiatur, & à peccato purgetur. Atqui totus homo constans non solâ animâ, sed etiam corpore peccavit. Ergo & ipse totus, adeoque corpus ipsius abiicitur in Purgatorium, ut ibi patiatur. At corpus hominis post mortem non patitur, sed quiescit in cubiculo suo, *Esai.*26.*v.*20. *cap.* 27. *vers.*2.

22. 7. *Justinus Martyr. in lib. quæst. & Resp. ad Orthod. quæst.*73. Post exitum animarum è corpore, inquit, illico justi ab injustis segregantur. Abducuntur enim ab Angelis ad condigna sibi loca. Ac justorum quidem animæ in Paradysum, ubi consuetudine, & conspectu fruuntur Angelorum, & Archangelorum; Per visionem autem & ipsius servatoris Christi, pro eo atque dictum est.

Peregre

Peregrè absumus, & præsentes adsumus apud Dominũ, Injustorum autem animæ in ipsius orci loca, pro eo, atque dictum est de Nabuchodonosore, Rege Babylonis: Infernus subter exacerbatus est in occursum adventus tui &c. *Chrysostomus Hom. 2. de Lazaro.* Omnia hic dissolve, ut citra molestiam illud videas tribunal. Donec hic fuerimus, spes habemus præclaras: Simul ac verò discesserimus illuc, non est posteà in nobis situm pœnitere, neque commissa diluere, *Cyprianus Martyr contra Demetrianum tract.* 1. Quando isthinc excessum fuerit, nullus jam locus pœnitentiæ est, nullus satisfactionis effectus. Hîc vita aut amittitur, aut tenetur: Hic saluti æternæ cultu Dei, & fructu fidei Providetur: In isto adhuc mundo manenti pœnitentia nulla sera est, patet ad indulgentiam aditus, & quærentibus, atque intelligentibus veritatem facilis accessus est. Tu sub ipso licet exitu, & vitæ temporalis occasu pro delictis roges Deum, qui unus & verus est, confessionem, & fidem ejus agnitionis implores, venia confitenti datur, & credenti indulgentia salutaris de divina pietate conceditur, *& ad immortalitatem sub ipsa morte transitur. Bernhardus in sententiis moralibus.* Tria, inquit, sunt loca, Cœlum, terra, infernus, & habent singula habitatores suos, Cœlum solos bonos, terra mixtos, infernus solos malos.

23. Clarissimam illam lucem extinguere conantur Pontificii, qui potius Cœlum, quod jamdudum aliàs vendiderunt, sibi eripi paterentur. Eckius scribit De Purgatorio Tit. 25. *Purgatorium esse satis constat ex scriptura, Ecclesia, Patribus.* Bellarminus lib. 1. de Purg. c. 3. quinque argumentorum generibus idem obtinere studet, utpote ex scriptura, conciliis, Patribus, ratione. *Locum scripturæ primum petit ex 2. Mac. c. 12. Vbi posteaquam scriptura narravit, Judam Machabæum misisse in Hierusalem 12000 drachmarum argenti in sacrificia pro mortuis expendenda, subjungit: Sancta ergò, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur. Itaq; non expiantur semper in morte omnes peccatorum reliquiæ. Nam isti, pro quibus orari jussit, mortui erant morte violenta, & pro religione, tamen credebat Judas adhuc, illos non plane esse purgatos. Itaq; fuerunt neq; in inferno, neq; in Cœlo, sed in Purgatorio.*

24. Resp. 1. Liber ille est Apocryphus. Nihil igitur ex eo in controversiis potest probari, nec fidei Articulus in eo habet se-

dem. 2. Pro quibus sacrificium jussit offerri Judas, illi aut pœnitẽtiam egerunt, aut sine pœnitentiâ discesserunt. At magis veritati consentaneum est, illos sine pœnitentiâ discessisse, quia aurum, & donaria idolorum sub tunicis interfectorum sunt inventa, quæ si pœnitentiam egissent, à se abjecissent. Jam verò negant ipsi Pontificii, posse homines à peccatis absolvi per sacrificia, qui non actâ pœnitentia mortui sunt. Locus igitur iste nihil patrocinatur Pontificiis. Si pœnitentiam egerunt; bonam habent dormitionem, & propterea non cruciantur. Si non cruciantur, non sunt in purgatorio. 3. Judas, quicquid fecit, ex propriâ, & privatâ intentione sine omni fundamento Scripturæ fecit. At non faciamus singuli, quod nobis rectum videtur, sed ea, quæ præcepit Dominus, nihil addentes verbo, nihil ex eo auferentes, *Deut.* 4. 12. 4. Varia narrat Moses sacrificiorum genera à Deo præscripta; Sed nusquam mentionem facit sacrificii prodefunctis offerendi. 5. Nullis documentis adversarii ostendere possunt subsequentib. tẽporib. *sacrificia* pro defunctis fuisse oblata. Si verò Macchabæi factum illud justum judicassent, & purgatorium credidissent, sacrificandi actum, & morem non intermisissent. 6. Facta hæc sunt sub inclinatione religionis Israëliticæ cum omnia ad interitum vergerẽt. 7. Ne verbulo ignis purgatorii meminit liber Macch. Author n. non dicit, animas ante mortuorum resurrectionem detineri in Purgatorio, ex quo per sacrificia sint liberandæ, sed potius resurrectionis mentionem facit, & ne in eâ propter admissum peccatum, cũ impiis damnentur, ideò sacrificium pro ipsis instituit. 8. Differẽtia etiam est magna inter sacrificium Judæ, & Pontificiorum. Nam Judas obtulit aurum, & argentum; sed sacrificuli, ajunt, se ipsum offerre Christum. 9. Non incõveniens est eorum sententia, qui censent, Judam toti populo voluisse consultum, cum memoriâ teneret, quid propter unius Achabi peccatum accidisset, ne & hoc ipsi evenitet, peccatum hoc modo ajunt voluit expiare.

25. *Locum secundam petit ex Tobiæ 4. Panem tuum, & vinum super sepultorum justi constitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus. Hujus loci sensus est; Instrue convivium, & voca fideles pauperes, ut ipsi posti acceptam eleemosynam orent pro animâ defuncti.*

26. Resp. 1. Argumentatur Bellarminus à baculo ad angulum: Quæ

Quæ enim ratio consequentiæ: Veteres panẽ & vinũ super sepulchra constituerunt, ut pauperes reficerentur. Ergo fecerunt, ut orarent pro defunctis? 2. Tobias ne verbulo purgatorii meminit, è quo animæ piè defunctorum liberari possint; Sed tantum dicit, panem tuum, & vinũ super sepulturã justi constitue. 3. Tobias vult simpliciter hoc fieri debere super sepulchra quorumlibet. Non enim distinguit inter justos, & injustos, pios, ac impios; Pontificii verò nolunt, omnes omninò homines, in primis fideles, & justos in purgatorium detrudi; Sed hos absque Purgotorii flamma salvari ajunt. 3. Respicit Tobias ad morem istius seculi, & populi: Ditiores enim, quia suæ in exequiis admonebantur mortalitatis; ideò panem & vinum super sepulturam pro pauperum refectione, & sublevatione ponebant, ut hi pro felici & placida ex hac miseriâ emigratione Deum rogarent. Horum enim preces plurimum habere ponderis arbitrabantur.

26. *Tertium locum sumit ex* 1. *Reg. ult. Vbi legimus habitatores Jabes Gâlaad audita morte Saul, jejunasse septem dies. Et* 2. *Reg,* 1. *David flevit, & jejunavit pro Saule, & Jonatha, & aliis occisis quod idem fecit pro Abner.* 2. *Reg.* 3.

27. Resp. 1: Ægiptii fleverunt mortem Jacobi dies septuaginta *Gen.* 50. Totus Israel obitũ Aaronis dies 30. *Num.* 20 similiter obitũ Mosis, *Deut.* 30. Num igitur & isti in ignem purgatorium sunt collocandi? 2. Saulus in peccatis sine pœnitentia est mortuus. Ergo nõ in Purgatorium, sed ad inferos est detrusus. Ipsi enim statuunt Põtificii, impios, qui sine pœnitentiâ moriuntur non ingredi Purgatorium, sed rectâ ad infernum migrare. 3. Cives de Jabes in Gilead jejunio septiduo suum dolorem, & observantiam in Regem à quo multa beneficia acceperant, declarare voluerunt. David jejunavit, quod Rex Saul unctus Domini, ob officii majestatẽ reverendus una cum filio piissimo Jonatha ab incircumcisâ gente esset trucidatus. Deflet idem Abnerũ, non ut eum è Purgatorio liberet, sed ut planctu, fletu, & lugubri carmine testetur, se inscio, & non consentiente, homicidium illud factum esse.

28. *Instat Bellarminus, huc spectat, inquiens, solicitudo Patriacharum, qui cupierunt in terra promissionis sepeliri, Gen.* 47. *&* 50. *nimirum ut essent participes precum & sacrificiorum, quæ ibi offerebantur.*

29. Resp.1. Num sanctissimus illê Patriarcha, qui cum Deo locutus, qui cum Deo luctatu, s qui vicit, qui benedictionem abstulit, qui Israëlis nomen luctando, ac vincendo in verâ fide consecutus est, in Purgatorium descendit. 2. Si fuit in Purgatorio non fuit in Lymbo Patrum. 3. Sepeliri verò voluerunt in terrâ promissionis, ne posteritas affigeret animum terræ Ægypti, & negligeret redire in terram Canaan.

31. *Quartus, inquit, locus est Ps. 37. Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in irâ tuâ corripias me. In furore argui est à Deo in æternũ damnari; In irâ corripi, est puniri severè post hanc vitam ad correctionem tamen & emendationem.*

32. Resp.1. Neque quoad vocabulum, neq; quoad rem fit mentio Purgatorii. Ergo impertinenter ad Purgatorium astruendũ locus ille allegatur. 2. Si in irâ corripi est in Purgatorio torqueri, utique David vivus fuit in purgatorio, quia in irâ Domini est correptus. 3. In uno, eodemq; Psalmi versiculo commutatis tantũ verbis aliquid bis sæpe effertur, ita, ut in furore argui, & in irâ corripi, sit unum, & idem. 4. Carnis mortificationem, exercitia pietatis, ac patientiæ post mortem cessare, concedit Bellarminus. Ergo nemo post mortem ad correctionem, & emendationem potest puniri.

33. *Quintus locus est Ps. 65. Transivimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Per* AQVAM, *hoc est, per Baptismum; Per* IGNEM, *hoc est, per Purgatorium.*

54. Resp.1. Num Prophetis Domini convenit etiam purgatorium? David n. Propheta dicit, se ignem pertransisse. 2. Aut David Psalmum hunc scripsit mortuus, quia dicit in præterito, transivimus per aquam & ignem; aut prius quam vivere inciperet, purgatorii pœnis fuit subjectus, quas, postquã inlucem est editus, superavit. 3. Si ignis notat Purgatoriũ, aqua Baptismũ, prius homines pertransibunt Purgatorium, quã Baptismi lavacro Deo initiantur: Verba enim textus sunt: *Pertransivimus ignẽ & aquam.* 4. David hæc verba est locutus. Num igitur & ipse per Baptismũ transivit? Num Baptismus V. T. etiam est bonum. 5. Subjungit Psalmista: introibo in domũ tuam cum holocaustis. Num igitur homo in purgatorio perpurgatus profecturus est Hierosolymã, Deoq; holocausta oblaturus? Aut nũ animę pœnis solutę Hierosolymã revolarunt, & sacrificia

crificia in domo Dñi obtulerunt? 6. Psaltes pro liberatione ex periculis, & calamitatib. Deo agit gratias. Vocabulũ igitur ignis metaphorice pro quavis re lędente ponitur, ut & *Prov.* 16. Impius est labiis suis, quasi ignis ardens. *Ps.* 78. Juvenes eorũ consumsit ignis. Sic etiã vocabulũ aquę usurpatur pro adversitatibus & calamitatibus, magnisq; periculis. *Ps.* 18. Assũpsit me ex aquis multis. *Psal.* 69. Serva me Domine quoniam aquæ venerunt usq; ad animam meam, veni in profundo aquarum.

35. *Sextus locus est Es.* 4. *Purgabit Dominus sordes filiorũ, & filiarũ Sion, & sanguinem emundabit de medio eorum spiritu judicii, spiritu cõbustionis.*

36. Resp. 1. Loquitur Propheta, non de purgatorio, sed de Messiâ, ejusq; beneficiis, nimirum de Purgatione à peccatis, & sordib. Nam *v.* 2. dicit: *In die illa erit germen Domini pulchrum, & glorioſum.* Germen v. Domini significat ipsum Messiam. 2. *v.* 3. dicit Propheta *Et erit qui reliquus fuerit in Zion, ac superstes in Hierusalem, vocetur sanctus.* Nomine Zion, & Hierusalem intelligitur N. T. Ecclesia, quæ cum sit sancta purgatoriis pœnis non indiget. 3. *v.* 4. addit: *Vbi Dominus abluerit sordes filiarum & filiorũ Sion.* h. e. interprete Apostolo: Christus dilexit Ecclesiã suam, & semetipsum exposuit pro illâ, ut eam sanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo. 5. Purgatio, cujus Propheta meminit, allegatur ut beneficium. At Purgatorium papisticum non est beneficium, sed supplicium.

37. *Locus septimus est Esa.* 9. *Succensa est quasi ignis impietas & spinas devoravit.*

38. Resp. 1. Propheta dicit *quasi* ignis. Intelligit igitur non ignem materialem, cujusmodi Pontificiis est ignis Purgatorius. Non Purgatorium, sed *impietas* dicitur ignis iste: Hæc n. terrã longe, lateq; depascit, veluti ignis depopulatur urbes domos. &c 3. Vaticinatur Propheta de populo planè impio. Num igitur iste in Purgatorium est locandus? 4. In sequentibus versiculis describit summum inter fratres, & conjunctissimos dissidiũ quorũ unus devoraturus est alterũ. Num igitur in Purgatorio futura est mutua animarũ laniena? 5. Loquitur verò Propheta de fatalib. pęnis, quib. Dñs ingratũ populũ est afflictur⁹ partim p hostes exteros, partim p civilia dissidia.

39. *Locus octavus est, Mich.* 7. Ne læteris inimica mea: Nam si cecidi, resurgam, cum sedero in tenebris iram Domini portabo. &c.

37. Resp. Describitur istis verbis Tyrannis, & subsannatio prepotentum contra Ecclesiã cruce oppressá. agit igitur locus iste de populo Dei, nõ ut ille cruciari fingiturin Purgatorio, sed ab hostib. divexatus in hoc seculo, Dñi opem sub cruce patienter exspectat. Horum igitur congregationem, tanquãmalignantium Synagogam affatur populus Dei, ne de Hebræorũ infortunio lætetur tam effusè. Fore enim ut inlucem producatur.

38. *Locus nonus est Zach. 9. Tu autem in sanguine Testamenti eduxisti vinctos tuos de lacu in qua non est aqua.*

39. R. 1. Agit Zacharias de Redemptione nõ solius animæ, sed totius hominis: Inde *vinctos* eos nominat. Homines verò sunt vincti, nõ duntaxat animâ, sed & corpore. 2. Vaticinatur Propheta de tali beneficio, ꝙ non nisi Christo, & sanguini ejus adscribi potest. *Sanguis enim Testamenti* nihil significat aliud, quam sanguinem filii Dei. At Pontificii contendunt educi animas è purgatorio per indulgentias, & sanguinem Martyrum. 3. Locum igitur hunc S. S. *Matt. 21, v. 5* de primo Messiæ adventu explicat.

40. *Locus decimus est Malach. 3. Ipse sedebit, quasi ignis conflans, & purgabit filios Levi, & colabit eos.*

41. R. 1. Propheta agit non de mortuis, sed de vivis teste ipso Bellarmino. Ergo ineptè ex eo loco infertur purgatorium. 2. Vaticinatur Propheta de Ecclesiæ Doctoribus omnibus, sive de piis omnibus. Num igitur illi omnes in purgatorium sunt abjiciendi. 3. Vera loci expositio est, Messiam venturum ad suũ templũ, & impia Judæorum dogmata damnaturum, ac Apostolos, & præcones verbi á scoriis & falsa doctrina probe purgatos missurum.

42. Adducit deinde Bellar. testimonia quædam ex N. T. & ex eis opinionem suã probare annititur: Examinabimus nõnulla. *Primus igitur locus est Matt. 12. v. 32. Vbi dominus dicit esse quoddã peccatum quod neq; in hoc seculo remittitur neq; in futuro, nimirum per orationes & suffragia: & pro consequens dari purgatorium:*

43. Resp. 1. Evangelista Marcus verborũ Domini (neq; in hoc seculo, neq; in futuro) per hanc æquipollentẽ reddit formulã c. 3. *Non habet remissionem in æternum*; quia blasphemia in Spiritum S. adjunctã habet indurationem. Nõ pœnitet n. eos delicti unquam. 2. Quæ per distributionẽ in partes explicantur, auctiora videntur, quam

q̃ q̃ totius appellatione designãtur. Nõ est igitur otiosa: Pertinet n. ad exaggerationẽ diuini judicii: Et exaggerationes pdistributionẽ in partes explicatæ majores in cordib. auditorũ radices relinquũt.

43. *Secundus locus est*, 1. *Cor.* 3. *Ipse autẽm salvus erit, sic tamen quasi per ignem, h.e. per purgatorium.*

44. Resp. 1. Agit Apostolus, non de igne corporali, & materiali, cujusmodi Põtificiis est ignis purgatorii; sed de igne metaphorico, seu allegorico. Nam dicit *quasi per ignẽ*. Et aurum, argentũ, lapides preciosi, lignũ, stipulæ, fœnũ Metaphoricè intelligũtur. 2. Apostolus huic igni subjicit, non tantum stipulas, fœnum, & ligna examinanda; sed etiam gemmas, aurum, & argentum; Non intelligit igitur ignem purgatorii, cui sana non subjiciuntur dogmata. 3. De tali agit igne, qui nullo modo potest evitari: *Vniuscujusq; opus, inquit, quale sit ignis probabit.* At pontificii statuunt, ignem Purgatorii posse multis modis evitari, & ei non assignant sanctos Dei Martyres. 4. Non dicit purgabit, sed probabit. 5. Intelligit igitur ignẽ non pontificiæ purgationis, sed tentationis, & probationis, cujusmodi sunt sanctorum in hac vita tribulationes, & persecutiones.

45. *Tertius locus est*, 1. *Cor.* 15. *Quid faciẽt, qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgent. Intelligendum illud est de mortuis, qui sunt non in cœlo, & inferno, sed in purgatorio.*

46. Resp. 1. Institutum Pauli non est, agere de purgatorio sed de Resurrectione. 2. Ex hypothesi Pontificiorum sic scribendum fuisset Paulo: Quid faciunt ii, qui baptizantur pro mortuis, si animæ illorum in Purgatorii igne nõ sunt. 3. Loquitur Apostolus non de Baptismo pro alio facto. Nemo n potest p altero Baptizari: Et si de tali Baptismo verba faceret, Marcionistarum hęresin approbaret. 4. Si sententia dicti Apostolici genuina est, quod quidã baptizari voluerint pro mortuis, ut ex igne purgatorii liberarentur alii, qui fit, quod hic ritus apud Jesuitas non adhuc sit in usu? 5. Error committitur in translatione, cum ὑπὲρ νεκρῶν exponitur pro mortuis. Nam ὑπὲρ cũ Genitivo non tantũ significat pro, sed etiã super supra. Plato ὑπὲρ γῆς, quod non significat pro terra, sed super terrã: Rectius igitur hic locus exponitur supra mortuos, seu supra sepulchra mortuorum, ita ut sit sensus, quosdam voluisse baptizari supra mortuos ad testificandam de Resurrectione fidem.

48. Reliqua testimonia malè, & ineptè à Pontif. ad Purgatorĩ

detorsa in Disp. examinabimus. De Conciliorũ, & Patrum authoritatib. partim in prodromo, partim alibi egimus. De accidentibus Purgatorii non est, quod agamus, cum ipsum Purgatoriũ fabulis, & figmentis Poëticis annumeremus. De igne infernali in præcedenti Disp. ex Scriptura contulimus.

49. Quæstio secunda: *Num suffragia Ecclesiæ prosint defunctis?*

40. Resp. *Bellarm. lib. 3. de Purg. cap. 15.* contendit, suffragia Ecclesiæ defunctis prodesse. *c. 16.* Tria inquit, sunt genera suffragiorum: Sacrificium Missæ, oratio, & opera quælibet pœnalia, & satisfactoria, ut eleemosyna, jejunia, peregrinationes, & similia.

50. Absurdam & impiam esse hanc Pontificiorum assertionẽ, probamus 1. *A remotione subjecti*: Nam fabulosa esse, quæ de purgatorio suo scribunt Põtificii, in præcedenti quæstione ostẽdimus. Ergo nemo in illo suffragiis piorum juvatur. 2. *A tempore pœnitentiæ, ejusq; termino*: Universum n. tempus consequendæ veniæ & liberationis à peccatis, & peccatorum pœnis circumscriptum est hujus vitæ terminis. Ergo post mortem nullus datur pœnitentiæ locus. 2. *Cor. 6. v. 2.* Ecce NUNC tempus acceptum, ecce NUNC dies salutis. *Gal. 6. v. 10.* Operemur bonũ DUM TEMPUS est, *Heb. 4. v. 7.* Hodie si vocem ejus audieritis &c. 1. *Cor. 7. v. 24.* Tempus est breve.

52. 3. *A termino temporis gratiæ*: In morte desinit tempus gratiæ. Ergo nulla post eã vel mutatio, vel liberatio est speranda *Heb. 9 v. 27.* Constitutum est hominibus semel mori; Post autem judicium. 4. Apostolus igitur dicit 2. *Cor. 5. v. 10. In novissimo die quisq; reportabit ea, quæ facta sunt per corpus.* Itaq; non post mortem extra corpus, nec juxta id quod animæ corporibus solutæ in igni purgatorio finguntur vel agere, vel pati. 5. Itaque unusquisq; onus suum portabit, *Gal. 9.* De oleo suo dare non possunt virgines prudentes virginibus fatuis, *Matt. 25.* Mortui igitur aliorum neque suffragus, neque operibus juvantur.

52. *Sed remittunt nos Pontificii ad communem consuetudinem. Nam communiter receptum est, ut precationes fiant pro defunctis.*

51. Resp. Bene precati sunt veteres defunctis, & preces fuderunt, non ut eos ex purgatorio liberarent, sed ut istæ inservirent admonitioni viventium, consolationi lugentium, & declarandis animorum ergo defunctos affectibus.

FINIS DISPVTATIONIS XXII.

DE PAPISMO

DISPVTATIO XXIII.

Et quidem in specie

DE

SANCTORUM VENERATIONE

PRIOR

In qua

Christo Duce & auspice Christo

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS GISENII,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS,

ET ORDINARII IN INCLY-

ta Academiâ Gissenâ Pro-

fessoris,

RESPONDEBIT

Johannes Cottmannus Hervordiâ-

Westphalus

In Auditorio Theologico ad diem 26. Martii horis antemeridianis & pomeridianis.

GIESSÆ,

Typis exscribebat Casparus Chemlinus.

cIↃ IↃ cXVIII.

Strenuo ac Prænobili Viro

Dn. HENRICO à **Ledebaur** / hæreditario in **Koninckbrucken** & **Kerndthorst**/ fautori & promotori suo perpetuùm honorando

Exercitationem hanc Theologicam observantiæ & gratitudinis Ergò

Offert

Respondens.

DISPUTATIO VIGESIMA TERTIA QUÆ EST DE VENERATIONE SANCTORUM

PRIOR

THESIS I.

DEvenimus ad eam Ecclesiæ partem, quæ dicitur esse in cœlis, cujusmodi sunt sancti piè defuncti, Controversias igitur inter Protestantes, & Pontificios de his, & iis, quæ ad sanctos pertinent, ostendemus, & veram sententiam confirmabimus, falsam breviter refutabimus.

SENTENTIA PROTESTANTIUM.

2. Quæstionis igitur status principalis hic est: *Num sancti religiosè, suppliciter, ac fiduciaiter sint invocandi, adorandi?* Negant Protestantes; Affirmant Pontificii.

3. In prædicatione verò hac (*Sancti sunt invocandi*) partes bene sunt evolvendæ.

4. Subjectum prædicationis est (*Sancti.*) Qua appellatione utimur vel generaliter, & abusive, vel specialiter, & propriè. *Generaliter appellatur sanctus totus visibilis Ecclesiæ Cœtus, Rom. 1. v. 7. 1. Cor. 1. v. 2. Eph. 1. v. 1.*

5. *Specialiter & propriè sunt sancti*, qui sunt sanctificati, & justificati per nomen Domini Jesu, & Spiritum Dei nostri, 1. *Cor. 6. v.* 11. Ut sint sancti sanctitate Christi, qui factus fuit nobis sapientia à Deo, justitia, sanctificatio, & redemptio, 1. *Cor. 1. v. 30.* Et quidem sancti sanctitate Christi non putativâ, & imaginariâ, sed per fidem imputatâ, *Rom. 4. v. 6. 7.* Et sint sancti in hac vita inchoativè, *Luc. 1. v. 74. 75. 1. Pet. 1. v. 15.* In futura vita, consummativè, in quâ non videbimus

debimus per ſpeculum, ſed Deum á facie ad faciem.

6. Itaq; non tantum ſunt ſancti, qui cum Chriſto in Cœlo vivunt, & perpetuo gaudio fruuntur, Sed etiam, quibus verâ fide meritum Chriſti imputatur, atq; ſic fide in Chriſtum ſunt ſanctificati, & Deo in ſanctitate, & juſtitia coram ipſo ſerviunt, *Luc.1. v.74-75. Joh.17.v.17.20. Act.15.v.9.1.Pet.1.v.15.*

7. Quare immensé errant Pontificii, qui ſolos ſanctos appellitant mortuos, excepto Pontifice, qui ab ipſis ſalutatur ſanctiſſimus, cum tamen poſſit eſſe hæreſiarcha, catervatim ſecum ducere innumerabiles populos primo munupio gehennæ cum ipſo plagis multis in æternum vapulaturos, atque ita fatente Coſtero poſſit eſſe mancipium Diaboli.

9. Errant iidem ſanctos canonizantes, & de ipſis ex canonizatione judicantes. Canonizationis n. ſanctorum nullum legitur in Scriptura iotâ Et unde ea eſt poteſtas Papæ?

9. Prædicaum dictæ Enunciationis eſt (*ſunt invocandi*) Invocare verò eſt in auxilium vocare, & ſubſidium petere. Quigitur à nobis invocatur, noſtras preces exaudire, nobiſque ſuccurrere poſſit, oportet, Invocamus igitur, in quem credimus, & fiduciam collocamus, *Joel,2.v.32. Rom.10.v.13.14.* Omnis, qui invocaverit nomen Domini ſalvus erit. Quomodo ergò invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Itaq; invocare, & adorare ſunt ſynonyma, & primæ Decalogi tabulæ cultus.

10. Magna igitur eſt differentia inter τὸ honorare, & adorare. Differunt enim ut genus, & ſpecies, ut latius, & anguſtius. Et neceſſariò diſtinguendum eſt inter reverentiam, quæ magnis exhibetur viris geniculatione, aut inflexione corporis, quæ in V.T. ſæpe vocatur adoratio, & adorationem, qua genua flectuntur cordis, de quâ inter Proteſtantes & Pontificios eſt controverſia. Vel: Adoratio alia eſt religioſa; alia politica: Alia Spiritualis; alia moralis ſeu civilis: alia interna; alia externa: alia corporis; alia cordis.

11. Adoratio religioſa, & ſpiritualis debetur ei, qui eſt omniſcius, & omnipotens. *Omniſcius eſſe debet*, ut poſſit audire gemitus cordis noſtri. *Debet eſſe omnipotens*, ut poſſit nobis ſuccurrere, noſque ex periculis eripere. Unde pii in precibus ſuis refugiunt

ad

ad omnipotentiam, atq; hac consolatione sese erigunt, quod, quem invocant, succurrere possit.

12. Itaque solus adorandus est Deus, *Esa.45.v.23.* Mihi curvabitur omne genu, & jurabit omnis lingua. *Matt. 4. v. 10.* Dominum tuum adorabis, & illi soli servies.

13. Sancti piè defuncti, meritò honorantur prædicatione virtutis, quâ à Deo fuerunt donati, & imitatione pietatis, quâ claruerunt; At contrà scripturam religiosè, suppliciter, & fiducialiter invocantur.

SENTENTIA PONTIFICIORUM.

14. Neminem dum vivit, audemus vocare Sanctum, nisi cum pervenerit ad gloriæ æternæ portum, ac sanctæ, & inculpatæ vitæ certa, & clara reliquerit testimonia, *Salmeron Tom.13.pag.304.*

15. Sanctissimi nomen summo duntaxat Hierarchæ, Episcoporum Episcopo Pontifici Romano tributum est. Si mores minus quandoq; sint sancti, sancti ac etiam sanctissimi aliis de causis debitus titulus denegari non potest. *Lorinus Jesuita in Acta Apostolorum pag. 443.* Neq; enim propter sanctitatem vitæ omnes sanctissimos vocamus, sed propter fastigium Apostolici gradus, in quo sunt, & propter dignitatem summam cathedræ Petri, in quâ sedent, *Franciscus Turrianus de Ecclesia pag.272.*

16. Qui verò canonizantur, inscribuntur in Catalogo Sanctorum, id est, statuitur, ac jubetur, ut ab omnibus publicè habeantur, & dicantur sancti, *Bellarminus lib. 1. de sancti Beatit. cap. 7. Canonizatio igitur nihil est aliud*, quàm publicum *Ecclesiæ testimonium de vera sanctitate, & gloria alicujus hominis jam defuncti: Et simul est judicium, ac sententia, qua decernuntur ei honores illi, qui debentur iis, qui cum Deo feliciter regnant*, Bellarminus ibidem.

17. Aliud est latria, & aliud dulia: Sancti licet non sint adorandi latriâ: Tamen venerandi sunt dulia, *Eckius in Encqir. p.88.*

18. Offerunt enim Deo preces Ecclesiæ prostrati in terram, id est precibus suis nostras preces juvantes, Deoq; commendantes, *Costerus pag.460.*

19. Quare sancti, ut amici Dei sint implorandi, ut pro nobis intercedant, Eckius in Enchi. p.88.

20. Disceptatio igitur est de ipsis sanctis, & de cultu ipsis deferendo: Quinam videlicet sint sancti, & nunc cultus religiosus ipsis sit deferendus?

21. Quæstio prima: *Quid de Canonizatione Sanctorum defunctorum sit statuendum?*

22. Resp. 1. Canonizationem Sanctorum ignorat scriptura. 2. Ignoravit eam Antiquitas. 3. Circa annum Christi 880, Hadrianus jus canonizandi usurpavit, quod ab Alexandro III. Pontifice est confirmatum. 4. Quidam ex Sanctorum numero, qui apud Pontificios] invocantur, nunquam in rerum fuerunt naturâ. *S. Georgium*, qui fertur Draconem interfecisse, atque ita virginem liberasse, quemque τροπαιοφόρον Gretserus contra Steinium appellat, inter mortales nunquam fuisse, probatorum historicorum arguit silentium. De *Christophoro* Gigante duodecim ulnas cubitosque alto fabulantur Pontificii, quod Christum revera per mare portarit. Quis verò ostendere poterit, quo seculo, quibus in terris, quo sub Imperatore vixerit? *Catharinam* ubi, & quando vixisse, & in supplicio suo lac loco sanguinis emisisse, non ex fide dignis discimus scriptis; sed ex papisticis fabulis.

23. 5. Sancti in scripturâ dicuntur non tantum piè defuncti, sed etiam vivi *Psal.* 16. *v.* 3. Sanctis, qui sunt in terrâ. *Psal.* 31. v. 24. Diligite Dominum omnes sancti ejus. *Eph.* 5. *v.* 3. Omnis immundities, aut avaritia ne nominetur in vobis, sicut decet sanctos, *Colos.* 3. *v.* 12. Induite vos sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiæ. *Augustinus in Psal.* 85. Fidelis in Christo, inquit, & membrum Christi, si te non dixeris esse sanctum, ingratus es: Dic Deo tuo, *sanctus sum*, quia tu dedisti, non quia ego merui.

24. 9. Sunt verò verè in hac vita sancti, qui imputatè & inchoatè sunt sancti, hoc est, qui sanguine Christi sunt justificati, sanctificati: Nam sanguis Jesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato, 1. *Joh.* 1. *v.* 7. conferatur th. 5.

25. 7. *Sanctissimi* appellatio uni Deo competit, qui solus est sanctus, *Esa.* 6. *v.* 3. Et Christo qui est Sanctus Sanctorum, *Dan.* 9 *v.* 24. Et appellatio *Sancti* hominib. tribuitur nō ob dignitatem, sed ob affe-

ob affectum. *Bernhardus dicit ad fratres*: Sanctum facit affectio sancta.

26. Quæstio secunda: *Num Angeli boni sint religiosè adorandi?*

27. Resp. Angelos bonos cum propter naturæ, tum propter officii, & ministerii excellentiam decet nos suspicere, & civiliter venerari: Sunt en. spiritus, & quidē administratorii in ministerium missi propter eos, qui hęreditatem capient salutis, *Heb. 1. v. 14. Bernhardus serm. de Michaele*: Eo modo, inquit, conversemur in conspectu Angelorum, ne forte sanctos offendamus obtutus. Væ enim nobis, si quando provocati peccatis, & negligentiis nostris, indignos nos iudicaverint præsentia, & visitatione suâ. *Idem Ser. II. in Psalmum, Qui habitat*: Adsunt, adsunt tibi, non modo tecum, sed etiam pro te, adsunt ut protegāt, adsunt ut prosint. Simus ergo devoti, simus grati tantis custodib. redamemus eos, honoremus eos, quantum possumus, quantum debemus: totus tamen ei reddatur & amor, & honor noster, à quo tam ipsis, quam nobis est totum unde honorare possumus, vel amare, vel amari; honorarive meremur.

28. Religiosè verò non sunt adorandi. 1. Nullum enim creatori proprium, creaturæ, qua creatura est, deferri debet. Atqui cultus adorationis est Deo proprius, *Deut. 6. v. 13. Matt. 4. v. 10. 1. Tim. 6, v. 16.* Ergo creaturæ nulli debet deferri. Angeli verò sunt Dei creatura. *Psal. 103. v. 4. Heb. 1. v. 7.* Qui creat Angelos suos spiritus.

29. 2. Angeli eò, quod sint conservi nostri honorem religiosæ adorationis oblatum respuerunt, *Apoc. 19. v. 10. cap. 22. v. 8. 9.* cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum, & dicit mihi: Vide ne feceris: conservus tuus sum. Deum adora. Ergo religiosè adorari à nobis non debent.

30. 3. Θρησκεία ἀγγέλων, hoc est, religiosus Angelorum cultus tanquam ex fictitia quadam humilitate ortus, apertissimè damnatur, *Col. 2. v. 18.* 3. Angeli Deum, & Christum, ut Dominum suum nobiscum adorant, & venerantur, *Psal. 103. v. 7. Heb. 1. v. 6. Esa. 6. Luc. 2.*

31. 4. *Augustinus de vera religione cap. 54. scribit*: Honoramus

eos,

eos charitate, non servitute, nec eis templa construimus. Nolunt n. se sic honorari à nobis, quia nos ipsos, cum boni sumus, templa summi Dei esse noverunt. Rectè itaque scribitur hominem ab Angelo prohibitum, ne se adoraret, sed unum Deum, sub quo ei esset & ille conservus. Qui autem nos invitant, ut sibi serviamus, & tanquam Deos colamus, similes sunt superbis hominibus, quibus si liceat, similiter coli volunt.

32. Urgent Pontificii exemplum Abrahami, & Lothi, *Gen.18.v.2.cap.19.v.1.* Hi enim tres, qui sibi apparebant, adorarunt Angelos.

33. Resp. Non religiosam adorationem, sed summam animi humilitatem intelligendam esse censet, *Chrysostomus Hom.41* gestibus, inquiens, & verbis magnum fervorem, egregiam animi humilitatem, summam hospitalitatem declarabat Abrahamus: Nondum enim cognoverat, unum ex illis esse Jehovam,

34. Quæstio tertia: *Num sancti homines religioso cultu sint honorandi, & adorandi?*

35. Cum igitur ne quidem Angeli, qui sunt essentiæ Spirituales, sunt administratorii Spiritus, custodiunt nos, stant coram facie Patris, eum collaudantes, sint adorandi, inferimus, multò minus defunctos homines, qui ad nos non redeunt, religiosè esse invocandos.

36. Idque in specie probamus 1. *à remotione ullius aperti fundamenti scripturæ*: Omnis enim vera & religiosa invocatio nititur divino mandato, & promissione, quo fundamento invocatio destituta ἐθελοθρησκείας damnatur, *Deut.12.v.8. 42.cap.17.v.3. Psal.106.v.39. Esa.1.v.12.cap.29.v.13. Ezech.20.v.18.19. Mich.6.v.6.7.8. Zach.7.v.5. Matt.15.v.9. Mar.9.v.6. Col.2.v.23.* Et peccati arguitur ex *Rom.14.v.23.* Fidei enim mensura est solum verbum Dei, *Rom.10.v.17.* Requiritur autem fides in primis in invocatione, *Matt.21.v.21.22. Mar.11.v.23.24. Rom.10.v.14. Jac.1.v.5.6.7.* Atqui Sanctorum religiosa invocatio destituitur expresso Dei verbo. Ergo non est vera, sed idololatrica.

37. Minoris veritatem nolens volens agnoscit Eckius *in Enchir. Tit.15.p.96.* EXPLICITE, inquiens, non est præcepta sanctorum invocatio in sacris literis. Non in V. T: Ubi populus alioquin

quin erat propensus in idololatriam : Et Patres erant in Lymbo, nondum beati, *Esa.*63. Abrabam nescivit nos, Israël ignoravit nos, Sub Evangelio etiam non fuit præceptum, ne gentiles conversi crederent, se iterum induci ad cultum terrigenarum, ut pro veteri more sanctos non ut patronos, sed ut Deos adorassent: Sicut Lycaoniæ Paulo, & Barnabæ sacrificare volebant, *Act.*14. Porrò si Apostoli, & Evangelistæ docuissent sanctos venerandos, arrogantiæ datum eis fuisset, ac si ipsi post mortem gloriam illam quæsivissent. Noluit ergò Spiritus S. *expressis scripturis* docere veneration em Sanctorum.

38. Obtendit Bellarminus lib. 1. cap. 20. de sanct. Beat. p. 918. *Quod ad mandatum attinet, inquiēs, nullum certè mandatum requiritur, quando ipsa necessitas nos impellit.* Promissio *minimè desideratur*, cum innumerabilia signa, & prodigia *ad invocationem sanctorum facta satis testentur Deum audire eos, qui sanctorum patrocinia ad impetrandum aliquid à Deo adhibent.*

39. Resp. 1. Eadem ratione invocatio Ethnicorum, commentitia numina, & idola multiplicia colentium, superstitiosorum Judæorum, atq; eorum, qui in angustiis constituti opem Dæmonum implorarunt defendi posset. 2. Necessitas, de qua fabulatur Bellarminus est nulla, Deus enim nobis Deus ad salutem, & Dominus eripiens ex morte, *Psal.*68. *v.*21. Et Christus est nobiscū usque ad consummationem seculi, *Matt.* 28. *v.*20. Estq; at dexteram Patris, & interpellat pro nobis. 3. Signa, de quibus disserit Bellarminus, rectè dixeris somnia, & Diaboli lusus ex *Deut.* 13. *v.*1. 2. 3. 4. Miracula non probant oracula. 5. Christus prius concionesnes habuit, quam miracula edidit quo ipso docuit articulos fidei clarâ, literâ esse probandos.

40. 2. *A verâ superstitiosa illius invocationis sanctorum origine:* Invocatio Sanctorum originem habet ab Ethnicis, ignoravit & improbavit eam Ecclesia primitiva, seminaria ejus prima post Apostolorum tempora rursum sunt sparsa ab Origene. Improbant igitur eam rectissimè veri Christiani.

41. Ethnici enim emortuos homines bene emeritos, & emortuas nonnullas mulieres in numerum Deorum referebant, auxiliumq; ab ipsis petebant, referente *Plinio lib. 2. cap. 7. Cicerone*

lib.2.de Nat.Deor. Eusebio *de præparat. Evangel. lib.* 2. *c.*9. Platonici inter summum Deum, & inter homines duplices constituerunt Mediatores, quorum intercessione, & opera mortalium preces ad Deum perferrentur, Dæmones nimirum, & animas defunctorum: Explicat opinionem illam *Augustinus* ex Platonicis, Apoleo, & Porphyrio *lib.*8.*de Civit.Dei.C.*14.16.17.

42. Apostoli verò opinionem illam Platonicorum improbantes docent, habere nos unum Mediatorem, & advocatum apud Patrem, Jesum Christum, qui appareat vultui Dei in cœlis, interpellans, & intercedens pro nobis, per quem habeamus accessum ad Deum addita promissione: Quicquid petierimus Patrem in nomine hujus Mediatoris, ratum fore, cui soli officium mediationis competat. Christus dicit: *Nemo venit ad Patrem nisi per me.*

43. Seminaria invocationis sanctorum inter omnes Patres, qui sparsit, primus fuit origenes: Scribit ipse Homil.3.in cantica: *Omnes sancti, qui de hac vita decesserunt, habentes adhuc charitatem erga nos, qui in mundo sunt, si dicantur curam gerere salutis eorum, & juvare eos precibus suis, atque interventu suo apud Deum*, NON ERIT INCONVENIENS; *Scriptum namq; est in Machabæorum libris ita: Hic est Jeremias Propheta Dei, qui semper orat pro populo.* Verum assertio illis temporibus fuit privata, ut idem fatetur origenes in Epistol. ad Rom, lib.2.p.343. *Jam verò inquiens, si etiam extra corpus positi sancti, qui cum Christo sunt, agunt aliquid, & laborant pro nobis ad similitudinem Angelorum, qui salutis nostræ ministeria procurant, habeatur hoc quoque inter occulta Dei nec chartulæ committenda mysteria Dei.* Quæ de ipso origene veteris Ecclesiæ sint judicia videre est apud Epiphanium Tom.2.lib,1.hæres.94, Hieronymus ad Pammachium, & Oceanum, *Origenem, inquit, laudavi interpretem non dogmatisten, ingenium, non fidem.* Item *Credite experto, venenata sunt illius dogmata, & aliena à scripturis sanctis, vim scripturis facientia.* Subsequentibus verò temporibus, & in primis his ultimis ex assertione Origenis consequentiam hanc texerunt alii, quam non agnovit origenes: Sancti in cœlo orant pro nobis: Ergo sunt invocandi.

44. 3. *A Dei proprio*: Gloria Deo propria nulli creaturæ est deferenda, *Esa*, 42. *v.* 8. *c.* 48. *vers.*11. Atqui adoratio religiosa est gloria soli Deo propria, *Deut.*6, *v.*13. *cap.*10. *v.*20. Dominum Deum tuum

tuum timebis,& illi soli servies. *Matt.4.v.10. Luc.4.v.8*, Dominum Deum tuum adorabis,& illi SOLI servies. Ubi nota particulam *solius*, non legi quidem in textu hebræo, sed ad verum dicti istius sensum exprimendum additam esse à septuaginta interpretibus, & Christo. Legitur enim in textu græco αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις Et in editione vulgata, illi *soli* servies. 1.*Tim. 6. vers.16.* Qui solus habet immortalitatem,& lucem inaccessibilem, &c. Ei honor,& imperium Ergo.

45. *Obtendis, doceri à nostris ex decreto Ephesinæ Synodi, carnem Christi esse adorandam quæ certè est creatura. Cultum igitur adorationis non simpliciter creaturæ denegari.*

46. Resp. 1. Distinguimus inter ψιλὸν ἄνθρωπον & θεάνθρωπον inter nudam carnem, & carnem deificatam: Adoramus Christum hominem, seu deferimus preces ad humanam etiam Christi naturam Deitati τῷ λόγῳ personaliter unitam quia ipsi divina Majestas, infinita dona, omniscentia, omnipotentia &c. sunt communicata. 2. Preces nostras deferimus non personæ alteri, licet alii simul naturæ, unâ precatione totum adorantes Deum & hominem.

47. 3. *A cultu religioso, qui soli debetur* Deo: Cultus enim religiosus soli Deo est deferendus, uti jam ex *Esaiæ.* 42. est ostensum. Atqui invocatio est cultus religiosus, qui soli Deo debetur, *Psal.*50 *v.*15. *Psal.*79.*v.*6. *Psal.*91. *v.*15. *Psal.*145.*v.*18. *Esai*55 *v.*6. *cap.*64.*v.*7. *Phil.*2.*v.*6. *Joël.*2. *Rom.*10. *Act.*2. Ergo.

48. 4. *A primo Decalogi præcepto*, in quo prohibemur habere Deos alienos coram vero Deo. qui sit zelotes, ac ejusmodi idololatriam graviter puniturus: Quicunq; igitur præter unum, verum Deum habet Deos alienos, ille est idololatra. At qui in necessitatibus suis invocant sanctos, ille habent Deos alienos. Ergo.

49. 5. *A confidentiâ in scriptura maledicta*, *Jer.*17.*v.*5. Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum,& à Domino recedit cor ejus. *Quicunque igitur in necessitatibus suis confidunt in hominibus, ab iisq; auxilium expectant, illi sunt maledicti. At qui sanctos religiosè invocant, illi confidunt in hominibus, & ab illis vel his sanctis auxilium expectant. Ergo.*

50. 6. *Ab orationis formula à Christo præscripta*: Nam Christus orandi Magister rogatus à discipulis suis, *Luc.* 11. *v.* 1. verum orandi modum præscribit. Si verò præter Deũ etiam sancti essent invocandi, id discipulis solicité expetentibus exposuisset, aut alibi notasset, cum omnia, quæ audivit à Patre nota ipsis fecerit, *Joh.* 15. *v.* 15. Sic igitur colligimus: *Quem Christus orandi Magister verum adorandi modum discipulis præscribens, adorare jubet, illi soli cultus adorationis est deferendus. Atqui Christus in vera adorandi formula Patrem cœlestem adorare jubet, non sanctos. Ergo.* Cyprianus scribit ser. 6. in Explic. orat. Dominic. *Aliter orare, quàm Christus hic docuit, non ignorantia sola est, sed & culpa.*

51. 7. *A requisitis, seu attributis ejus, quem religiosè invocamus*: Quem religiosè invocamus, esse debet omniscius, cordium scrutator, omnipotens, & omnipræsens. Atqui nulli sancti sunt omniscii, cordium scrutatores, omnipotentes, & omnipræsentes. Ergo.

52. Quem religiosè invocamus, *esse debet omniscius, & παρεγχώστης* ut scire possit defectus, & preces nostras, idque docetur, 1. *Reg.* 18. *v.* 27. *Psal.* 18. *v.* 7. *Psal.* 38. *v.* 10. *Psal.* 79. *v.* 11. *Matt.* 6. *v.* 6. Debet *esse omnipotens*, ut possit nobis succurrere, nosq; juvare. Inde piũ precibus suis ad omnipotentiam recurrunt, atq; hac consolatione sese erigunt, quod, quem invocant, succurrere possit, ut *Psal.* 18. *v.* 1. 2. 38. *Psal.* 46. *v.* 1. 2. *Psal.* 62. *v.* 10. 11. *Esther.* 14. *v.* 12. Deniq; qui invocatur est *omnipræsens*, idq; docetur, *Deut.* 4. *v.* 7. *Psal.* 91. *v.* 15. *Psal.* 145. *v.* 18. *Esai.* 55. *v.* 6. Ridet igitur Propheta Elias preces Sacerdotum Baalitarum, eò quod Baal invocatus non adsit 3. *Reg.* 18. *v.* 17. Cum esset jam meridies, illudebat illis Elias dicens, clamate voce majore. Deus enim est, & forsan loquitur, aut in diversorio est aut certè dormit, ut excitetur.

53. 8. *Ab eo in quem credimus, & speramus*: In quem veri Christiani non credunt, eum non debent religiosè invocare, *Rom.* 10. *v.* 14. Quomodo invocabunt eum, in quem non crediderunt? Atqui veri Christiani credunt non in sanctos, sed in Deum verum, idq; in symbolo Apostolico profitentur, credo in Deum Patrem: Et in Filium ejus unicum. Et in S. S. &c. Ergo. Proficiscí debet oratio ex verâ fide, *Jac.* 1. *v.* 6. Postulet *in fide* nihil hæsitans. *Matth.* 21. *v.* 12.

Omnia

Omnia quæcunque petieritis in oratione *credentes* accipietis. Augustinus de verbis Domini secundum Lucam Ser 36. *Vt oremus, inquit, credamus: Vt & ipsa non deficiat fides, quâ oramus, oremus. Fides fundit orationem, fusa oratio fidei impetrat firmitatem.* Fieri debet in nomine solius Christi, *Joh.* 14. *v.* 14. *c.* 23. quia nititur merito solius Christi, qui solus dicitur via ad patrem *Joh.* 14. Et ostium per quod est intrandum, Joh. 10. Fieri debet in Spiritu & veritate, *Joh.* 4. *v.* 14.

54. 9. *Ab officio Christi mediatorio*: Scriptura sacra ostendit nobis tantum unum Mediatorem, patronum, & advocatũ, Christum Jesum, in cujus nomine precari, & invocare debemus, *Joh.* 16 *v.* 22. *Rom.* 8. *v.* 34. 1. *Tim.* 2. *v.* 5. 1. *Joh.* 2. *v.* 1. *Heb.* 7. *v.* 25. Hunc advocatum omnes pii Judæi in precibus suis Deo proposuerunt, faciem suam ad templum, & propitiatorium vertentes, quod typus fuit Christi, *Rom.* 3. *v.* 25. *Joh.* 2. *v.* 21, Ut & Daniel *cap.* 9. *v.* 17. Ergo invocatio plurium Mediatorum, & advocatorum repugnat Scripturæ.

55. 10. *A mandato Christi ut ad se veniamus præcipientis.* Ad quem nos in adversitatibus constitutos Christus venire jussit, illum invocemus oportet. Atqui venire nos jussit non ad suam matrem, neque ad hos vel illos sanctos, sed directè ad semetipsum. Ergo.

56. 11. *A sanctorum recusatione*: Nullus sanctorum legitur in scriptura cultum adorationis petiisse, imò oblatum respuerunt, cũ Cornelius procideret ad pedes Petri, eumq; adoraret, respondet ei Petrus, *Actor.* 10. *vers.* 26. elevans eum & dicens, Surge, & ego ipse homo sum. Sacerdos Jovis cum vellet Paulo & Barnabæ sacrificare conscissis tunicis exilierunt illi in turbas clamantes, & dicentes: Viri cur hæc facitis: Et nos mortales sumus, similes vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit cœlum, & terram & mare, & omnia, quæ in illis sunt. *Act.* 14. *v.* 14.

57. 12. His rectè adduntur fundamenta á variis superstitionibus Ethnicis, quibus invocatio illa sanctorum est obnoxia: Ab ignoratione Sanctorum, quippe qui τὰ καθ' ἕκαστα uniuscuiusque suspiria, gemitus. & miserias omninò ignorant.

58. Quæstio quarta: *Num sancti sciant & exaudiant preces nostras?*

59. Resp. Beati in genere quidem nonnulla de statu militantis Ecclesiæ, cujus aliquando fuerunr membra, sciunt, atq; in genere absque dubio pro eâ orant; Sed τὰ καθ' ἕκαστα uniuscujusq; suspiria, gemitus, & privatas miserias ignorant. Proinde nihil ab eis ex hac vitâ à nobis ablatis impetrare possumus. Antecedens patet, 1. ex clarissimo testimonio *Esaiæ cap 63. v. 16. Abraham nescit nos, & Israel ignorat nos.* 2. Ex verbis Jehovæ, quæ nunciari jubet Dominus Josiæ, 2. *Reg. 22. v. 29. Ecce ego colligam te ad Patres tuos, & inferêris in sepulchra tua in pace, ut non videant oculi tui universum malum quod inducam super locum istum.* 3. Ex voto Hiskiæ, *Esa. 39. v. 8.* Cognoscens enim ipse prædictionem de excidio Hierosolymitano, *tantum, inquit, fiat pax, & veritas in diebus nostris, innuens posse mortuos se tantum malum non cogniturum.* 4. Ex verbis Eliæ 2. *Reg. 2. v. 9.* Ipse enim per turbinem in cœlum jam jam ascensurus, dixit *Elisæo: Postula, quod faciam tibi, antequam tollar à te.* 5. Ex verbis Jobi cap. 14. *v.* 21. Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget. Nam Ecclesiastes dicit *c. 9. v. 5. viventes sciunt se esse morituros*, mortui verò nihil noverunt amplius.

59. Torquent sese hoc loco variè Scholastici & Pontificii. *Bellarminus scribit lib. 1. de sanct. Beat. c. 20.* De modo, inquiens, quo cognoscunt, quatuor sunt Doctorum sententiæ: Quidam dicunt eos congoscere ex relatione Angelorum ascendentium, & descendentium. Alii dicunt, Sanctorum animas, sicut etiam Angelos, mirâ quidam celeritate naturæ quodammodo esse ubique & per se audire preces supplicantium. Alii dicunt, Sanctos videre in Deo omnia à principio suæ beatitudinis, quæ ad ipsos aliquo modo pertinent, & proinde etiam orationes nostras ad se directas. Nonnulli opinantur revelari eis preces nostras à Deo, quando eas fundimus videatur *Costerus in Ench. p. 454.*

60. Resp. 1 Modi illi destituuntur fundamento Scripturæ: Inde Pontificii nihil norunt certi, in quo acquiescant. 2. *Bellarminus ipse l. d.* quosdam eorum refutat. 3. Neque Angeli, inquit, neque animæ beatæ, etiamsi præsentes sint, possunt cognoscere, natura-

naturaliter preces nostras, quando solâ cogitatione oramus. Et præterea ad cognoscendas preces, quæ eodem tempore fiunt in diversissimis locis, non sufficit celeritas, sed requiritur vera ubiquitas. Sanctorum animæ non oberrant in hisce terris, sed sunt in manu Dei, sunt ante thronum Dei, ac serviunt ei die, ac nocte, *Apoc.7.v.14.* 4. Quæ fabulantur Pontificii de Trinitatis speculo, quasi sancti in Deo videant omnia, illa absque scripturâ asseruntur. Deinde cur quædam tantum videnti, & non omnia? Cur tantum illa, quæ ad eos pertinent, & non simul alia, quæ ad eos non pertinent? 5. Quæ de revelatione garriunt Pontificii, illa cum propriâ ipsorum pugnant intentione: Nam scribunt, se invocare sanctos, ut per eos ad Deum deveniant, & deducantur. *Bellarminus scribit pag.* 915. Si indigerent sancti nova revelatione, Ecclesia non diceret ita audacter omnibus sanctis: *Orate pro nobis*, sed peteret aliquando à Deo, ut eis revelaret preces nostras. Deinde non posset reddi ratio tam facilè, cur sancti nunc invocentur; & ante adventum Christi non invocarentur.

61. Quæstio quinta: *Quid sit statuendum de distinctione Pontificia inter* λατρείαν, δουλείαν, & ὑπερδουλείαν.

62. Resp. Pontificii fœditatem dogmatis sui tegere studentes distinguunt inter λατρείαν, δουλείαν, & ὑπερδουλείαν: Deum, ajunt, colendum esse cultu λατρείας; sanctos omnes cultu δουλείας: Mariam virginem cultu ὑπερδουλείας.

93. Absurda verò, quorum in assertione illâ pontificiâ notari possunt plurima, duo ostendimus. *Prius est de Pontificiorum facto.* Nam 1. Eadem devotione adorant Pontificii Mariam & reliquos sanctos, quâ adorant Deum. Quorsum igitur distinctio? 2. Spiritus non nisi in Spiritu potest invocari. Atqui animæ beatorum sunt Spiritus, quos Pontificii invocant. Ergo. 3. Religiosa invocatio tres habet actus, ut sunt intellectus suâ indignitatem, & ejus, quem invocat dignitatem agnoscentis; voluntatis fiduciam in eo, quem invocat collocantis; corporis, quo præcedentes actus declarantur. Concurrunt verò illi omnes in invocationi-

tionibus Sanctorum. Pontificiis. 4. Mixtus cultus ex divino & humano fictitius est. Et num illud, quod soli Deo competit, si non in totum tamen in tantum est attribuendum creaturis?

65. *Posterius est de ipsis vocabulis*, quæ 1. promiscuè usurpantur ita ut δουλεία Deo, λατρεία creaturis etiam tribuatur ut videre est, *Levit.* 23. *v.* 3. *Heb.* 13. *v.* 10. *Matth.* 6. *vers.* 24. *Act.* 20. *vers.* 19. *Roman.* 7. *vers.* 6. 25. *cap.* 11. *vers.* 11. *c.* 14. *vers.* 18. *cap.* 16. *vers.* 18. *Eph.* 6. *v.* 7. *Col.* 3. *vers.* 24. 1. *Thess.* 1. *vers.* 19. Inde Ludovicus vives super lib. 10. de civit Dei c. 1. ostendit ex Vallâ, Suida, Xenophonte, quod indiscriminatim λατρεία, & δουλεία, usurpentur. 2. Annon δουλεύειν, quod Pontificii hominibus attribuunt plus est, quam λατρεύειν? Servimus superioribus, colimus etiam pares.

FINIS DISPVTATIONIS XXIII.

DE PAPISMO

DISPVTATIO XXIV.

Et quidem in ſpecie

DE

INVOCATIONE SANCTORUM

Poſterior, & de ipſorum reliquiis

In qua

Chriſto Duce & auſpice Chriſto

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS GISENII,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS,
ET ORDINARII IN INCLY-
ta Academiâ Giſſenâ Pro-
feſſoris,

RESPONDEBIT
M. JACOBUS DURFELDIUS, OSNABUR-
GO-WESTPHALUS.

In Auditorio Theologico ad diem 12. Martii horis antemeridianis & pomeridianis.

GIESSÆ,
Typis exſcribebat Caſparus Chemlinus.

cIↃ IↃ cXVIII.

DISPUTATIO VIGESIMA QVARTA QUÆ EST DE INVOCATIONE SANCTORUM Posterior, & de ipsorum reliquiis

THESIS I.

PErgimus agere de Sanctorum invocatione, & ipsorum reliquiis. Sit igitur quæstio prima: *Vtrum à pontificiis Sancti invocentur tantum ut intercessores; An verò etiam, ut auxiliatores?*

2. Resp. Impiam, absurdam, & idololatricam suam esse opinionem de invocatione Sanctorum animadvertentes Pontificii, jam sæpius ex scriptura convicti; varia quærunt effugia, quibus impietatem istam nonnihil excusare conantur. Scribunt nonnulli, se sanctos invocare non ut auxiliatores, sed ut intercessores. Quemadmodum enim in aulis Principum non statim patet aditus ad ipsum Principem, sed negotia efficiuntur per ipsos, qui authoritate aliqua apud Principem valent. Ita ajunt, se sanctos invocare, ut Dei familiares, amicos, & intercessores.

3. In effugio verò illo pontificio duo reprehendimus. *Prius est de ipsa protestatione. Posterius de Mediatoris officio in Cœlo.*

4. *Quod prius attinet, dicimus simpliciter protestationem illam esse contrariam propriis ipsorum assertionibus, & ipsi facto.* Nam 1. In concilio Tridentino decretum est, ut sanctos invocemus, tanquam intercessores, & auxiliatores. Verba sess. 9. hæc sunt. *Mandat sancta Synodus, & sanctos una cū Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre, bonum atq; utile esse, suppliciter eos invocare, & ob beneficia impetranda à Deo, per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor, & Salvator est ad eorū orationes* OPEM AUXILIUMQUE *confugere.* 2. Pontificii in precib. suis meminisse solent nō

tantum sanctorum intercessionis sed etiam meritorum quorum dignitate salutem se obtinere posse confidunt. *Gabriel Biel super canone Missæ* scribit: Nos ordine a Deo instituto ad sanctorum auxilia confugere debere, ac debita veneratione eos semper implorare, ut *salvemur eorum meritis, atq; votis.* Item Fiducialiter ad sanctos recurrimus, ut eorum *meritis & precibus* ad immortalitatis gloriam perveniamus. *Longobardus lib. 4. dist. 45.* dicit: Intercedunt ad Deum pro nobis sancti, & merito, dum illorum merita suffragantur nobis, & affectu, dum vota nostra cupiunt impleri. 3. In Papatu quatuordecim numerantur, qui nō tantum intercedant, sed etiam opē ferant, ut: *Georgius, Blasius, Erasmus, Pantaleon, Vitus, Christophorus, Dionysius, Cyprianus, Achazius, Eustachius, Ægidius, Margareta, Barbara, Catharina.* 4. Certis sanctis certa assignant officia, hic sanctus in his, ille in illis dicitur juvare necessitatibus, ut Georgius in bello, Apolonia in dentium doloribus, Sebastianus & Rochus tempore pestis. 5. Cuilibet Episcopatui, Cœnobio, templo altari societati, suum præfecerunt patronum, qui defensor, & tutor salutatur. Benedictio pontificia hæc est: *Pax Domini nostri Jesu Christi, & virtus passionis ejus. signum † sanctæ crucis, integritas beatæ Mariæ virginis, Bene † dictio omnium sanctorum, Angelorum custodia, & suffragia omnium Dei electorum sint inter me, & omnes inimicos meos visibiles, & invisibiles, nunc, & semper, & in hora mortis, &c.*

5. *Posterius, quod videlicet sancti defuncti à nobis tanquam intercessores debeant invocari,* 1. Repugnat officio Christi, qui solus est mediator, & advocatus noster in Cœlo interpellans pro nobis, *Rom. 8. v. 35.* Sanctorum administrator, *Heb. 8. v. 2.* Semper vivens ad hoc ut interpellet pro nobis, *Heb. 7. v. 25.* Et appareat in conspectu Dei *Heb. 9.* Quiq; est frater noster & imbecillitates nostras novit. Num igitur ejusmodi invocemus mediatores, qui nos ignorant?

6. 2. Per Christum venimus ad Patrem. *Joh. 14. v. 6.* In ipsius nomine si rogamus Patrem, dabitur nobis. *Joh. 16. v. 23.* Ipse igitur est ostium, per quod debemus intrare, *Joh. 10.* 3. Si vel Angeli, vel beati homines, & ipsorum animæ officium Mediatoris potuissent perficere, quorsum opus erat Christo?

7. 4. Non juvat te distinctio pontificia inter mediatorem redemptionis, & intercessionis. Nam primò, *intercessio apud Deum*

valet

valet nulla absq; respectu ad meritum, & redemptionem. Unde Apostolus docet, 1. *Tim. 2. v. 5.* Unum esse mediatorem Dei, & hominum, hominem Jesum Christum. Secundò pontificii in precibus suis petunt propter merita, & dignitatem meriti Sanctorum. *Colonienses in suo Antididagmate* dicunt. Sanctos in Cœlo, quasi patronos, opitulatione apud Deum pro nobis intercedere, ita ut Deus patiatur, se misericorditer reconciliari propter merita, & intercessiones sanctorum, suaque dona nobis propter illos impertiat, *Ditenbergius* scribit: *Sanctos pro nobis intercedere nihil aliud est, quàm quod nostram causam apud Deum agant, non tam nostra, quam sua merita, & vota, pro obtinenda nostra salute offerendo.*

8. 5. Simile ex Politicis de aulis Principum allatum non est hujus loci. Nam Deus non est ut homo, *Esai. 55. v. 9. Osea. 11. v. 15.* Ab actionibus igitur humanis ad divinas non licet quovis modo argumentari. Deinde quod subditis ad Principem non immediatè semper pateat aditus, in causa sunt vel varia negotia, quibus est obtutus; vel voluptas, vel despectus pauperum, vel periculum, quorum nullum de Deo potest affirmari, qui non est de longe, sed est è vicino, *Jer. 23. v. 23.*

9. Quæstio secunda: *Num crebra salutatio, & invocatio B. Mariæ virginis sit Christiana, & Deo placeat?*

10. Resp. B. Mariam virginem verè θεοτόκον contra Nestorium agnoscimus: Beatam ob fidem, quâ verbo Dei credidit, prædicamus: benedictam in mulieribus, & muliebris sexus coronam celebramus; Sed religiosè eam invocandam non esse censemus. Tres verò errores in opinione pontificia notamus.

11. *Primus est de crebra salutatione, seu de salutatione Angelicæ* quæ his traditur verbis *Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum: Benedicta in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Jesus Christus. Sancta Maria mater Dei ora pro nobis peccatoribus, Amen.*

12. Resp. 1. ex salutatione Pontificii faciunt precationem. At Angelus non adoravit Mariam, sed eam salutavit. Christus modum precandi, & regulas precum nostrarum præscribens nullam facit mentionem hujus precandi modi. Imò in omni precatione à Deo petimus, quo indigemus. Atqui in salutatione illâ nihil à Deo petimus. Ergo non est precatio.

13. 2. Verba Angeli malè vertunt Pontificii. Nam vocabulum Græcum κεχαριτωμένη reddunt non gratiosa, sed gratia plena intelliguntque, & explicant non passivè, sed activè quasi Maria sit medium, & causa gratiæ transfundendæ jam in genus humanum, videatur *Antoninus par. 3. sum. tit. 3.* At Maria est gratiosa, non quasi distribuat, sed quod invenerit gratiam, Sic enim dicit Angelus *Luc. 1. v. 30.* Ne timeas Maria, *invenisti* enim gratiã apud Deum.

14. 3. Pontificii vocabula, *benedicta inter mulieres*, explicant quod sicut in Christo omnes masculi, ita in Maria omnes fœminæ sint benedictæ: Blasphemum hoc: Benedicta enim dicitur Maria à *fructu ventris sui* in quo omnes gentes terræ sunt benedictæ, *Gen. 15. Gal. 3.* Et quod filius Dei ex ipso sit natus, *Gal. 4.* Bernhardus dicit: *Non quod tu benedicta, ideò benedictus ventris tui fructus, sed quia ille te prævenit in benedictionibus dulcedinis, ideo tu benedicta. Vere enim benedictus fructus ventris tui, in quo sunt benedictæ omnes gentes, de cujus plenitudine quoq; accepisti cum cæteris etsi differentius à cæteris.*

15. 4. Angelus salutationis hujus habuit mandatum. Nos verò ejus mandatum habemus nullum. 5. Urbanus II. Primum decrevit, Anno Christi 1090. ut septem canonicæ horæ virgini Mariæ recitarentur: Polydorus Vergilius de Invent. rer. lib. 6. c. 2. dicit: *Ut totidem etiam horæ in honorẽ deiparæ Virginis quotidiè recitarentur, instituit Vrbanus secundus in concilio, quod in Gallis ad claromontem habuit.* Gregorius XI. ordinavit anno Christi 1240. ut præter salutationem Angelicã ave Maria, etiã salve Regina in tẽplo caneretur, & simul pulsaretur: Johannes XXII. instituit, anno 1325. ut quotidie ter pulsaretur, & quolibet dato illo companæ signo Ave Mariæ oraretur. Alanus de Rupe Monachus ordinis Domitiani excogitasse dicitur ut semel oratione Dominica recitata decies recitaretur Ave Maria. Confirmavit hoc inventum Sixtus VI.

16. *Secundus error est de religiosa invocatione Virginis Mariæ:* Nã subsequentibus temporibus accidit, ut fabulati sint Pontificii B. Mariam in Reginam cæli esse coronatam, quam coronationem describit *Antonius in quarta par sum. Tit. 15. c. 44.* sed satis fabulosè & blasphemè: Eam igitur Pontificii adorant ut Deam, & omnipotentem. Hinc sunt versiculi.

O Dea virgineo gremio complexa Tonantem,
Quæq; potes summum flectere sola Deum.

Aspice mortales placidis pia mater ocellis
Excruciant variis, quos sua fata modis.

Et plurima alia Marialia, horaria, Rosaria, officia Mariæ virginis, & collectæ sunt conscriptæ; Cujusmodi est Aloysii Lipomanni Episcopi Veronensis de vitis sanctorum: Si tu (Maria) nos deserveris, quonam, confugiemus, spiritus & vita Christianorũ; *Nullus* est, qui salvus fiat, ô sanctissima, *nisi per te*: Nemo est qui liberetur à malis, *nisi per te*, ô purissima: Nemo est, cui donum concedatur, *nisi pet te*, ò castissima.

17. Opinio vero illa pontificia de thronoß. Mariæ, ejus regno, & officio mediatorio cum aperta pugnat scriptura. Nam. 1. Christus solus Mariæ filius sedet à dextris Patris, & supra omnem principatum habet dominium *Eph* 1. *v.* 20. De nullo verò alio in scriptura id dicitur homine. 2. Christus igitur est Rex Cœli & terræ & habet imperium in Angelos, *Matt.* 28. *v* 18. *Psal.* 97. *v.* 7, *Heb.* 11. *v.* 6. *Phil.* 5. *Apoc.* 5. *v.* 11. *Apoc.* 19. *v.* 16. Nusquam id dicitur in scripturâ de Mariâ virgine. 2· Christus solus est mediator patronus, & advocatus noster apud Patrem, 1. *Tim* .2. *v.* 5. 1. *Joh.* 2. *v.* 1. Ergo non Maria virgo. Apud Filiũ verò advocato, vel patrona non opus habemus, quippe qui est ipse mediator, & nos recta ad se non ad matrẽ suam venire jussit, *Matt.* 11. *v.* 28. Itaq; cũ mater ejus stans foris & ei loqui quæreret, idq; ipsi renunciaretur respondit. Quæ est mater mea? aut qui sunt fratres mei. Et protensa manu sua in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. Quisquis enim fecerit volũtatem Patris mei, qui est in cœlis, ipse meus frater, & soror, & mater est, *Matt.* 12. *v.* 59. 50. 4. Maria non legitur adorata cum adhuc sub corde suo semen benedictum gestaret. 5. Magi adorabant Regẽ recens natum, nõ Mariã. De his vide plura in Disp. præcedente.

18. *Tertius error est de Psalterio Mariæ virginis.* In eo enim omnes fere Psalmi Davidis accommodantur ad Mariam virginem, non sine magna impietate, & blasphemia. Nam. 1. Nomẽ Jehovæ Deo proprium, atq; laus & gratiarum actio ex instinctu Spiritus S. profecta, & Deo attributa, virgini non absque blasphemia potest adscribi. Talia verò passim occurrunt in Psalmis Davidis, quæ in Psalterio Mariæ ipsi adscribuntur virgini. Ergo.

19. 2. Manifestè impiũ est defensionẽ, auxiliũ, & dona atq; beneficia, quę cęlitus dãtur, & quę Deus solus promisit, petere à vir

gine. Fit vetò illud in illo Mariæ Psalterio. Ergo. 3. Maledictus, qui fiduciam collocat in homine, *Jer.17. v.5.* Collocatur verò ea in Psalterio illo in Maria virgine. Ergo. 4. Epiphanius dicit: *Sit in honore Maria, sed Pater filius, & Spiritus S. adoretur, Mariam nemo adoret.*

18. Quæstio tertia. *Num vota sint nuncupanda sanctis ipsorumque imaginibus?*

20. Aliud est quærere de qualitate votorum, num debeant esse de rebus impossibilibus, illicitis, & verbo Dei contrariis, & aliud de ipsorum subjecto, cui videlicet sint nuncupanda. Supra egimus de qualitate votorum; hoc loco ostendemus, non sanctis, eorumque imaginibus, quibus in suis necessitatibus vovere solent Pontificii; vota esse reddenda, sed soli Deo.

21. Nam. 1. Spiritus S. in scriptura de votis agens nuspiam docet esse vota nuncupanda sanctis, sed soli Deo, cui soli etiam pii vota reddiderunt, ut; *Levit.26. Num.30. Deut.23. v.21. Gen.28. v.20. Jud.11. v.30. Psal.50. v.14. Psal.65. v.1. Psal.66. v.13.* Ergo *illi soli* vota faciamus hoc est, pietatem, & bona opera, quibus fides nostra coram hominibus lucet, promittamus.

22, 2. Nullus cultus religiosus originem habet ab Ethnicis. Atqui modus vota reddendi sanctis, eorumque imaginibus, originem habet ab Ethnicis. Ergo. Polydorus Virgilius lib. 5. de Invent. rer. cap. 1. scribit: *Consimiliter ritus offerendi cereas imagines ab iisdem (Ethnicis) est profectus.*

23, 3. Illi vota sunt nuncupanda, qui nobis in necessitatibus, & periculis potest succurrere: Siquidem votum est pollicitatio gratitudinis. Ecquis verò gratitudinem ipsi promittet, qui juvare nequit. Atqui sancti defuncti opem nobis ferre nequeunt, ut nec ipsorum imagines, *Psal.113. v.5.6.7.* Os habent, & non loquentur: Oculos habent, & non videbunt. Aures habent, & non audient. Nasos habent, & non odorabunt. Manus habent, & non palpabunt: Pedes habent, & non ambulabunt. Ergo vota illis non sunt nuncupanda.

24. 4. Religiosa pollicitatio soli competit Deo, *Psal.15.* Invoca me in die tribulationis tuæ, & ego exaudiam te, & tu glorificabis me. Atqui votum nihil est aliud, quam religiosa pollicitatio gratitudinis non tam ore, quam opere & facto declarandæ.

Soli

Soli igitur competit Deo. 5. Vovete igitur,& reddite Domino vestro omnes,qui in circuitu ejus offertis munera. *Psal.* 75.In die illa colent eum hostiis,& muneribus,& vota vovebunt Domino. *Esa.* 19.Non sanctis.

25. 6. Graviter reprehenduntur,qui alii, quam Deo fecerunt vota,nēpe reginę cęli *Jer.*44.*v.*25.26.27.Dixit Jeremias ad omnem populum, & ad universas mulieres: Audite verbum Domini omnis Juda,qui estis in terra Ægypti. Hæc inquit Dominus exercituum Deus Israël dicens: Vos & uxores vestræ locutæ estis ore vestro,& manibus vestris implestis, dicentes: Faciamus vota nostra,quæ vovimus,ut sacrificemus reginæ cœli, & libemus ei libamina.Implestis vota vestra,& opere perpetrastis ea. Ideò dicit Dominus: Ecce ego vigilabo super eos in malum,& in bonum:Et consumentur omnes viri Juda,qui sunt in terra.

26. Itaq; qui voto se sanctis, ipsorumq; imaginibus obstrinxit,irritum illud reddat,oportet. Impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur,*Causâ* 22.*quæst.*4.

27. Quæstio quarta:*Num reliquias Sanctorum cultu divino venerari debeamus,minori tamen, quam ipsum Deum.*

28. Resp.*Bellarminus lib.*2.*de Reliq.sanctor.c.*2. Nos, inquit, reliquias quidem honoramus, & osculamur, ut sacra pignora patronorum nostrorum: Sed nec adoramus, ut Deum, nec invocamus, ut sanctos, sed minori cultu veneramur, quam Sanctorum Spiritus,nedum quam ipsum Deum. Videatur etiam Concilium Trident.Sess.9.

29. Quo verò cultu Pontificii reliquias illas venerentur,declarat praxis ipsorum. Nam 1.corpora, cineres, & ossa sanctorum ex sepulchris eruunt,supra summum altare,vel in alio loco conspicuo collocant, auro, argento, serico exornant. 2. Reliquias illas per Canonizationem esse à Papa approbandas docent. 3. Approbatas in processionibus, & publicis supplicationibus esse circumferendas, ostentandas, osculandas. 4. Singularem, & meritorium esse Dei cultum, si populus reliquias propositas & ostentatas opis impetrandæ causâ tangat, spectet, osculetur, & ante illas, gestu, & animo adorabundus procidat, easque variis ornamentis, candelis, serico, corallis, &c. veneretur. 5. Sacrificium

igitur esse Deo gratum, si pretiosa illis dona offerantur. 6. Nam reliquiis illis gratiam & virtutem inesse, ajunt, cujus participes fiant qui eas colant, tangant, spectent. 7. Proinde preces, quæ fiant apud reliquias sanctorum Deo esse acceptiores, ut quorum meritis precantes opem impetrent. 8. Peregrinationes igitur ad loca illa in quibus reliquiæ illæ conservantur, esse suscipiendas, ut ibi opis impetrandæ causa invocentur. 9. In juramentis reliquias sanctorum esse tangendas, ut religio jurisjurandi inter Deum, & sanctos dividatur. 10. Plurimùm ad Sacramenti Eucharistię sanctitatē conferre, si in altari reliquiæ Sanctorum inclusæ habeātur. 11. Singulari devotione, & fiduciâ ad Deum in collo eas esse gestandas.

30. Contra superstitiones illas pontificias docent Protestantes, quod aliud sit honorare, & aliud religioso cultu venerari: Nō negam⁹ reliquias sanctorū in genere esse honorādas, h. e. non contemptim, vel irreverenter, & irreligiosè habendas; At pernegamus eas esse religioso cultu venerandas. Honoramus illas, 1. honestè eas terræ demandando, *Syr.* 38. *v.* 16. *Psal.* 34. *v.* 21. *Psal.* 116. *v.* 15 2. Honestam sanctorum mentionem faciendo, *Psal.* 112. *v.* 6. 3. Eorum virtutes ad exemplum proponendo. Notat *Dn. Chemnitius part.* 4. *de Reliq. sanct.* in scriptura corpora piorum dupliciter considerāri proponi 1. quatenus sunt corpora peccati & mortis. 2. quatenus per gratiam in hac vita in spe fiunt, & qualia post hanc vitā in gloria sint futura. Eodem modo ostendit scripturam loqui de pulchris, & cadaveribus piorum, 1. quatenus sunt per se, & sensibus patent: Inde docet Christus, *Matt.* 22. Sepulchra quidem foris apparere speciosa; Intus vero plena esse ossibus mortuorum. 2. Cujusmodi sunt ex gratia coram Deo in fide, & spe, Psal. 116. Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum.

31. *Quod verò reliquiæ sanctorum more papistico, non sint religioso cultu venerandæ, adorādæ, & in necessitatibus invocandæ, vel etiam candelis, serico, corallis, aliisque ornamentis cultus gratia decorandæ, & ad majorem juramentorum religionem adhibendæ*, ex invictis constat fundamentis. Nam 1 Religiosum id esse nequit, cujus nullum habemus mandatum divinum. Religiosa, & divina à Deo sint præscripta, oportet. At de superstitioso illo cultu reliquiarum nullum extat mandatum. 2. Quod à Deo est præscriptum, & Deum habet au-

thorem

thorem in cultus ratione, id non caret exemplis scripturæ. At de reliquiis sanctorum cultu religioso honorandis nullum legitur exemplum scripturæ.

32. 3. Cujus non extat divina promissio, ejus non est speranda divina efficacia. Atqui de virtutibus reliquiarum sanctorum nulla extat divina promissio. Ergo.

33. 4. Ad quem nos in rebus adversis versantibus remittit scriptura sacra, ejus opem imploremus, eumq; religiosè invocemus, oportet. Atqui remittit nos non ad sanctorum reliquias, sed ad Deum, & ad ipsum Christum, *Esa.* 45. *v.* 22. *Matt.* 11. *v.* 28. *Joh.* 14. *v.* 4. Ergo.

34. 5. Quo modo nos docet scriptura, ut reliquias sanctorum honoremus, eo modo eas colere tenemur. Atqui hæc docet, ut eas honoremus non ostentatione, neq; ad nundinas faciendas, sed honestâ sepulturâ, ut redeat in terram, quod ex terrâ est desumptum, *Gen* 3. *v.* 19. Ergo. Ostentatio igitur illa ossium sanctorum contrariatur mandato divino. Vult enim Deus ut corpora sanctorum in cinerem redigantur. Contrariatur exemplis scripturæ. Nam Jacobi, Josephi & aliorũ ossa sunt terræ mandata. Discipuli Johannis Baptistæ corpus Præceptoris sui sepeliebant, *Matt.* 14. Religiosi quidam viri corpus Stephani terræ demandarunt, *Act.* 8. Legimus *Matt.* 27. *v.* 51. Monumenta sanctorum aperta fuisse: & multa corpora sanctorum, qui dormierant surrexisse. Christus dicit *Joh.* 5. *v.* 28. Venit hora, & nunc est in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, & procedent &c. Constitutio igitur Honorii & Theodosii hęc est: Nemo Martyres distrahat, nemo mercetur 1. *Cod. Tit.* 2. *de sacrosanctis Ecclesiis.*

35. 6. Plurima veneration i isti insunt superstitiosa, impia, ethnica, subsunt infinitæ fraudes, impostura, figmenta, fabulæ, ut vel ex 12. *cap. Bellarmini* patet. Et quis dubitaret unquam, si vel in uno regno ejusdem sancti essent colligendæ reliquiæ, annon eædem diversis in locis ostentarentur? annon id testatur experientia? Annon, cum Rex Hispaniæ mandaret, ut Apoloniæ dentes comportarentur, aliquot tonnæ istorum dentium sunt comportatæ. Quantum igitur hujus monstri fuit caput?

36. *Sed opinionem suam Bellarminus probat scripturæ exemplis, &*

quidem primò V. Testamenti: Nam Exo. 13. Moses discessurus cum populo ex Ægipto in Palæstinam, noluit ibi relinquere ossa sancti Iosephi jamdudum mortui, sed ea honorificè secum asportavit, & transtulit in terram promissionis. Ergo non est superstitiosum, nec novum transferre ossa sanctorum. Deut. ult. Deus ipse corpus Mosis honoravit dum illud proprius manibus sepelivit. 4. Reg. 13. Ossa Helisæi cum tetigissent mortuum quendam hominem continuo illum ad vitam revocarunt. Ergo Deus non contemnit ossa sanctorum, sed ea honorat, & honorari cupit, dum per illa miraculum tam insigne patravit 4. Reg. 23. Cum Iosias delubra idolorum everteret, & omnem idololatriam delere vellet, tantum abest, ut reliquias sanctorum delendas esse existimaret, ut cum aliorum mortuorum ossa effodisset, & in cineres redegisset, ossa tamen sancti prophetæ ibidem reperta asservari jusserit. His addit Pistorius pag. 300. exemplum Judæorum, qui in arca fœderis, manna, tabulam legis, & virgam Aaronis conservarunt.

37. Resp. *Ad primum exemplum?* Josephus mandavit, ne corpus suum in Ægypto sepeliretur, sed aromatibus conditum in arcam seponeretur, tamdiu asservaretur, donec in tempore visitationis ossa secum in terram promissionis asportarent. Finis verò mandati hujus non est cultus & veneratio, sed in persecutionibus consolatio: Sepositum & asservatum est corpus Josephi non ad cultum instituendum, sed ut hoc quasi illustri pignore posteri inter pressuras, & persecutiones animati de exitu ex Ægypto, & de hæreditandâ terrâ promissionis non hæsitarent. 2. Inde nec sequentes Patriarchæ, nec sequentes Prophetæ hoc traxerunt in exemplum. 3. Cum Pharao ipsos insequeretur, cum ignitis serpentibus infestarentur, cum undique ab hostibus premerentur, non ad Josephi reliquias, quas secum portabant opis implorandæ causa fugerunt. 4. Cum in terram promissionis ossa ea tulissent, honestè illa terræ mandarunt, *Joh.* 24. non elevarunt, non ostentarunt. 5. Unde nec posteà ad Josephi, nec aliorum Patriarcharum, & Prophetarum sepulchra tales concursus, & cultus unquam instituti leguntur, quales Pontificii ad suas reliquias instituunt.

38. *Inquis, ossa Josephi fuerunt visitata, & post mortem prophetarunt. Syr. 49. Ad cultum igitur instituendum fuerunt asservata.*

39. Resp. 1. Textus græcus habet ἐπισκέπτεσθαι quod significat diligenter aliquid servare, ac si operimento aliquid defendatur, &

tur & muniatur. 2. Posteriora verò verba textus non habet. Sed ex cap. 48. quod ibi de Elisæi ossibus dicitur, librarii contra fidem textus transtulerunt ad ossa Josephi. 3. Nihil legitur de superstitiosâ veneratione ossibus Josephi exhibitâ.

40. *Secundum exemplum* nihil facit ad rem. 1. Nam omninò censemus corpora sanctorum honestè esse sepelienda. 2. Deus noluit, ut corpus Mosis inveniretur, ne res ea idololatriæ occasionem præberet, videatur Epistola Judæ.

41. *Resp. ad tertium exemplum.* 1. Elisæus jam morti vicinus vaticinatur de Israëlitarum victoriâ contra Syros, si ad Dominum convertantur, 4. *Reg.* 13. Veritatem igitur vaticinii hujus Deus extraordinario miraculo confirmaturus, cum exercitus Moabitarum irruptionem in terram Israel faceret, per contactum ossium Elisæi, mortuum hominem revocavit in vitam. 2. Mortuus ille nõ ex destinato & proposito, sed inopinato casu in Elisæi sepulchrum fuit projectus, cum tantum non haberent spacium supervenientibus latrunculis, ut facerent foveam. 3. Post insigne illud editum miraculum, non legimus, ossa Elisæi fuisse ex sepulchro eruta, elevata circumgestata, exosculanda, spectanda, tangenda proposita, serico exornata, candelis honorata, opis impetrandæ causa invocata. Nec legimus concursus postea ad ossa ea fuisse institutos.

42. *Resp. Ad quartum exemplum.* 1. Ossa illa non ex terra fuerunt eruta, sed intacta manserunt; Josias dicit: *Simite eum quiescere, & nemo loco moveat ossa ejus.* Et addit textus: *Ossa illa intacta* manserunt. Nam ejectio ossium pœna est divina, *Jeremiæ* 8. Ejicient ossa eorum de sepulchris suis. *Baruch.* 2. Transferentur ossa Patrum nostrorum de loco suo, & projicientur. 2. Non fit mentio consuetudinis concurrendi ad sepulchra, ut votis, & invocationibus gratia, & virtus apud ossa mortuorum quæratur.

43. *Resp. Ad quintum exemplum*: Judæi asservationis istius expressum habuerunt mandatum, *Exo.* 16. *v.* 32. *Num.* 17. *v.* 10. *Deut.* 10. *v.* 5. Pontificii vero asservationis reliquiarum sanctarum nullum ostendere possunt mandatum, nullam promissionem.

44. Secundò profert Bellarminus exempla N. Testamenti: Nam *Matt.* 9. *Hemorrhoissa solam fimbriam Christi tetigit & sanata est. Act.* 5. *Populi certatim ad umbram Petri eò, quo poterant, attingendã*

occurrebant Act.19.populi ſudaria Pauli, & ſemicinctia deferebant ad ægrotos.

45. Reſp. 1. Apud nullum Evangeliſtarum legitur, quod veſtis ſanarit hæmorrhouſam illam; Sed ex λόγῳ prodiit virtus illa per aſſumptam carnem, & non per veſtem, Chriſtus originem hujus virtutis oſtendens, *novi, inquit, quod ex me egreſſa ſit virtus.* 2. Divinam potentiam faciendi miracula veſtibus adſcribere, idololatricum eſt. 3. Medium applicationis ex parte mulieris, non fuit attactus, ſed fides, idque docet Chriſtus dicens: *Fides tua te ſalvam fecit.* Cyrillus dicit lib. 4. in Levit. Quia *intellexit, quæ eſſet caro ſancta ſanctorum, idcirco acceſſit & ipſa. Ipſa quidem carnem ſanctam contingere non audet: Nondum enim mundata erat, neque quæ perfecta apprehenderat, ſed fimbriam tetigit veſtimenti quo ſancta caro tegebatur, & fideli tactu virtutem elicuit ex carne, quæ ſe ab immunditie ſanctificaret, & plagam, quam patiebatur, ſanaret,* 3. Homines quorum fit mentio *Act.5.& 19.* non hærebant defixi in Apoſtolorum umbrâ, nec arcanam virtutem credebant illi incluſam; Sed fide in Chriſtum reſpexerunt, quem Apoſtoli prædicabant, & cujus virtute miracula illa ſe edere profitebantur. Virtutem igitur Chriſti, quæ in Apoſtolis ſe exerebat, tantam eſſe ſtatuebant, ut vel umbræ illorum contactu ſanari poſſent, ſicut & *Luc. 6. &. 8.* dicitur; At Pontificii omiſſo Chriſto, & fide ſepulta in rebus hærent externis ligno, oſſibus, quibus arcanâ virtutem opinantur eſſe alligatam. 4. Umbra Petri jam per multa ſecula non eſt viſa. Quorſum igitur diſputant Pontificii, quod ea hoc ipſo tempore adhuc ſanandi vim habeat? 5. Ipſi Apoſtoli cultum adorationis reſpuerunt. Num igitur iſte ipſorum fictitiis deferri debet reliquiis?

46. Quæſtio quinta: *Quid ſit ſentiendum de largitionibus reliquiarum, ſeu de donis, quæ in Papatu offeruntur ſanctorum reliquiis.*

47. Reſp. Inſignem virtutem, & efficaciam ineſſe reliquiis ſanctorum, ſcribunt Pontificii. Inde ſimpliciores perſuaſi variis eas honorant modis, utpote oſculando, genua coram ipſis flectendo, manus elevando, varia dona offerendo, &c.

48. Quid de hiſce ineptiis, & impietatibus ſit ſentiendum, ex parte patet ex antecedentibus. Nam 1. Nuſpiam docet Scriptura

Scriptura, reliquiis sanctorum divinam inesse virtutem & efficaciam. Ergo ad eam obtinendam dona ipsis offerri non possunt. 2. Superstitiosum est, rebus creatis singularem adscribere efficaciam, quæ ipsis à Deo non est indita, & de qua nulla extat promissio. Et idololatricum est ab iis petere dona spiritualia, & mundana. Fit verò illud in Papatu, quoties dona plurima reliquiis sanctorum offeruntur, & illæ religiosè coluntur. Non minus igitur pontificii committunt idololatriã, ac olim Judæi æneum serpentem religiosè colentes. 3. Scriptura igitur remittit nos non ad sanctorum reliquias, sed ad Christum, *Esa.* 45. *vers.* 22. *Matth.* 11. *vers.* 28. *Johan.* 10. *vers.* 7. *cap.* 14. *vers.* 6. 4. Medium, quo gratia divina nobis offertur, & confertur non sunt sanctorum reliquiæ, sed verbum Dei & Sacramenta, *Rom.* 1. *v.* 16. Medium applicationis non sunt donationes reliquiis istis factæ, sed est fides, *Mar.* 16. *vers.* 16. 5. Corpora sanctorum secundum scripturam honorantur, non quando ad nundinas faciendas ostentantur, & varia dona ipsis offeruntur, sed quando honestè terræ demandantur, *Syr.* 38. *v.* 16. Ex qua resuscitabit eas Dominus *Dan.* 12. *v.* 2.

49. Quæstio sexta: *An peregrinationes, quæ hodie in Papatu religionis causa instituuntur sint superstitiosæ, & idololatricæ.*

50. Resp. Peregrinationes aliæ sunt civiles, quæ vel ad honestam animi recreationem, vel ad corporis sanitatem acquirendam, vel ad prudentiam civilem comparandam, vel ad negotia politica expedienda instituuntur: Et hæ sunt licitæ, imò sæpe necessariæ; Aliæ sunt religiosæ, quarum quædam sunt licitæ, ut, 1. Tempore V. Testamenti in Synagoga Judaica, *Deut.* 16. *v.* 16. *c.* 17. *v.* 5. Quæ in N. Testamento sunt abrogatæ, *Jer.* 3. *v.* 16. *Joh.* 4. *v.* 20. 1. *Tim.* 2. *v.* 8. 2. Tempore persecutionum, *Matt.* 10. *v.* 23. 2. *Cor.* 6. *v.* 17 *Apoc.* 14. *v.* 4. 3. Utiles etiam sunt Theologiæ studiosis ad cognitionem rerum theologicarum apud viros doctos acquirendam. 4. Utiles etiam esse possunt peregrinationes ad loca, in quibus Patriarchæ, Prophetæ, Christus & Apostoli fuerunt versati, ut coram ea contemplandò circumstantiæ melius intelligantur.

51. Quemadmodum verò illicitæ erant peregrinationes, in V. Testamento, quarum Jeroboam est author, 1. *Reg.* 12. *v.* 28. Ita etiam.

etiam illicitæ, superstitiosæ, & idololatricæ sunt, quæ Pontificii Hierosolymam, Romam, Lauretum, Compostellam, Coloniam, Hallam, ad templa & reliquias sanctorum hoc fine suscipiunt, ut laborioso hoc, tanquam pœnali, aut pœnitentiali opere pro commissis peccatis luant, & satisfaciant sanctorum opem implorent, cultū votivum præstent. Nam 1. cultus religiosus sanctorū scripturæ est contrarius. Ergo & medium ad talem cultum adhibitum, cujusmodi sunt illę peregrinationes. 2. Nō sunt à Deo mādatæ, sed in N. Testamento prohibitæ, *Jer. 3. v. 16. Joh. 4. v. 20. 1. Tim. 2. v. 8.* Nullam igitur habent promissionem. 4. Ignoravit eas Ecclesia primitiva. Nam Calixtus 1. primum Mariæ templum curavit ædificandum circa annum Christi. 221. 5. Ob certitudinem quidem historicam & circumstantias cognoscendas multi Hierosolymam etiam in primitivâ Ecclesiâ proficiscebantur, sed non ad indulgentias impetrandas. 6. Hieronymus in Epistola ad Paulinum Tom. 1. p. 102. *Non Hierosolymis fuisse, inquit, sed Hierosolymis bene vixisse laudandum est. Illa expetenda est civitas, non quæ occidit Prophetas, & Christi sanguinem fudit, sed quam fluminis impetus lætificat, quæ in morte celari non potest. Non audeo Dei omnipotentiam angusto fine concludere & coartare parvo terræ loco quem non capit cælum &c.*

FINIS DISPVTATIONIS XXIV.

DE PAPISMO

DISPVTATIO XXV.

Et quidem in ſpecie

DE

CVLTV IMAGINVM, ET rerum conſecratarum.

In qua

Chriſto Duce & auſpice Chriſto

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS GISENII,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS, ET ORDINARII IN INCLYta Academiâ Giſſenâ Profeſſoris,

RESPONDEBIT

Johannes Binchius Hervordiâ-Weſtphalus.

In Auditorio Theologico ad diem 12. Martii horis antemeridianis & pomeridianis.

GIESSÆ,

Typis exſcribebat Caſparus Chemlinus.

cIↃ IↃ cXVIII.

DISPUTATIO VIGESIMAQVINTA.

DE CVLTV IMAGINVM, ET rerum consecratarum.

THESIS I.

NOn sufficit Pontificiis sanctorum defunctorum animas suppliciter invocare, & corporum reliquias religiosè venerari: Sed mutas etiam, atque inanimas cum Dei, tum Sanctorum imagines religiosa veneratione colunt. De hoc igitur Pontificiorum cultu breviter agemus.

SENTENTIA PROTESTANTIUM.

2. In imaginum consideratione distinguimus inter ipsas imagines, & earum cultum, seu honorem: Licet imagines ipsas habere: Deus enim Cherubim fieri mandat super propitiatorio, *Exo.25.v.18.* Pii homines sine peccato faciunt imagines, *Num.21.v.9.1.Reg.6.v.23.* In templo eædem habebantur, *1.Reg.7.v.36. 2.Par.3.v.10. Exo.28.v.33. Num.21.v.8.* Imagines Salomonis sunt approbatæ, *1.Reg.8.v.10.*

3. Habere verò eas licet ob usum didacticum, historicum, & ornatum. Nam docent, monent, testificantur, afficiunt, ornant. Quamvis vivæ voci, & libris, qui dicuntur muti Magistri, pares facere eas non possimus, suo tamen modo docent Gregorius dicit lib.9.Epist.9. *Quod legentibus Scriptura, hoc idiotis præstat pictura: quia in ipsa ignorantes vident, quid sequi debeant; in ipsâ legunt, qui literas nesciunt.* Et Damascenus lib.4.c.17. *Quia non omnes literas norunt, neque lectioni incumbunt, Patres nostri consenserunt, hæc in imaginibus repræsentari.* Cyrillus libr. 6. contra Julianum enarrans beneficia à Christo in cruce nobis exhibita dicit: *Hæc omnia recordari*

dari nos facit salutare dignum, & suadet, ut cogitemus, quod sicut unus pro omnibus mortuus est, & resurrexit: Ita viventes non ultra sibi ipsis vivant. Visne ut lignum, quod nos ad recordationem omnis virtutis inducit, abjiciamus, & potius Ganymedis picturam, vel Danaes habeamus? Gregorius Nyssenus in Orat. quadam scribit: *Vidi sæpe inscriptionis imaginem, & sine lachrymis transire non potui, cùm tam efficaciter pictura oculos poneret historiam. Procumbit enim ante aram Isaac, &c.* Idem super Cantica: *Vidi, inquit, non infrequenter Passionis figuram, neque sine lachrymis ejusmodi scripturam transii.* Gregorius Magnus libr. 7. Epistol. 53. *Dum nobis ipsa pictura, quasi scriptura, ad memoriam Filium Dei inducit: animum nostrum, aut de resurrectione lætificat, aut de passione demulcet.*

4. Cultus verò *alius est civilis; alius ceremonialis* externæ cujusdam honorificentię, seu reverentiæ; Et *alius religiosus*: Templa, imagines, & alia, quæ in templis asservari solent, vasa, sive utensilia reverenter, εὐσχημόνως habere, & tractare solemus, sed *cultu* tantum civili, & ceremoniali, quia habentur vel ad memoriam ad modestum ornatum, qualemcunque institutionem, vel inserviunt rebus sacris; Sed cultu religioso, qualis in Papatu exercetur adorando, compellando, salutando, amplexando, sacrificando, &c. imagines non honoramus.

5. Adorationis enim iste imaginum cultus pugnat cum expresso Dei verbo, *Exod.* 20. *Non facies tibi sculptibile*; Quod explicatur, *Levit.* 26. *v.* 1. de religioso cultu: *Non facietis vobis idolum, & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terrâ vestra,* ut ADORETIS EUM. *Ego enim sum Dominus Deus vester.* Non licet igitur facere imagines, ut adoremus coram ipsis.

6. Itaque improbamus non historicum, sed tantum superstitiosum imaginum, & rerum consecratarum usum.

Sententia Pontificiorum.

7. Imagines Sanctorum rectè eriguntur, non tantum in memoriam sanctorum, sed etiam religiosi cultus causa.

8. Jacob. Gretser. lib. 1. de cruce c. 49. *Ostendimus hactenus, inquit, crucem Domini esse venerandam, nunc magis in specie explicandum est, quo genere cultus colenda sit nō modò prima illa crux, sed & omnes imagines, & signa crucis. Omnium enim una, eademq; ratio est. Asserimus autem*

cum

cum sententiâ communi, & in scholis magis trita, CRUCEM COLENDAM ESSE LATRIA, HOC EST CULTU DIVINO, *non quidem per se, sed per aliud, non absolutè, sed cum habitudine, & respectu ad Prototypum. Cui sententiæ subscribit D. Thomas, & plerique ex istis, qui D. Thomæ doctrinam sequuntur, ut Cajetanus, Capreolus, Gregorius de Valentia, & alii non pauci, probaturq; iisdem argumentis, quibus demonstrari solet à prædictis Doctoribus, imaginem, & exemplar, seu rem significatam, & prætereà reliquias, & eum, cujus sunt reliquiæ, eodem cultus genere affici debere, ut si res honoretur latriâ, etiam imago colatur latria: Si dulia, imago quoque dulia: Si hyperduliâ, imago itidem hyperduliâ. Cum igitur Christus Dominus per crucem, tanquam per imaginem repræsentatus, colatur latriâ, hoc est, cultu divino, sequitur,* IPSAM QVOQVE CRUCEM LATRIA *honorandam esse: Idque probamus primùm ex Aristotele, ubi dicit, vel saltem ex discursu illius colligitur à S. Thoma, & aliis, eundem esse motum in imaginem, & in rem significatam.*

9. Bellarminus de Eccles. Triumphante lib. 2. c. 21. *Imagines Christi, & sanctorum, inquit, honorandæ sunt non solum per accidens vel improprie, sed etiam per se, & propriè ita, ut ipsæ terminent venerationem, ut in se considerantur, & non solùm ut vicem gerunt exemplaris.*

10. Lignum igitur crucis in Pontific. Rom. Venetiis anno 1582. pag. 172. excus. his ceremoniis sacrificatur: *Rogamus te, Domine sancte Pater omnipotens, sempiterne Deus, ut digneris bene † dicere hoc lignum crucis tuæ, ut sit remedium salutare generi humano: sit soliditas fidei: Bonorum operum profectus: & redemptio animarum: sit solamen, & protectio, ac tutela contra sæva jacula inimicorum: per Dominum nostrum Jesum Christum, filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus S. Deus.* Item: *Sancti † ficetur istud lignum in nomine Pa †tris, & Fi † lii, & Spiritus † Sancti: Et benedictio illius ligni, in quo sancta membra Salvatoris suspensa sunt, sit in isto ligno: ut orantes, inclinantesque se propter Deum ante istam crucem inveniant corporis, & animæ sanctitatem.*

STATUS CONTROVERSIÆ.

11. Quare status controversiæ non est, annòn imagines etiam in ipso templo habere liceat: Id enim ultrò largimur; Sed

num erigi, & ferri possit ob cultum religiosum, ut cum Deo adorentur, sint medium à Deo ordinatum ad fidem excitandam, vel conservandam. Hoc enim idololatricum, esse affirmamus. Hac igitur de re, & aliis nonnullis breviter agemus.

11. Quæstio prima: *Num imagines religiosi cultus ergò sint erigenda, & habenda?*

12. Resp. 1. Quicunque cultus pugnat cum ipso Decalogo, & expresso Dei verbo, ille tanquam impius est damnãdus, quia illud solum est norma religiosi cultus. Atqui cultus imaginum Pontificius pugnat cum ipso Decalogo, & expresso Dei verbo: *Exod.20.v.1.Deut.5.v.8.* Non facies tibi sculptile, nimirum ut adores illud. Sic enim explicatur. *Levit.26.vers.1.Et Psalm.96.v.7.* Cõfundantur omnes, qui adorant sculptilia, qui gloriantur in simulacris suis. Ergo. Et cultus religiosus soli Deo competit, quem propterea in locis allegatis adorare jubemur. Ergo non sine sacrilegio imagini surdæ, & picturæ attribuitur.

13. 2. Omnis ἐθελοθρησκεία seu cultus propriâ intentione susceptus displicet Deo, *Deut.12.v.8.32.Matt.15.v.7.Esa.1.v.12.Esa.29.v.13.Ezech.20.v.18.19.Mich.6.v.6.7.8.Zach.7.v.5.Psal.106.v.39.Mar.7.v.6.Col.2.v.23.* Atqui cultus imaginum est ἐθελοθρησκεία nullam habens in Scripturâ institutionem, nullam promissionem, nullam approbationem, sed potius improbationem, nullam cõmendationem. Et quid ἐθελοθρησκεία est aliud, quam modus Deum colendi sine Dei mandato susceptus? Arguit id ipsa appellatio. Patres Nicenæ Synodi secundæ congressu sexto hanc regulam inculcant: *Traditionem Ecclesiæ recipiamus, legislationem ejusdem veneremur, ne floccipendamus piam, & divinam consuetudinem, in vetera, & prisca judicia ne simus curiosi. Omne enim, quod in recordationem Dei erigitur acceptum illi esse constat.* Eckius in Enchirid. Tit.16. ad objectionem hanc: Aut præceptæ sunt imagines, & tunc ostendatur Scriptura: Aut non sunt præceptæ, & tunc nihil valent; Respondet: *Sufficiat Catholico, quòd Ecclesia constituit, imagines Sanctorum, velut utiles, & expedientes, poni debere in Ecclesiâ, &c.* Ergo.

14. 3. Omnis cultus idololatricus est abominabilis, quippe qui passim damnatur in Scripturâ. Atqui religiosus cultus imaginum est idololatricus. Ergo.

15. As-

15. Assumptio probatur primò ex definitione idololatriæ. *Est enim idololatria cultus pugnans cum primo Decalogi præcepto jubente nos unum verum Deum venerari eo modo, ut præcepit in verbo suo.* vel; *Idololatria est cultus, quo honor soli Deo debitus, tribuitur ei, quod est extra Deum.* Atqui Pontificius imaginum cultus transfert honorem soli Deo debitum ei, quod est extra Deum. Ergo.

16. Secundò ex ratione idololatriæ commissæ: Hujus n. ratio est duplex: *Prior ex parte objecti, quando religiosè colitur id, quod non est verè Deus, & cultus soli Deo debitus transfertur ei, quod est extra Deum.* Faciunt hoc Pontificii: Nam scribunt eundem honorem deberi imagini & exemplari, videatur th. 8. Bellarmino quidē assertio hęc nimis dura videtur, sed ad idem ipse delabitur statutum. Nam lib. 2. de Sanctor. Beat. c. 22. scribit: *Quantum ad modum loquendi, præsertim in concione ad populum, non est dicendum imagines ullas adorari debere latriæ cultu, sed è contrario, non debere sic adorari.* At lib. 2. c. 23. scribit: *Si de re ipsâ agatur, admitti potest, imagines posse coli impropriè, vel per accidens, eodem genere cultus, quo exemplar ipsum colitur.* Ergo. *Posterior ex ratione modi, quando Deus colitur non eo modo, sicut præcepit in verbo.* Atqui non colunt Deum Pontificii eo modo sicut præcepit in verbo. Ergo. Nam in hoc consentiunt Pontificii, ut per imagines Deum, Christum & sanctos colendos esse præcipiant. At modus iste colendi Deum improbatur in Scriptura, & idololatriæ arguitur juxta illud *Exo. 20. v. 23.* Deos aureos, & argēteos non facietis MECUM. Et *Deu. 4. v. 23.* Cave, ne quādo obliviscaris pacti Dñi Dei tui quod pepigi, tecū, & facias tibi sculptā similitudinem eorū, quæ Dominus prohibuit: quia Dñs Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator. Ubi Moses populo Dei interdicit, ne faciat sibi sculptam imaginem, in quâ Deus colatur. Idololatræ igitur sunt Israëlitæ, per vitulum colentes Deum *Exo. 32. v. 5.* Dixerunt enim: *Hi sunt Dii tui, qui te eduxerunt de terrâ Ægypti. Aaron verò ædificavit altare coram vitulo, & præconis voce clamavit, cras solennitas Domini est.* Israëlitæ igitur Jehovam, qui ipsos ex Ægypto eduxerat per vitulum colebant. *Exod. 32. v. 4.* At grandis illa erat idololatria, *Deut. 32. v. 16* 17. 1. *Cor. 10. v. 7. Actor. 7. v. 41. 1. Sam. 8. v. 8.* Sic idololatriam committit Micha cum matre suâ culturus Deum per simulachrum, *Jud. 17. v. 3. 4. 5. 8. 9. 10. 12. 13.* Item Israelitæ, re-

jecto

jecto Roboamo, callidum consilium sequentes Jeroboami, qui excogitato consilio, fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite ultrà ascendere in Jerusalem: Ecce dii tui Israel, qui te eduxerũt de terrâ Ægypti, 1. *Reg.* 12. *v.* 28. Josephus lib. 8. Antiquit. Judaicarum scribit: *Jeroboamus, ut Deus in vitulis coleretur instituit.* At Idololatriam fuisse docetur, 1. *Reg.* 14. *v.* 9. Et Apostolus Paulus idololatriam Athenienſium reprehendit, *Actor.* 17. *v.* 16. idque propterea, quod Deum colere voluerunt aureis, argenteis, & lapideis simulachris, *v.* 25. 29. Similiter describitur idololatria gentium, *Roman.* 1. *v.* 21. 23. 25.

17. Tertiò, ex consideratione idoli: Est enim illud omne, quod honore divino afficitur, cum sit extra Deum. Ergo habet originem & fundamentum in hominis cum Dius alienis scortantis corde. Ergo illi sunt idololatræ, qui trãsferunt honorem soli Deo debitum ad id, quod est extra Deum. Æneus serpens, quando religiosè non colebatur, erat imago, ubi populus cœpit ei adolere incensum, in idolum abiit, & propterea ab Ezechiâ Rege combustus est, 2. *Reg.* 18. *v.* 4 Et quæ idola erant, quando superstitiosè colebantur, nobis postquam illa superstitio abrogata est, idola jam non sunt.

18. 4. *Quicunq; cultus ab infidelibus & impiis consimiliter est usurpatus, & in Scripturâ, & à fidelibus improbatus, ille est abominabilis. Atqui cultus imaginum Pontificius ab infidelibus, & impiis consimiliter est usurpatus in Scripturâ verò, & à fidelibus improbatus.* Ergo.

19. Assumptionis veritas patet ex collatione cultus imaginibus ab infidelibus exhibiti, & qui apud Pontificios exhibetur: Nam infideles coluerunt imagines primò *dedicando, Dan.* 3. *vers.* 3. Congregati sunt Satrapæ, Magistratus, & Judices, duces, & tyranni, &c. ut convenirent ad dedicationẽ statuæ, quam erexerat Nabuchodonosor Rex; Colunt consimiliter eas Pontificii, ut patet ex hac benedictione crucis: *Sanctificetur istud lignum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Et benedictio illius ligni, in quo sancta membra Salvatoris suspensa sunt, sit in isto ligno, ut orantes, inclinantesq; se propter Deum, ante istam crucem inveniant corporis, & animæ sanitatem, per eundem Dominum nostrum Jesum Christum, Amen.*

20. Secundò, *nomen Dei, aut prototypi simulachro dando, Exo.* 32. *v.* 4.

32.v.4.fecit eis vitulum aureum: Dixeruntque hi sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Item.1.*Reg.*12.*v.*28.*Esai.*42.*v.* 17.*Sap.*14.*v.* 21. Consimiliter honorant imagines Pontificii: Nam in Sabbato Paschæ Presbyter Pontificius crucifixi Christi imaginem ex sepulchro erutam in templo circumfert & fores clausas pulsans clamat: *Attollite portas principes vestras elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Et interroganti: *Quis est iste Rex gloriæ?* respondet: *Dominus fortis, & potens in prælio, Dominus virtutũ ipse est Rex gloriæ.* Aut quando cereas agni imagines consecrantes Deũ orant, *ut isti agni immaculati eandem virtutem accipiant, contra omnes diabolicas versutias, & fraudes maligni Spiritus, quam agnus innocens, Filius ejus Jesus Christus, in arca crucis immolatus, protoplastum nostrum de diabolicâ potestate eripuit*, Sacrar. Cerem. Eccl. Rom. lib.1.tit.7.

21. Tertio, *singularem minimis præsentiã, & efficaciam simulachris adscribendo.* Arnobius dicit lib,1.contra gentes: *Si quando conspexerã lubricatum lapidem, & ex olivæ unguine ordinatum, tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar, & beneficia poscebam:* Idem lib.6.*statuas certis ritibus precularum, & unguentorum dedicabant, & consecrabant, atq; inde fieri existimabant, ut Dii in statuis habitarent*; Eandem opinionẽ de statuis alunt Pontificii: Inde oraturi coram imaginibus procũbunt: longissimum sæpe iter ingrediuntur, ut coram hac, vel illâ imagine orare possint: Hanc imaginem magis frequentant, quam illam. *Quod fit ideò.* dicit Gregorius de Valentia Disput. 6. quæst.11. punct. 6. de Idololatria, *quòd certâ experientiâ noverimus singulariter quibusdam in locis, quasdamq; imagines venerantibus, solitum esse Deum præclara impertiri beneficia.*

22. Quartò, *certorum igitur beneficiorum donationem ab iis petendo, & expectando*: Tatianus dicit, Græcos tribuere dæmonibus, quòd sanent morbos. Arnobius lib.2.*Gentes res certas à certis Diis postulabant.* Consimiliter pontificii dentiũ dolore laborantes, beneficium liberationis quærunt apud imaginem Appolloniæ, &c.

23. Quintò, *Templa, delubra & altaria extruendo*, 1.*Reg.*11.*v.*7. Salomon ædificavit favum Chamos, idolo Moab, in monte, qui est contra Jerusalem, & Moloch, idolo filiorũ Ammon. 1.*Reg.*12. *v.*30.31. Ibat populus ad adorandum vitulum usq; in Dan: Et fecit phana in excelsis. 1.*Reg.*16.*v.*32. Achab posuit aram Baal in templo

Baal. Idem faciunt Pontificii, experientia teste.

24. Sextò, *in loco sublimi constituendo*, Augustinus Epist. 49. Idola quidem omni sensu carere quis dubitet? Veruntamen cum his locantur sedibus, honorabili sublimitate, ut à precantibus, & immolantibus attendantur; Fit idem à Pontificiis.

25. Septimò, *vestimentis induendo, sertis, & coronis ornando, Baruch. 6. v. 9. 12.* Coronas certè aureas habent super capita sua dii illorum. Opertis autem illis veste purpurea extergunt faciem ipsorum. Idem fieri à Pontificiis palàm est.

26. Octavo, *Circumgestando, Baruch. 6. v. 3.* Nunc videbitis in Babylonia deos aureos, & argenteos, & lapideos, & ligneos in humeros portari; Simulachra verò in pompa circumgestant pontificii. Cujus rei originem indicans *Baronius in notationibus in Martyrol. Rom.* Patres, ait, Concilii Constantiensis decrevisse, ut ad propulsandam ingruentem urbi Constantiensi luem, non imago tantum Rochi à clero, comitante omni populo, Per urbem solemni pompâ deferretur, sed impenderentur ei etiam cæteri honores sanctis debiti, Quo facto, pectem illam mox evanuisse, ait, & inde exemplum ejus rei sumptum esse.

27. Nonò, *Alloquendo, obsecrando*, cantando, & supplicando Jer. 2. v. 27. Dicunt ligno: Pater meus es tu: Et lapidi, tu me genuisti *Sap. 13. v. 18.* Non erubescit loqui cum illo, qui sine anima est: Et pro sanitate quidem infirmũ deprecatur, & pro vitâ rogat mortuum & in adjutorium inutilem invocat. *Esai. 44. v. 15.* Fecit sculptile, & curvatus est ante illud. *v. 17.* Reliquum ejus Deum fecit, & sculptile sibi: Curvatur ante illud, dicens, libera me: quia Deus meus es tu. *Baruch. 6. v. 31.* Rugiebant clamantes in conspectu deorũ suorum; *Consimiliter Pontificii alloquendo, obsecrando, cantando, & supplicando colunt simulachra.* Bellarminus dicit lib. 2. de Imag. Sanct. c. 23. *Concionatores alloquuntur imaginem crucifixi, ejusq; dicunt, tu nos redemisti, tu nos Patri reconciliasti.* Oratio Johannis XXII. de effigie vultus Christi, quam Veronicam vocant, sic habet:

Salve sancta facies nostri Redemptoris,
In quâ nitet species divini splendoris,
Impressa panniculo nivei candoris
Data Veronicæ signum ob amoris,

28. De-

28. Decimò, *osculando, lampadas accendendo, sacrificando, vovendo, jurando*, 1. *Reg.* 19. *v.* 18. Derelinquam mihi omne os, quod non adoravit eum osculans manum. *Baruch.* 6. *v.* 18. Lucernas accendunt illis, & quidem multas, ex quibus nullam videre possunt. 2. *Reg.* 10. *v.* 24. Ingressi sunt (Servi Baalis domum ejus) ut facerent victimas & holocausta *v.* 34. Si quis illis votum voverit, & nō reddiderit, neq; hoc requirunt. *Soph.* 1. *v.* 5. Jurant in Domino, & jurant in Mechom; *Eundem cultum imaginibus exhibent Pontificii*; Tarasius in Epist. ad Imperat. Constantinum, illiusq; matrem Irenē dicit: *Omnibus modis recipiendæ sunt venerandæ imagines Domini nostri Jesu Christi, &c. intemeratæ Dominæ nostræ Deiparæ, sanctorum quoq; Angelorum, itemq; sanctorum omnium, suntq; adorandæ quoq;, hoc est, exosculandæ, & amandæ.* Ibidem: *Cum crucem vivificam salutamus, convenienter canimus: Crucem tuam adoramus, Domine: Lanceam, quæ vivificans latus tuæ sanctitatis aperuit, adoramus. Quæ sane adoratio nihil aliud est, quam salutatio, sive amplexum malis dicere: Quod indicat hoc quod labiis quoq; nostris propriis ea contingimus. In Actis Synodi Nicenæ* 11. narratur de quodam Eremita, quod imagini Mariæ accenderit candelam, quæ Eremitæ peregrè abeunti mandarit, ut candelam eam usq; ad reditum suum servaret inextinctam. Quod & factum sit, licet post duos vel tres menses primum redierit. Pius II. in cōmen. lib. 2. refert in Ecclesia S. Mariæ Prunetanæ agri Florentini, virginis esse imaginem, quam mira religione populi venerantur; tanquam Pluviæ, serenitatisq; donatricem, cum necessitas ingruit: Dives illic templum est, inquit, & assiduis mortaliū votis insigne.

29. De collatione hac videatur *Dn. Chemnitius* 4. *part. Exam. Conc. Triden. pag.* 26.

30. *Dissimilitudinem verò ostendare conantur pontificii obstrepentes, à se non tribui virtutem aliquam materiæ vel formæ statuarum, sicut factum fuerit à gentibus; Sed in imaginibus vel Deum ipsum, vel sanctos cum Deo viventes honorari, ut honor imaginibus exhibitus referatur ad Prototypum.*

31. Resp. Distinguimus inter superstitionem vulgi & sapientium: Vulgi apud Ethnicos erat crassior superstitio ipsis statuis affixa, quam sapientes magis dissimularunt, quam approbarunt. Seneca vulgi opinionem irridens, *Sacros, inquit*, immortales,

inviolabilesq; Deos in materiâ viliſſimâ, atq; immobili dedicant, habitus, illis hominum, ferarũq;, & piſcium; quoſdam verò juxta ſexum diverſis corporibus induunt, numina vocant, quæ ſi Spiritu accepto, ſubitò occurrerent, monſtra haberentur. Conſimiliter vulgi ſuperſtitionem apud Pontificios eſſe craſſiorem his indicat verbis Polydorus Virgilius lib. 6. de Invent rer. cap. 13. *Sunt bene multi, inquit, rudiores, ſtupidioresq;, qui ſaxeas, vel ligneas, marmoreas, eneas, ſeu in partibus pictas, variisq; coloribus litas imagines colunt, non ut figuras, ſed perinde quaſi ipſæ ſenſum aliquem habeant, & iis magis fidant, quàm Chriſto, & aliis divis, quibus dicatæ ſint.* Quo fit, *ut ſtultitiam ſtultitiæ cumulantes, illis offerant aurum, argentum, annulos gemmatos, omnifariásq; gemmas ibidẽ ſenio perituras. Et, ut ad faciẽdum plures ineſcentur, illi, qui talem ſegetem metunt, nummos perforent, filoq; pendentes in collo, aut manib. ipſarum imaginum ſuſpendant, donaria in locis cõſpicuis egregiè collocent, titulosq; apponant, quò nomina offerentium & diis, & hominibus notoria fiant.*

32. Sapientum Ethnicorum ſuperſtitionem refert *Arnob. lib. 6.* ſcribens, gentes docuiſſe adorandas ſtatuas, non quod æs, aurum, argentũ, & ſimiles ſtatuarũ materiæ Dii ſint, ſed quod Deorũ, qui alias inviſibiles ſunt, præſentia per ſimulachra exhibeatur, & quod iis vel Dii, vel virtutes divinę inhabitent, ſeu ꝙ per ea Dii, inviſibiles honorentur, & colãtur propter dedicationẽ. *Auguſtin. ſcribit Epiſt. 49.* concinnas interpretationes ab Ethnicis iſtis Deorum additas fuiſſe. Tradit eas *Euſeb. de præpar. lib. 3. 4.* ut & alii, nimirũ ꝙ in hujuſmodi formis aliqñ hominib. apparuerint; vel ꝙ p ejuſmodi habitus indicarentur merita ipſorũ, qb. genus humanũ juverũt, &c.

33. 5. Nuſpiam legitur in ſacris Patriarchas, Prophetas, pios Reges, S. Apoſtolos, aut veros Chriſtianos in primitivâ Eccleſiâ imagines religiosè coluiſſe, aut veneratos eſſe, ſed potius cultum illũ improbaſſe. Ergo & noſtrũ eſt ipſorum exemplo eum improbare.

34. Antecedentis veritas patet vel ex præmiſſis. Nã Deus duob. vocabulis cultum ſculptiliũ prohibet, *non adorabis nec coles ea*, quorum altero, quod incarvationem ſignificat, oẽs externi geſtus, & ritus cultuum; altero interiores affectiones, & devotiones cultuũ cõplectitur. Hujus igitur mandati divini memores oẽs fideles cultũ iſtum damnarunt Hieron. in c. 3. Dan. *Cultores Dei, inquit, imagines ad-*

nes adorare non debent. Auguſt. Epiſt. 119. c. 11. ſcribit: *Prohibetur coli aliqua in figmentis hominum Dei ſimilitudo, non quia non habet imaginem Deus, ſed quia nulla imago ejus coli debet, niſi illa, quæ hoc eſt, quod ipſe.*

35. 6. De vero initio cultus & adorationis imaginũ in Eccleſia uſu videatur Dn. *Chemn. par. 4. Exam. p. 55.* Verus imaginũ uſus à ſuperſtitioſis hominib. tranſverſus eſt in idololatricũ abuſum inclinatione & progreſſione ſenſim factâ. Uſus imaginum in templis olim erat non ad religioſam adorationẽ, ſed ad hiſtoricam commonefactionẽ, & ornatum, qua de re ex Greg. Nyſſeno, & aliis q̃dam retulimus. Iconicolarum verò veterũ dux fuit Greg. III. Pontif. Rom. qui Epiſtolis Leonis Iſaurici Imp. Synodo Romæ indictâ Epiſcoporum 903. vel ſecundũ alios 1000. hoc decretum oppoſuit, referente Anton tit. 14. c. 1. v. 1. diſt 3. c. perlatum eſt: *Si quis deinceps catholicam conſuetudinem, & uſum fidelem contempſerit, ac venerabilem, & ſanctarum imaginum Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, beatæ Mariæ, Apoſtolorumq;, & aliorum Sanctorum depoſitor, deſtructor, & prophanator extiterit, aut blaſphemus; ipſe cõmunione ſanctæ Eccleſiæ ſit privatus.* Hujus veſtigiis inhæſerunt Steph. III. Pontif. Rom. Adrianus I. & alii. Recentiorum duces fuerunt Concilii Tridentini Patres decreto quopiam eundem Imaginum cultum ſub anathematis fulmine præcipientes.

36. Quare 1. Eccleſia primitiva uſu imaginum in templis caruit ut videre eſt apud *Lactant. lib. 2. c. 2. 4. 18. 19.* 2. Paulatim propter uſum hiſtoricum eæ ſunt receptæ, & approbatæ, atque etiam tẽplis illatæ: Cum n. illæ magnificè, & ſplendidè exornarẽtur, cœpit in ipſis etiam eſſe uſus imaginũ non ad adorationem, ſed ad cõmonefactionem, & ornatum ut patet ex Greg. Nyſſeno, oratione de Theodor. Martyre, qui inter reliqua hanc tradit ſententiã: *Solet et jam pictura tacens in pariete loqui, maximaq; prodeſſe.* Vixit ipſe circa ann. Chriſti 380. 3. Creſcente hominũ ſuperſtitione, Epiſcoporũ ignaviâ, & Papæ tyrannide earum cœpit idololatricus cultus. 4. Horrenda verò & triſtia certamina de uſu & cultu imaginũ in Oriente exarſerũt, quæ ultra 150. annos Eccleſiã Orientis graviſſimè perturbarunt. 5. Fuerũt illa tandẽ terminata, ſed nõ ſolidis fundamẽtis, verũ Papę tyrãnide, & cõſtitut⁹ eſt imaginũ idololatric⁹ cultus.

37. Mirum verò eſt Jeſuitas in tantâ doctrinæ cœleſtis luce idolatri-

lolatricum imaginum cultū non improbare; Sed cū Papæ sint mācipia in reliquis omnibus, non possunt, quin etiā in asserendo hoc cultu operam navent. Argumenta eorum eadem sunt, quæ quondam Adriani Papæ Legati in Synodo septima, ad quam etiā Concilium Tridentinum provocat. *Primò, Imagines Cherubim super arcā existentes necessariò adorabantur ab iis, qui arcam adorabant, Exo. 25. Iam verò si licuit venerari imagines Angelorum, cur non etiam Sanctorum?*

38. Resp. Principium petunt Jesuitæ: Nam Israëlitæ nō arcam, vel Cherubin adorarunt, sed verum Deum, qui promiserat se illo loco auditurum, & inde responsa daturum.

39. *Inquis, Ergo & nos rectè facimus, faciem vertentes ad imagines, & coram ipsis Deum adorantes.* Resp. 1. Israëlitæ habebant mandatū & promissionem de Deo ibi adorando; Nos verò nec mandatum, nec promissionem, nec exemplum habemus. 2. Argumentū hoc à simili petitum in N. Testamento improbat ipse Christus, *Joh. 4. v. 21.* Nec in monte hoc, nec Hierosolymis, sed in spiritu, & veritate adorabitis. 3. Quod verò sancti in V. Testamento adorare jussi sunt versâ facie ad arcam, seu propitiatorium, quod fuit super arcam, id totum fuit typicum repræsentans Christum verum propitiatorē: Preces n. fieri debent in nomine Christi, ejusq; nitimerito, & tum Patri sunt acceptæ. Exhibito verò antitypo cessat typus.

40 *Secundò, serpens æneus non poterat non honorari, cum in loco sublimi positus fuisset, & salutem miseris in se aspicientibus afferret, Numer. 21. Jam verò si licuit venerari imagines Christi in formâ serpentis, cur non potius venerabilis erit imago Christi in formâ hominis?*

41. Resp. 1. Committitur fallacia finis: Serpens n. æneus elevatus fuit, non ut religiosè honoraretur, sed ut ab omnibus videri posset. 2. Salutem per se non attulit, sed Deus hoc typo homines monere voluit de Christo exaltando, qui suo merito sit allaturus salutē omnib. ab infernali serpente lethaliter istis, & in ipsum verè credentibus, *Joh. 3. v. 14. 15.* 3. In Novo verò Testamento umbræ legis cessarunt. *Heb. 10.* Nihil igitur hoc ad cultum imaginum.

42. *Tertiò, creaturæ religiosè honorandæ sunt propter solam relationē ad Deum, Psal. 95. Adorate scabellum pedum ejus. At imagines habent relationem ad Deum. Ergo religiosè sunt adorandæ.*

43. Resp. 1. Ex fonte Hebræo rectè illi vertunt, qui non dicunt ipsum scabellum, sed ad scabellum adorandum fuisse. Nusquam n.

sanxit Deus, ut adoraretur arca: Populus quidem Israeliticus arcâ honorificè tractavit, sed nuspiam eam adoravit. Salomon cũ arcam intulisset templo à se recens ædificato, ita orabat, 1. *Reg.* 8. *v.* 28. Respice ad orationem servituti, & ad preces ejus, Domine Deus meus. Non igitur arca, sed ad arcam Deus fuit adorandus juxta illud. 1. *Par.* 13. *v.* 6. Ascendit David, & omnis vir Israël ad collẽ Ciriathiarim, qui est in Juda, ut afferret inde arcam Domini Dei, sedentis super Cherubim, *ubi invocatum est nomen ejus.* Et *Psal.* 99. *v.* 9. Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate in monte sancto ejus. Ut & *Ps.* 132. *v.* 7. Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus. 2. Creaturæ honorantur, h. e. non contemptim habentur propter Deum authorem, & creatorem. Quâ ratione imagines honorandæ erunt propter earundem pictorem, vel in eis artifex ipse est colendus. 3. Terra est Dei scabellum, *Esa.* 66. *v.* 1. *Matt.* 5. *v.* 36. Terra igitur secundum opinionem Jesuitarum erit religiosè adoranda. 4. Scabellum pedum Domini dicta fuit etiam arca, eo quod verbo suo, & promissione illis sese alligasset, & quasi solium ibi posuisse videretur, *Thren.* 2. *v.* 1. 1. *Par.* 28. *v.* 2. 5. Psalmista igitur non vult vel terram ipsam vel templum Domini religiosè adorandum esse, sed respicit ad ritum adorationis populo Dei usitatum, quo adoraturi faciem ad templum Domini, & in eo ad arcam convertebant, quia ibi præsentiæ, & patefactionum suarum testimonia illustria Dominus edebat.

44. *Quartò, Matt.* 5. *Nolite jurare per cœlum, quia thronus Dei est. Ergo imagines religiosè sunt colendæ: Qualis est relatio inter cœlum, & Deum, talis est inter imaginem Christi, & ipsum Christum.*

45. Resp. 1. Accommodatio est falsa. Nam prius est ex divinâ ordinatione, posterius ex humanâ &c. 2. Collatio itidem est falsa, quia cœlum non ita refert imaginem Dei, quemadmodum pictura imaginem Christi ostendere dicitur. 3. Consequentia, hæc est inepta: *Cœlum non est adorandum, cum per quem adoramus, eum religiosè invocemus. Ergo imagines religiosè sunt colendæ.*

46. Quæstio secunda: *Quid sit sentiendum de consignatione crucis?*

47. Resp. 1. Nihil de ea expressum habemus in scriptura 2. Signum crucis, quod digitorum tractu inter precandum designatur, precantium gestibus annumeratur. Gestus v. & res indifferentes sunt, prout usurpantur. Bonæ si bene fiunt, & à fine denominan-

tur. 3. Non improbamus igitur consuetudinem Christianorum in primitivâ Ecclesiâ trâsversâ figura crucis digitis in aëre formata se se signantiũ. Cujus usus erat didacticus & historicus, erat nimirũ recordatio crucis & passionis Christi, & erat professio, & cõmonefactio, quod in Christum crucifixum crederent, atq; omnem in ipso spem, & fiduciam collocatam haberent.

48. Magna verò est impudentia, & temeritas ad figuram, seu signum crucis torquere ea, quæ de cruce, hoc est, de morte & satisfactione Christi pro nobis præstitâ loquuntur.

49. Quæstio tertia: *An, & quomodo creaturæ consecrari possint?*

50. Resp. Bonum aliud dicitur absolutè, & aliud comparatè, aliud in se, & aliud nobis: *Omnes creaturæ* bonæ sunt. Ut autem specialiter nobis obveniant, debitè & salutariter iis uti debemus, easdemq; cum gratiarum actione, & precibus ad Deum prius sanctificatas, & consecratas usurpare 1. *Personæ*, igitur quæ ad officium Ecclesiasticum ordinantur, precibus & peculiaribus muneri huic inaugurantur, & quasi consecrantur. 2. *Loca*, in quibus publicus Dei cultus est exercendus per preces & conciones inaugurales huic sancto usui rectè quasi consecratur. 3. *Elementa*, quorũ usus est in Sacramentorum administratione, verbis Institutionis, & promissionis, atq; precibus publicis, ab usu cõmuni destinantur ad usum sacrum, & consecrantur. Atque ita creaturas quasdam consecramus, sed religiosè eas non veneramur.

51. Pontificii verò non contenti innumero idolorũ multitudine ex creaturis ferè quibuslibet infinita adhuc reliquis idola adjungunt, res diversas consecrant, consecratis divinã inesse virtutem scribunt, quâ Dæmones fugari, morbi curari, homines sanctificari, & servari possint. Res igitur istas consecratas religiosè invocant, & beneficia ab iis expectant; Sed 1. idololatria est honorẽ soli Deo debitum transferre nudæ creaturæ. 2. Idolum est, quod colitur cultu divino, cum sit extra Deum. 3. Magicum, & superstitiosum est; prætendere, & statuere rebus inanimalib. verborũ nescio quorum, virtutem divinam imprimi. 4. Verbi divini prophanatio est verbum Dei superstitiosè ad illud adhibere, ad quod nõ est ordinatum. 5. Nulla hujus superstitiosi inventi est institutio, nulla promissio, nullum in Scriptura exemplum.

FINIS DISPVTATIONIS XXV.

arbkarte #13
B.I.G.
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black
0 cm